
Sc. Sup. 6. Pl. 4.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
43
7 B
17



Digitized by Google

PHILOSOPHIA
AD
USUM SCHOLÆ
ACCOMMODATA.

Auctore Mº. GUILLELMO DAGOUMER,
*Philoſophiæ Profeſſore in Univerſitate
Studii Pariſienſis.*

Opus ab ipſo reformatum, variiſque Tractatibus auctum.

TOMUS QUARTUS.

METAPHYSICA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LUGDUNI,
Sumptibus FRATRUM DUPLAIN,
viâ Mercatoriâ.

M. DCC. LVII.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

INDEX
TITULORUM
METAPHYSICÆ.

QUID EST METAPHYSICA. pag. 2
An ſit Metaphyſica. 3
Cur ſit Metaphyſica. 5
Qualis ſit Metaphyſica. 7
Quotuplex ſit Metaphyſica. 8
METAPHYSICA GENERALIS, SEU ONTOLOGIA. *Quid ſit Ens.* 9
Unde repetantur poſſibilitas & impoſſibilitas. 10
An ſit Ens. 22
Cur ſit Ens. 23
De Principio Productionis 26
De Cauſâ. 27
De Cauſâ finali. 33
De Effectibus Finis. 37
De Cauſa exemplari. 39
De Cauſâ efficiente. 46
Quotuplex ſit Cauſa efficiens. 47
De Effectu. 48
An effectus corruptus poſſit redire. ibid.
Utrùm idem numero effectus poſſit produci

eodem loco & tempore à pluribus cauſis efficientibus, totalibus, & minimè ſubordinatis. 52
De cauſis efficientibus per accidens. 58
De Fato. 62
De cauſâ materiali & cauſâ formali. 64
De principiis compoſitionis. 65
De actu. 67
De potentiâ. 72
De potentiâ obedientiali. 73
Quomodò compleatur potentia obedientialis. 74
Ad quos effectus extendatur potentia obedientialis. 77
De eſſentiâ & exiſtentiâ. 88
Quomodò eſſentia & exiſtentia diſtinguantur. 89
Utrùm eſſentia exiſtant ab æterno. 90
Quales ſint eſſentiæ. 97
De entitate & ſingularitate. 98
De principio individuationis indicativo. 99
De principio individuationis effectivo. 111
De principio individuationis formali. ibid.
Quænam cauſæ conveniant enti ut ens eſt. 120
Quale ſit ens. 121
De veritate. 123
De unitate entis. 127
De bonitate entis. 128
De extenſione & duratione. ibid.

Dogma Spinoſæ. 131
Quotuplex ſit ens. 155
Utrùm ens ſit genus univocum reſpectu ſubſtantiæ & modificationis. 163
De modificatione. 172
De ſubſtantiâ. 175
Quotuplex ſit ſubſtantia. 177
Utrùm Carteſius reverà demonſtraverit ſpiritum & corpus eſſe ſubſtantias ſpecie diverſas. 181
Utrùm ſubſtantia Spinoſeſtarum ſit extenſa ſimul & cogitans. 203
De individuo. 211
De ſubſiſtentiâ. 218
METAPHYSICA SPECIALIS, SEU PNEUMATOLOGIA. De DEO. 239
An ſit Deus. ibid.
Exiſtit ſubſtantia neceſſaria. 241
Exiſtit ſubſtantia immenſa & æterna. 244
Exiſtit ſubſtantia perfectiſſima. 245
Exiſtit ſubſtantia quæ ſit cauſa mirabilis ordinis in univerſo orbe. 250
Exiſtit ſubſtantia, quæ produxit mundum, primum hominem, & animam rationalem. 252
Exiſtit ſapientia ſuprema. 253
Exiſtit ſapientia miſericors & juſta. 256
Quæſtiuncula circà exiſtentiam Dei. 258
Quid ſit Deus. 264
Utrùm Deus ſit merum corpus. ibid.

Utrùm Deus aliquam ſuî partem habeat co poream. 265
Utrùm Deus componatur ex genere & differentiâ. 267
Quinam ſint gradus generici in Deo. 271
Quiſnam gradus ſit differentia. 272
Qualis ſit Deus. 276
Quomodò attributa Dei diſtinguantur. 277
Quot ſint attributa Dei. 279
De immutabilitate Dei. 280
De immenſitate Dei. 288
De æternitate Dei. 309
Quotuplex eſt duratio. 316
De infinitate Dei. 324
De intellectu divino. 337
Quodnam ſit medium quo Deus judicet verè, certò ac evidenter de contingentibus. 343
De voluntate divinâ. 349
Quomodò actus Dei liber & neceſſarius differant. 350
An decretum divinum ſit cauſa futuritionis contingentium. 353
De omnipotentiâ Dei. 370
De creatione. 373
Utrùm creatura poſſit creare. 379
De conſervatione. 383
De concurſu. 388
Quotuplex ſit Deus. 400
De Angelis. 403

Quid ſit Angelus. 403
An ſit Angelus. 404
Cur ſint Angeli. 407
Quales ſint Angeli. 408
De loco Angelorum. 408
De duratione Angelorum. 412
De facultatibus Angelorum. 413
De modo cognoſcendi Angelorum. 416
De modo quo Angeli ſeſe alloquuntur. 417
De voluntate Angelorum. ibid.
De libertate Angelorum. ibid.
De vi motrice Angelorum. 418
Quotuplex ſit Angelus. 419
De animâ rationali. 421
Quid ſit principium noſtrum cogitans, & an ſit. ibid.
Utrùm anima rationalis actu cogitet. 434
Utrùm anima rationalis ſit cogitatio. 438
Cur ſit anima rationalis. 446
Qualis ſit anima rationalis. 452
Utrùm anima rationalis ſit unita corpori. 459
An ſimus certi metaphyſicè exiſtere corpora. 460
An ſimus certi metaphyſicè dari corpus, quod noſtrum ſit. 475
Quid ſit unio ſubſtantialis corpus inter & animam noſtram. 484
Utrùm principium noſtrum cogitans poſſit manere corpori ſuperſtes. 505
Utrùm noſtrum principium cogitans maneat

corpori ſuperſtes. 510
Utrùm noſtrum principium cogitans ſit completum vel incompletum. 517
An ſint ideæ innatæ. 522
Quotuplex ſit anima rationalis. 538

Finis Indicis Titulorum.

PHILOSOPHIA

PHILOSOPHIA
AD
USUM SCHOLÆ
ACCOMMODATA.

METAPHYSICA.

HÆC eſt Philoſophiæ pars inter ſcientias naturales princeps, & nobiliſſima, quæ baſis eſt & fundamentum cæterarum ſcientiarum, & arboris philoſophicæ radix, ex quâ cæteræ ſcientiæ ſuis foliis, floribus & fructibus ornatæ, ſuccos nutritios accepêre; ſpectat nempe Metaphyſica ea quæ ſunt univerſaliſſima & ab iis deſcendit ad ipſa ſpecierum propriè dictarum individua, in quibus collecta ſimul exiſtunt: quâ ratione mentem humanam

à meditatione rerum caducarum avocat, & informando contemplatione entium omninò inſenſilium, ipſam ad originem ſuam revocat, atque nos ſuprà conditionem humanam evectos efficit in illis quæ ad Deum & divina attributa pertinent doctiſſimos.

Quid eſt Metaphyſica?

Metaphyſica, ſecundùm vocem, eſt à Græco μετὰ ſuprà & φύσις natura; hâc porrò etimologiâ intelliguntur quæ modò de Metaphyſicâ dicta ſunt; ea nempe ſuprà naturam ſunt quæ omnibus & ſingulis non competunt; non competit autem ſingulis hominibus ut per quamdam anatomen individuorum, quæ ſunt in ipſis, entia alia ab aliis ſegregent, & ſegregata contemplentur & meditentur.

Ideò Metaphyſica ſapientia eſt; eſt enim facilitas judicandi evidenter de entibus altiſſimis per altiſſima principia, ſeu per cauſas judiciorum noſtrorum altiſſimas. Entia verò altiſſima & principia altiſſima ea ſunt quæ generaliora ſunt & univerſaliora, & ideò dicuntur altiſſima, quia ſolâ perceptione innoteſcunt; dum autem Metaphyſica attingit hæc entia, nos in ſolâ veritatis contemplatione detinet fixa, quæ partes virorum ſunt ſapientium.

Ergo Metaphyſica eſt ſcientia: & virtus

mentis, nam ſpecies ſcientiæ ſive virtutis mentis eſt ſcientia : atqui ſapientia eſt ſpecies ſcientiæ ſeu virtutis mentis : ergo Metaphyſica eſt ſcientia.

Ergo Metaphyſica eſt ſpeculativa, nam ſpecies ſcientiæ ſpeculativæ eſt ſcientia ſpeculativa : atqui ſapientia eſt ſpecies ſcientiæ ſpeculativæ; ergo Metaphyſica eſt ſcientia ſpeculativa.

Et certè ſcientia quæ non dirigit ad uſum & ad operationem objecti ſui, nec ea docet quæ concurrant ad ipſius productionem, merè ſpeculativa eſt : atqui Metaphyſica non dirigit ad uſum & operationem objecti ſui, neque docet ea quæ ad hujuſce objecti productionem concurrant, videlicet ad productionem entis ejuſque ſpecierum propriè dictarum; ergo Metaphyſica eſt ſcientia merè ſpeculativa.

An ſit Metaphyſica.

Aliquam exiſtere Metaphyſicam qui negat, perceptione caret; fatendum tamen eſt pauciores eſſe huicce diſciplinæ idoneos & pares : putatur ſcilicet & eſt ſcientiarum omnium difficillima; quæ quidem difficultas non oritur ex parte objecti, ſed ex parte noſtrî : non oritur, inquam, ex parte objecti; quid enim aliud eſt objectum iſtud quàm poſſibilitates, conſenſiones attribu-

torum, eſſentiæ? Jam verò quid magis ſimplex, quid ratione ſuî faciliùs intelligibile; ſive potiùs, quid aliud ab eſſentiis intelligi poteſt? Eſſentia eſt forma entis; ens omne verum eſt; verum omne intelligi poteſt: pariter omne intelligibile verum eſt; omne verum eſt ens; ens ergo & intelligibile reciprocantur: ergo hæc difficultas non oritur ex parte objecti Metaphyſices.

Oritur verò ex parte noſtrî. Phyſica dum agit de ſenſilibus, juvatur oculis, auribus, cæteriſque partibus organicis noſtri corporis: iiſdem Metaphyſica debilitatur & languet; motus animales debent coërceri, organa quibus excipiuntur impreſſiones ità debent eſſe inſtructa ut ratio maneat ſemper ſuperior, ſine perturbatione, ſuî compos, nec præcipitet, nec præjudiciis agatur, ſed attendat & reflectat in impreſſiones quæ in nobis excitantur, inter ipſas diſtinguat, attendat ad relationes & teſtimonia quæ conſequuntur haſce impreſſiones: necnon ad judicia innixa hiſce teſtimoniis oportet ut quærat regulam generalem metaphyſicæ certitudinis, & naſcatur perceptio quâ fit ut leges unionis ſubſtantialis corpus inter & animam rationalem permaneant, ſed quaſi non eſſent, ità ut in animam ipſam non influant. Porrò quis aſſequatur iſtud: (*) *Homo natus de muliere, brevi vivens*

(*) *Job.* 14.

tempore , multis repletur miſeriis; qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.

Cur ſit Metaphyſica.

Homo eſt finis *cui* Metaphyſices , quia Metaphyſica cedit in uſum & commodum hominis.

Finis *cujus gratiâ* ultimus, eſt ipſe Deus.

Cauſa efficiens prima Deus , qui cùm produxit Adamum innocentem, produxit & facilitatem cognoſcendi res altiſſimas per altiſſima principia , atque eidem Adamo cognoſcenda propoſuit plurima objecta, ex quibus nonnulla neceſſariò propoſuit, putà ea ſine quibus non poterat officio ſuo fungi: v. g. ſemeptipſum cognoſcendum & amandum; nonnulla verò ex ſuâ liberalitate propoſuit ſine quorum cognitione poterat vitam æternam comparare.

Cauſa efficiens ſecunda ſeu reparatrix, Magiſter aptè docens, id eſt, aptè proponens objecta, & Diſcipulus qui, depoſitis præjudiciis & attentione datâ, acriter ſtudet.

Cauſa materialis *in quâ*, ſeu ſubjectum inhæſionis *quo* Metaphyſices, eſt intellectus, nam ſubjectum inhæſionis *quo* habitûs eſt facultas in quâ recipitur habitus ille: atqui Metaphyſica recipitur in intellectu , ergo intellectus eſt ſubjectum inhæſionis *quo* Metaphyſices.

Subjectum autem inhæſionis *quod* eſt anima rationalis ; nam ſubjectum inhæſionis *quod* illud eſt quod ità recipit modificationem ut ipſum non recipiatur in alio tanquam in ſubjecto inhæſionis : atqui anima rationalis ità recipit Metaphyſicam ut ipſa non recipiatur in alio tanquam in ſubjecto inhæſionis ; ergo anima rationalis, &c.

Pauci homines ſunt ſubjecta denominationis ; nam ſubjectum denominationis alicujus habitûs illud eſt quod ab hoc habitu tale denominatur : atqui pauci homines denominantur Metaphyſici à Metaphyſicâ ; ergo pauci homines ſunt ſubjecta denominationis Metaphyſices.

Cauſa materialis *ex quâ* eductionis eſt eadem anima ; nam anima eſt id ex quo educuntur actus, v. g. perceptiones quibus comparatur Metaphyſica.

Cauſa materialis phyſica *ex quâ* compoſitionis ſunt variæ partes ex quibus conſtat Metaphyſica.

Cauſa formalis phyſica Metaphyſices eſt diſpoſitio per methodum introducenda in illas partes.

Cauſa materialis metaphyſica eſt ipſius Metaphyſicæ genus.

Cauſa formalis eſt ipſius differentia.

Porrò genus & differentia dicunt ordinem ad objectum ; genus quidem ad objectum materiale, differentia verò ad objectum formale.

Objectum materiale Metaphyſices eſt ens, & ſpecies entis propriè dictæ; nam Metaphyſicaità verſatur circà ens & ſpecies ejus propriè dictas, ut circà hæc omnia alia diſciplina poſſit verſari.

Objectum formale eſt ratio *ut ſic*, & ratio quâ ſpecies ſunt propriè dictæ; nam Metaphyſica ità ſpeculatur illas rationes, ut nulla alia diſciplina hæc entia ſpeculetur ſub hoc reſpectu; ergo objectum totale Metaphyſices ſunt ens *ut ſic*, & ipſius ſpecies propriè dictæ, quatenùs ſunt propriè dictæ.

Ergo cùm virtus mentis, ſive ſcientia, ſpecificetur ab objecto, Metaphyſica definiri debet ſapientia ſpeculatrix entis *ut ſic* & ſpecierum ejus propriè dictarum, quatenùs ſunt propriè dictæ.

Qualis ſit Metaphyſica.

Metaphyſicæ proprietates non intelliget niſi Metaphyſicus; eas nec carnis oculus vidit, nec auris audivit, nec os hominis eloqui poteſt; ſapiat, qui voluerit eas intelligere, duas tamen hîc laudabo.

Primò. Metaphyſica nobilior eſt aliis cæteris ſcientiis naturalibus ratione certitudinis; unde certitudo, quæ ne divinitùs quidem poteſt ſubeſſe falſitati, ab ipsâ denominata fuit certitudo metaphyſica; quæ

quidem certitudo nititur perceptione. Hinc nemini mirum videri debet ſi Metaphyſica dicatur Philoſophia prima; ſi dicatur baſis & fundamentum omnium omninò diſciplinarum, cùm omnes certitudinem ſuam mutuentur à veritate principiorum quæ ſuppeditat; hinc ipſam dixi radicem & truncum ſcientiarum quæ non ſunt niſi rami arboris philoſophicæ, foliis, floribus & fructibus ornati.

Prætereà nobilior eſt etiam aliis diſciplinis ratione ſui objecti, quâ parte agit de Deo, de Angelis, de animâ rationali; cùm enim hæc objecta omnibus aliis ſint excellentiora, ſequitur eorum conditionem, quia diſciplina quævis ab objecto ſuo ſpecificatur.

Denique avocat hominem à ſenſibus & à motibus animi indomitis, dum objecta ſublimiora exhibet, quibus mens occupata minùs ſollicitatur ad libidines & ad objecta terreſtria; proindèque ſub eo reſpectu dici poteſt pretioſior auro & argento, ſpecioſior ſole, & lunâ pulchrior, eſt enim verè ſapientia.

Quotuplex ſit Metaphyſica.

Metaphyſica ratione ſui objecti, alia eſt generalis, quæ Ontologia dicitur; alia ſpecialis, quæ vocatur Pneumatologia.

METAPHYSICA GENERALIS,

SEU ONTOLOGIA.

HÆC prima Metaphyſicæ pars ſpeculatur ens *ut ſic*, id eſt, ipſius naturam, exiſtentiam, principia, proprietates & primas ejus ſpecies; putà ſubſtantiam, ſeu rem, & rationem, ſeu modificationem.

A nobis dicitur Ontologia ὤν & λόγος à Græco, id eſt, ſermo de ente; quapropter more ſolito quæritur

Quid ſit Ens.

Vox iſta *Ens* eſt ex earum numero quæ definitione logicâ obſcuriores fierent; doctus enim & indoctus, ruſticus & nobilis, vir & muliercula nomine entis intelligunt illud omne quod opponitur nihilo, quod eſt extrà nihil.

Quanquam apud Philoſophos ens ſumitur pro eo omni quod eſt poſſibile, ſive non; eo ſenſu Gigas qui tangeret lunam, totamque manibus complecteretur, eſt ens, quia, licèt non exiſtat, eſt poſſibilis; hinc ratio nomine entis ſignificata à Philoſophis dicitur capacitas exiſtendi, ſive poſſibilitas, cui opponitur impoſſibilitas.

Poſſibile illud eſt quod conſtat attributis conſentientibus; proinde impoſſibile illud eſt cujus attributa repugnant: ſic figura triangula poſſibilis eſt, quia ratio figuræ & ratio trianguli ſecum conſentiunt: at circulus quadratus eſt impoſſibilis, quia ratio circuli & ratio quadrati repugnant & ſunt incompatibiles; ergo poſſibilitas eſt attributorum conſenſio; impoſſibilitas autem attributorum repugnantia, ſive incompatibilitas.

Unde repetantur poſſibilitas & impoſſibilitas.

Sunt Philoſophi qui docent poſſibilitatem & impoſſibilitatem repeti à libero divinæ voluntatis decreto, ità ut ea poſſibilia ſint quæ Deus vult facere poſſibilia; ea verò ſint impoſſibilia, quæ vult ipſe facere impoſſibilia: hinc quæ poſſibilia ſunt, potuit facere impoſſibilia, & quæ ſunt impoſſibilia potuit facere poſſibilia; v. g. qui poſſibilis eſt triangulus potuit, inquiunt, fieri impoſſibilis, & qui impoſſibilis eſt mons ſine valle, fieri potuit poſſibilis: ergo quod eſt poſſibile fieri poteſt impoſſibile, & quod eſt impoſſibile fieri poteſt poſſibile.

Hinc juxtà ipſos eſſentiæ mutari poſſunt, non quidem à creaturis, ſed à Deo, qui potuit & poteſt, ſi voluerit, totum parte ſuâ

minus efficere, dare unum & duo quæ non faciant tria.

Ex hoc errore metaphyſico manavit in res morales opinio, nimirùm ea quæ de ſe & eſſentialiter bona ſunt in ordine morali, poſſe fieri mala in eodem ordine, & quæ de ſe mala ſunt poſſe fieri bona, v. g. amorem Dei poſſe à libero Dei decreto eſſe quid malum, & odium Dei eſſe quid bonum; quam quidem opinionem, ut cujuſlibet ſcientiæ ruinam & perniciem, damnavimus in noſtrâ Philoſophiâ morali.

Occaſionem ſic opinandi dedêre nonnullis verba quædam Carteſii quæ ipſi alicubi exciderunt; eſſentiam corporis repoſuit in extenſione actuali: Theologi plures venerabile Euchariſtiæ Sacramentum in quo Chriſti corpus actu inextenſum putabatur, objecêre; quid Carteſius? Inter varia reſponſa hoc dedit: mentem humanam puſillam & infirmam non poſſe attingere quæcumque poteſt facere Deus; ſe nec velle nec poſſe ponere limites ei qui poteſt facere potentiam in brachio ſuo: Deum *fortè* facere poſſe ut unum & duo non faciant tria, ut triangulus non habeat tres angulos; proindeque ut corpus quod eſt eſſentialiter extenſum actu, fiat aliquando actu inextenſum; cæterùm ſe de præſenti argumento locutum fuiſſe juxtà Philoſophorum regulas, neque unquam ſibi in mente

fuiſſe ut fidei Catholicæ dogmata labefactaret ſuâ Philoſophiâ.

Hancce timidam, ut patet hâc voce, *fortè*, reſponſionem Carteſii, ſeu potiùs evaſionem, ſtatim, ut axioma philoſophicum poſuêre quidam ex ejus diſcipulis, & ab hiſce temporibus eſſentias à Deo mutabiles, & poſſibilitatem aut impoſſibilitatem ab ipſius decreto libero ortum ducere docuerunt. Contra eos ſit

PRIMA PROPOSITIO.

Poſſibilitas & impoſſibilitas entium non repetuntur à divinâ voluntate, nec ab omnipotentiâ.

Probatur : nam primò, propoſitio quæ nullo nititur motivo ſufficienti ut certa ſit à Philoſophis admitti non debet : atqui propoſitio enuntians poſſibilitatem & impoſſibilitatem repetendas eſſe ſive à decreto libero Dei, ſive ab omnipotentiâ, nullo motivo ſufficienti nititur, ut certa ſit & admitti debeat à Philoſophis; nam, ut dictum eſt ſæpiùs, quinque ſunt motiva judiciorum noſtrorum : cupiditas, relatio aliorum hominum, relatio noſtrorum ſenſuum, relatio Dei, & noſtra perceptio; jam verò cupiditas non auditur à Philoſopho, relatio ſenſuum pariter in hac causâ audiri non poteſt, cùm ſit merè metaphyſica; nec etiam

relatio Dei, quia hæc opinio ad fidem non pertinet: ſuperſunt ergo motiva duo; putà relatio hominum & ipſa perceptio: atqui hominum relatio, ipſius Carteſii autoritas, non eſt motivum ſufficiens ut dicantur poſſibilitas & impoſſibilitas repeti à decreto Dei libero & ab omnipotentiâ.

Primò quidem, Carteſii autoritas non eſt motivum ſufficiens ut illa perſuadeatur opinio, præſertim verò apud ſuos diſcipulos, qui canunt ubique Philoſophiam autoritate nullatenùs niti, ſed ratione ſolâ; qui tanquam vitium Peripateticis objiciunt eorum obſervantiam erga ſuum Ariſtotelem, niſi velint Carteſium jam eſſe ducem irrefragabilem, cujus autoritas ſit ipſa ratio, quod à nemine concedi poteſt, ſi ſit Philoſophus; atque præſertim in hâc occaſione in quâ Carteſius timidus aſſertor huic opinioni locum dedit, ut à difficultate liberaretur in quam deſcendere nunquam voluit.

Deinde verò perceptio non eſt motivum hujuſce opinionis; nam perceptio non eſt motivum hujuſce opinionis, ſi in hoc præſenti rerum ſtatu nemo poſſit concipere eſſentias eſſe mutabiles: atqui nemo poteſt in hoc præſenti rerum ſtatu concipere eſſentias eſſe mutabiles, v. g. nemo poteſt concipere circulum qui ſit quadrilaterus; nam quidquid percipitur in hoc præſenti ſtatu eſt juxtà Carteſianos poſſibile in hoc præſenti

ſtatu : atqui circulus qui ſit quadrilaterus non eſt juxtà Carteſianos poſſibilis in hoc præſenti ſtatu ; ergo in hoc præſenti ſtatu non concipitur eſſentias eſſe mutabiles; ergo hæc opinio , eſſentias nempe eſſe mutabiles, nullo motivo nititur ſufficienti ut admittatur.

Et certè poſſibilitas entium non repetitur à divinâ voluntate , neque ab omnipotentiâ , ſi priùs ſit entia eſſe poſſibilia quàm intelligantur in Deo decretum liberum , & actio omnipotentiæ : atqui prius eſt entia eſſe poſſibilia quàm intelligantur in Deo decretum liberum & actio omnipotentiæ, tres enim eò loci diſtingui debent in Deo facultates , intellectus , voluntas , & omnipotentia ; actio intellectûs præit ſanè actioni voluntatis, & actio voluntatis præit actioni omnipotentiæ : porrò poſſibilia ſunt objectum intellectûs divini ; ergo ſunt antecedenter ad actionem voluntatis & ad actionem omnipotentiæ; ergo prius eſt eſſe poſſibilia quàm Deus liberè velit & agat; ergo poſſibilitas entium non repetitur, &c.

Hancce demonſtrationem capient adverſarii , ſi hæc tria diſtinguant , poſſibile , futurum , & exiſtens, ſuo ordine poſita & reſpondentia eodem ordine; poſſibile quidem intellectui, futurum voluntati , & exiſtens omnipotentiæ; ità ut poſſibilia ſimul ſint cum actione intellectûs , futura cum actione voluntatis, exiſtentia cum actione

omnipotentiæ : ex quo ſequitur poſſibilia eſſe antecedenter ad actionem voluntatis, & futura antecedenter ad actionem omnipotentiæ; quia poſſibilia ſimul ſunt cum actione intellectûs, quæ præit actioni voluntatis, & futura ſunt cum actione voluntatis, quæ præit actioni omnipotentiæ.

Secundò. Quod petiturà decreto Dei libero, & actione omnipotentiæ, in ſe contingens eſt & mutabile : atqui poſſibilia non ſunt in ſe contingentia & mutabilia; nam poſſibilia, quippe quæ reciprocantur cum intelligibilibus, ſunt objecta perceptionum divinarum : atqui objecta perceptionum divinarum non ſunt in ſe contingentia & mutabilia; nam ſi objecta perceptionum divinarum forent in ſe contingentia & mutabilia, perceptiones divinæ forent in ſe contingentes & mutabiles: atqui abſurdum eſt perceptiones divinas eſſe contingentes & mutabiles, ſcilicet ſunt Dei perfectiones & ipſius ſapientia; Deus enim perfectior intelligitur ex eo quòd percipiat & intelligat, & aliundè ipſius ſapientia non eſt contingens & mutabilis; alioqui, dum volunt facere Deum omnipotentem, eùm ſuâ ſapientiâ fraudant; perfectiones tamen Dei non ſunt contingentes & mutabiles, quia neceſſariò perfectiſſimus eſt; ergo poſſibilia non ſunt in ſe contingentia & mutabilia; ergo, &c.

Lege quæ à nobis dicta ſunt de diſcrimine eſſentiali inter ea quæ de ſe bona ſunt & de ſe mala, ſub hoc titulo: utrùm ea quæ de ſe bona ſunt poſſint fieri mala.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. Ens omnipotens poteſt facere omnia: a qui Deus eſt ens omnipotens; ergo facere poteſt ut quæ poſſibilia ſunt ſint impoſſibilia, & viciſſim.

Nego conſequentiam: argumentum non eſt in formâ; nam, ut eſſet in formâ, facere ut poſſibilia ſint impoſſibilia, eſſet facere aliquid; porrò cùm hoc ſit impoſſibile, non poteſt dici quòd eſſet facere aliquid.

Inſtabis: poſſibilia ſaltem aliqua à Deo dependent; ergo facere poteſt ut ſint impoſſibilia.

Diſtinguo antecedens: aliqua à Deo dependent, ut ſint futura & exiſtentia, concedo antecedens: ut ſint poſſibilia, nego antecedens & conſequentiam.

Itaque tres formæ diſtingui debent; poſſibilitas, futuritio, & exiſtentia, quæ nuſquam confundi debent: tres illæ formæ, ut jam dictum eſt, connotant tres in Deo facultates omninò diverſas; poſſibilitas connotat intellectum, futuritio voluntatem, exiſtentia omnipotentiam; quippe poſſibilitas intelligitur, decernitur futuritio, pro-

ducitur exiſtentia : porrò correlatio quæ eſt inter actiones illarum facultatum , & ipſarum objecta , poſtulat ut objecta eum ſervent inter ſe ordinem quem ſervant actiones , & viciſſim ut actiones eum ſervent inter ſe ordinem quem ſervant objecta , correlata enim ſunt ſimul naturâ & cognitione ; igitur , ut poſſibile præit futuro , ità intellectio præit volitioni ; ac viciſſim , ut intellectio præit volitioni, ità poſſibile præit futuro ; ergo cum poſſibili intellectio , cum intellectione poſſibile , ſunt antecedenter ad volitionem & omnipotentiam.

Urgebis : poſſibile idem eſt ac ens ; ſed aliquod ens eſt contingens ; nam , ut docent Philoſophi , entis differentiæ div ſivæ ſunt contingentia & neceſſitas ; ergo aliquod poſſibile eſt contingens.

Diſtinguo minorem : aliquod ens eſt contingens ratione futuritionis & exiſtentiæ , concedo minorem : ratione poſſibilitatis , nego minorem ; ergo , &c.

Diſtinguo conſequens : aliquod poſſibile eſt contingens ratione futuritionis & exiſtentiæ , concedo conſequentiam : ratione poſſibilitatis , nego conſequentiam : nam quodcumque eſt poſſibile , neceſſariò poſſibile eſt , & quodcumque eſt neceſſariò poſſibile , vel eſt neceſſariò exiſtens , vel eſt contingenter exiſtens.

Premes. Ab eo ens habet ut ſit poſſibile ,

quo poſito, poſſibile eſt, quo ſublato, non eſt poſſibile : atqui, poſito Deo, creatura poſſibilis eſt, ipſo ſublato, creatura non eſt poſſibilis; ergo, &c.

Diſtinguo majorem : quo poſito & quo ſublato tanquam causâ, concedo majorem : tanquam aliquo neceſſariò connexo, nego majorem : atqui, &c. diſtinguo minorem : poſito Deo tanquam aliquo neceſſario connexo, creatura poſſibilis eſt, concedo minorem : poſito Deo tanquam causâ poſſibilitatis, creatura poſſibilis eſt, nego minorem : ergo, &c. nego conſequentiam.

Inſiſtes : ſcientia divina de poſſibilibus eſt practica; ergo Deo poſito tanquam causâ poſſibilitatis, creatura poſſibilis eſt.

Diſtinguo antecedens : practica eſt prout dirigit Deum ad decernendam futuritionem & producendam exiſtentiam, concedo antecedens : ad faciendam poſſibilitatem, nego antecedens : hæc aliquando fuſiùs.

SECUNDA PROPOSITIO.

Poſſibilitas entium eſt ab ipſis entibus, & à nullâ aliâ causâ oritur.

Probatur : eſt quippe ipſa attributorum conſenſio; unde ſtatim atque duo conſentiunt attributa, intelliguntur & ſunt poſſibilia, ſeu totum ex illis reſultans eſt poſſibile.

Dices : ut aliquid ſit poſſibile, v. g.

ſcamnum, requiritur quòd poſſit creari: ut autem poſſit creari, requiritur omnipotentia divina; ergo poſſibilitas alicujus entis pendet ſaltem ex parte ab ordine ad omnipotentiam.

Diſtinguo majorem: ut aliquod ens ſit poſſibile ſub ratione producibilis, debet poſſe creari, concedo majorem: ut ſit poſſibile ſub ratione poſſibilis præcisè, nego majorem: atqui, &c. concedo minorem & diſtinguo conſequens: poſſibilitas entis ut producibile eſt repetitur ab ordine ad omnipotentiam, concedo conſequentiam: ut præcisè poſſibile eſt, nego conſequentiam.

Itaque poſſibilia quæcumque à ſemetipſis poſſibilia ſunt: verùm inter ea quædam nec poſſunt eſſe futura, nec poſſunt eſſe exiſtentia à ſemetipſis: uno verbo, quædam producibilia ſunt, ea verò ſub reſpectu producibilitatis ordinem dicunt ad omnipotentiam: hinc licèt poſſibilitas ſit eſſentialis illis entibus, intelligi tamen poſſunt inadæquatè, nimirùm quin intelligantur producibilia: ſic materiam dabit Atheus poſſibilem, quam intelligit, licèt ipſam non intelligat producibilem.

Inſtabis: intelligit Atheus exiſtere mateтiam quam negabit productam, neque tamen hoc impedit quominùs exiſtentia materiæ à Deo fuerit producta: ergo materia poterit intelligi poſſibilis, licèt non intelli-

gatur producibilis; neque tamen illud impediet quominùs poſſibilitas ejus veniat ab omnipotentiâ.

Nego conſtantiſſimè intelligi poſſe ab Atheo ſive à quocumque alio materiam eſſe exiſtentem ; auſim dicere quòd ſi materia poſſet intelligi eſſe exiſtens, meritò negaretur producta ; nam ſi poſſet intelligi hæc propoſitio , *materia eſt exiſtens* , exiſtentia perciperetur in materiâ : ſi exiſtentia perciperetur in materiâ , foret materiæ eſſentialis; ergo materiæ conveniret ab æterno & independenter à Deo. Diſtinguat Philoſophus inter percipere & judicare ; judicat quidem Atheus ipſam materiam exiſtere : ſed ex alio motivo quàm ex perceptione, putà ex relationibus animæ & teſtimoniis , ut demonſtrabitur. Percipitur quidem materia producibilis : unde producibilitas percipitur in materiâ quæ poſſibilis eſt ; ſed illa producibilitas ſupponit ipſam poſſibilitatem , non efficit.

TERTIA PROPOSITIO.

Impoſſibilitas eſt intrinſeca attributorum repugnantia , neque ab ullâ causâ oritur.

Probatur : enimverò ſtatim atque duo termini incompatibiles percipiuntur , ſtatim intelligitur non poſſe totum aliquod ex illis ſimul poſitis conflari & reſultare; termini

duo ratione ſuî & ſeorſim ſpectati entia ſunt & poſſunt concipi; v. g. terminus, *Deus*, terminus, *crudelis*, concipi poſſunt, res habens divinitatem concipi poteſt & eſt poſſibilis; res habens crudelitatem pariter: ſed quia crudelitas percipitur excluſa à re habente divinitatem, ideò Deus qui ſit crudelis judicatur impoſſibilis, totumque reſultans ex illis duobus terminis eſt impoſſibile & concipi nequit niſi ut impoſſibile.

Verùm ſit incompatibilitas entium neceſſe eſt; nec enim ſola ſeparatio formalitatum ſufficit ut ſit incompatibilitas; quapropter ſi quis in exemplum impoſſibilium afferret montem aureum, cave exemplum admittas; non exiſtit forſan mons aureus, ſed exiſtere poteſt: ſi quis laudet hirco-cervum, aliud exemplum poſtula; nam ſi agatur de ſolis partibus organicis hirci & cervi, quidni dari poſſit totum, cujus media pars ſit organorum & configurationum tum internarum, tum externarum, quæ hirco conveniunt; altera verò earum partium mechanicarum quæ cervum conſtituunt? habemus, v. g. arbores, quarum media pars eſt prunus, altera ſunt mala perſica.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Si verò agitur de formis ſubſtantialibus hirci & cervi, quis novit utrùm animæ brutorum, præſertim perfectorum, ſint ſpecie diverſæ? quis audeat negare eas etiam ſpecie diverſas uniri ſimul non poſſe? quidni

anima hirci ſuas exerceat functiones occaſione motuum in organis ſibi deſtinatis, anima verò cervi ſuas occaſione motuum in organis ſibi propriis? Hermes Gallicus refert genitos Argentorati canes duos, maſculum & fœminam, quorum aures, pedes, caudæ, erant felium partes organicæ, qui canes quaſdam functiones felibus proprias exercebant; legere eſt paſſim apud Hiſtoricos varia portenta quibus credere licet variorum ſeminum commixtione aliiſque cauſis in Phyſicâ exponendis, fieri poſſe incredibiles partium organicarum commiſſuras; afferantur ergo in exempla impoſſibilium ea quæ percipiuntur incompatibilia, nec de aliis mentio fiat in metaphyſicis.

An ſit Ens.

Idem eſt ac ſi quæreretur an aliquod poſſibile ſit exiſtens; aliquod autem poſſibile eſſe exiſtens, quis neget, niſi mentiatur, nimirùm unuſquiſque ex intimo conſcientiæ ſenſu certus eſt ſe cogitare, certus eſt ſe cogitantem exiſtere: ipſe Langenherius, de quo pluriès dictum fuit, hoc unum fatebatur ſibi conſtare certum & quidem metaphyſicè. Neque facilè quis mihi perſuaderet Pyrrhonem, & à fortiori, ſectam quæ ipſi tribuitur, uſquam dubitaſſe de exiſtentiâ ſuî cogitantis; neque enim fingenda

ſunt monſtra quæ debellemus; atque ſi aliquis diceret ſe dubitare de hoc articulo, conſcientia protinùs reclamaret.

Poſſibilia autem alia exiſtere demonſtrabitur, cùm invictiſſimè probabo duas eſſe exiſtentis ſpecies, putà exiſtentis neceſſariò, & exiſtentis contingenter; dari proinde differentias quibus multiplicetur exiſtens; aliam quæ ſit exiſtendi neceſſitas: aliam quæ ſit contingentia, ſeu indifferentia ad exiſtendum & non exiſtendum.

Cur ſit Ens.

Legenda ſunt accuratè quæ à nobis ſcripta ſunt in ipſo limine introductionis ad Philoſophiam noſtram, ſub hoc titulo: *De quæſtione cur ſit.*

Principium dictum fuit id unde aliquid, vel eſt, vel fit, vel judicatur: inde triplex principium agnovi, aliud judicii, aliud compoſitionis, aliud productionis.

Dixi poſteà de principio judicii, quod duplex diſtinctum eſt, aliud ſimplex, aliud compoſitum.

Ad principium ſimplex revocavi omnia motiva judiciorum noſtrorum tum intrinſeca, tum extrinſeca.

Intrinſeca omninò quinque numerata ſunt, putà perceptio, divina autoritas, relatio noſtrorum ſenſuum, relatio aliorum

hominum, & cupiditas; hæc autem examini ſubjecta ſunt, præſertim in Logicâ noſtrâ.

Primum judicii philoſophici principium dixi non eſſe niſi propoſitionem quæ ſit ultima ratio philoſophicæ certitudinis, & hanc aſſignavi, *quidquid percipitur illud eſt certiſſimum* : quod quidem invictiſſimè à nobis demonſtratum fuit; ſed contrà quæ à nobis probata ſunt inſurrexit Magiſter Joannes Duhamel, quondam Philoſophiæ Profeſſor in Pleſſæo : ſed ut fiat ſatis ejus objectionibus, ſit

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. cum ipſo : quidquid enuntiatur, quidquid concluditur, eſt intelligibile; ſed quidquid enuntiatur, quidquid concluditur, non eſt ideò verum; ergo quidquid percipitur non eſt ideò verum.

Nego majorem : nam ſolæ propoſitiones in ordine metaphyſico ſunt intelligibiles : quæ ſunt in ordine phyſico nullatenùs ſunt intelligibiles, & alio nituntur motivo quàm perceptione, ut paſſim in tom. 1°. & 2°. à me probatum fuit.

Urgebis : equidem quidquid concipitur per ſe, proximè, & per proprias ſpecies, eſt ideò verum; ſed quidquid concipitur per aliud, mediatè & per alienas ſpecies, non eſt ideò verum.

Hoc

Hoc argumentum ſecundùm ſe totum habeo ut verba & voces, & præterea nihil: reverà ſpecies unius objecti intuitum & perceptionem alterius objecti poteſt excitare, ut à nobis obſervatum eſt in Logicâ ſub titulo de Signo, ſed intuitus unius objecti non poteſt eſſe intuitus alterius objecti diverſi.

Objicies 2°. cum eodem : hæc propoſitio, *quidquid percipitur, illud eſt certiſſimum*, eſt reflexa : ea verò, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*, eſt directa: porrò, generatim loquendo, inquiebat Hamelius, propoſitio certiſſima inter directas certior eſt propoſitione certiſſimâ inter reflexas; quamobrem (concludebat ipſe) qui procedit ad abundantiam doctrinæ ab iſtâ propoſitione, *impoſſibile eſt*, &c. ad hanc, *quidquid percipitur*, &c. procedit à certiſſimâ directâ ad certiſſimam reflexam, ab uno genere propoſitionis ad aliud genus, adeòque certior evadit, non quidem intenſivè, ſed extenſivè, ut Philoſophi loquuntur.

Primò. Nego propoſitionem, *impoſſibile eſt*, &c. eſſe inter directas, ſed eſt inter reflexas : id potuiſſet Autor intelligere, ſi legiſſet quæ dicta ſunt tomo 1°. Illæ ſolæ propoſitiones ſunt inter directas, quæ conſtant ex intimo conſcientiæ ſenſu, quæ feruntur de entibus, ut ſe habent in ordine ad nos; cæteræ verò ſunt inter reflexas,

nec ullâ certitudine philoſophicâ gaudent, niſi nitantur perceptione natâ ex attentione & reflexione; ità certè perceptio fons eſt totius philoſophicæ certitudinis, & hæc propoſitio, *impoſſibile eſt*, non eſt, philoſophicè certa, niſi quatenùs percipitur; adeòque non evadit Philoſophus certior dum procedit ad iſtam, *quidquid percipitur*, &c. imò ſuam habet certitudinem quâ antea carebat, dum hanc habet regulam, *quidquid percipitur*, &c.

Secundò. Ille certior fit extenſivè, ſi benè voces capio, qui de pluribus fit certus; ille verò certior fit intenſivè, qui majorem gradum habet certitudinis: atqui ex propoſitione, *quidquid percipitur*, &c. major eſt gradus certitudinis de hâc, *impoſſibile eſt*, &c. ergo nedùm qui procedit ab iſtâ propoſitione, *impoſſibile eſt*, &c. ad hanc, *quidquid percipitur*, &c. certior evadat extenſivè, ut contrà fiat ipſe certior intenſivè, cùm reperit fontem & rationem ultimam philoſophicæ certitudinis in quibuſlibet propoſitionibus quæ ſunt in ſe intelligibiles.

De Principio Productionis.

Non repetam eò loci quæ à nobis dicta ſunt de productione generatim ſumptâ, cujus ſunt duæ ſpecies, alia neceſſariò æterna, jugis, perpetua, qualis eſt productio

Verbi divini à Patre Æterno, quæ dicitur generatio, qualis eſt productio Spiritûs ſancti à Patre & Filio, quæ ſimpliciter dicitur proceſſio; alia quæ eſt libera & contingens, quæ pariter duplex eſt, ſcilicet vel creatio, vel factura; factura autem quæ duplex pariter dicitur, vel generatio, vel eductio.

Theologi, cùm dixerunt Patrem eſſe quidem in divinis principium ſui Filii, abſtinuerunt ab hâc voce *cauſa*, ut ſignificarent diſcrimen inter productionem perſonarum divinarum & productionem rerum contingentium, qualeſcumque ſint: aliud enim nomen debet aſſignari principio productionis quæ eſt neceſſariò æterna, jugis, perpetua, aliud autem productioni quæ eſt libera & contingens. Hinc Pater Æternus principium eſt Filii, & Filius principiatum; Deus autem dicitur cauſa, cùm producit creaturas, cùm creata diſponit, conſervat & movet, quia hæc liberrimè facit, ideòque ſunt effecta.

De Causâ.

Varias habet acceptiones hæc vox *Cauſa*; ipſi Philoſophi, poſtquam hanc vocem definierunt & diſtinxerunt ab occaſionibus, conditionibus, elementis, poſteà tamen & occaſiones, & conditiones, & elementa, cauſas vocant.

Ut tollatur confuſio, vox *cauſa* vel ſumitur latè, vel ſtrictè, vel propriè.

Cauſa latè ſumpta eſt id omne quod neceſſarium eſt & concurrit ad productionem alterius; & eo ſenſu occaſiones, conditiones, elementa, appellantur cauſæ; v. g. apertio feneſtræ, quæ eſt conditio ſine quâ non illuminatur cubiculum, dici poteſt latè cauſa illuminationis; lapis obvius Petro dicitur cauſa lapsûs, &c.

Cauſa ſtrictè ſumitur pro ſolâ causâ efficiente, quia cauſalitas cauſæ efficientis notior eſt & inſignior quàm cauſalitas aliarum cauſarum.

Cauſa propriè definitur principium per ſe influens eſſe in quid contingens.

Cùm dicitur per ſe influens, differt ab occaſionibus, quæ influunt quidem, ſed per accidens; ſic lapis, qui eſt duritie ſuâ occaſio lapsûs, per ſe non influit, ſed per accidens.

Cùm dicitur influens, differt à conditione ſine quâ non, quæ propriè non influit, ſed eſt conditio ſine quâ non foret influxus, v. g. apertio feneſtræ, de quâ ſuprà.

Denique cùm dicitur influens in quid contingens, hoc intelligi debet de causâ principe, quæ debet diſtingui à cauſis inſtrumentalibus.

Cauſa dicit ordinem ad effectum: ità

effectum & cauſa ſunt duo correlata; proindeque ſunt ſimul cognitione, neque unum poteſt intelligi, quin intelligatur alterum.

Effectum & cauſam exiſtere faſſi ſunt hactenùs Metaphyſici omnes, ſi non creatione, de quâ aliquando, ſaltem eductione, quia conſtat & interire & prodire de novo noſtras impreſſiones aliaſque functiones, à quo tandem veniant illæ; unde ipſi Pyrrhonii dicebant quidem ſe non eſſe certos de cauſis determinatis impreſſionum & aliarum functionum, fatebantur tamen ſe certos eſſe de causâ generali, id eſt, fatebantur eas oriri ab aliquâ causâ; quânam? ignorationem profitebantur.

Præterea, licèt non eſſet certitudo metaphyſica exiſtere corpora his modificationibus affecta, quales patent teſtimoniis & relationibus ſenſuum, tamen philoſophicè conſtat ea ſic configurata & modificata eſſe poſſibilia; philoſophicè conſtat illas modificationes non eſſe eſſentiales, proindeque eſſe ſeparabiles & compatibiles, & eſſe poſſe in perpetuâ viciſſitudine, quia hæc concipiuntur; ergo ſupponi poteſt philoſophicè ea ſic exiſtere: porrò non poſſunt ſupponi ſic exiſtentia, niſi ſupponatur cauſa quæ hæc omnia operetur; quænam? aliquando videbitur; ergo dantur cauſa & effectum.

Quanquam hiſce temporibus Langenhe-

rius, poſtquam, agendi ratione planè novâ, Metaphyſicæ notionem pluribus verbis attulit, ut ipſam ſecerneret ab aliis diſciplinis, quæ non ſunt, inquit, niſi nominum diſpoſitiones, dixit palàm effectum & cauſam eſſe metaphyſicè impoſſibilia; ne tamen videretur Religionis vel naturalis hoſtis infenſiſſimus, articulum fidei poſuit, unum Deum creatorem rerum omnium, viſibilium & inviſibilium. Dialogo 3°. pag. 31.

At, bone Deus! qualis eſt iſta fides quæ confitetur punctum quod ratio metaphyſica demonſtrat impoſſibile? rationes legi & audivi quas in diſſertatione de cauſis & effectibus exactiore pollicetur, quibus non modò dicit ſe non intelligere quid ſint cauſa & effectum, ut nos loquimur, cùm agitur de Myſteriis; ſed etiam videtur ſibi impoſſibilitatem cauſæ & effecti ratione naturali demonſtrare: qui eas audiet, audiet ſomniantis deliria.

At, inquies, intelligit ipſe Theologiam ſummâ certitudine idem docere.

Dixit p. 34. id fateor; ſed ſi idem dictum urgeas adversùs ipſum, reſpondet: *Sermonem loquor communem: nondum inventa eſt lingua metaphyſica, ſi quando fuerit, intelligentiæ, mediusfidiùs, caruerit vocabulo, multiſque aliis*; & loquendo metaphyſicè, aſſerit audacter: *cauſa & effectus non differunt, non duæ res ſunt, ſed una*

eademque, nec ſcientia eſt, ſed ignorantia, ſi dicas res eſſe diverſas vel duas.

Hæc in lucem publicam à me miſſa ſunt dum viveret, tum ineunte anno 1702. tum ineunte anno 1703. quæ tamen nec à ſe ſcripta negavit, nec, quod ſciam, emendavit.

Quærunt contentioſiùs Philoſophi quotuplex ſit cauſa propriè dicta: quatuor numerant Peripatetici, finalem, efficientem, materialem, & formalem, quibus exemplarem addunt Platonici: agendo de ſingulis patebit quid ego ſentiam.

Quatuor potiſſimùm in cauſâ propriè dictâ ſpectari poſſunt. Primum eſt entitas, ſeu natura illius, quod cauſa dicitur.

Secundum eſt virtus cauſandi in illâ re, quæ cauſa dicitur; ſeu id per quod cauſa conſtituitur formaliter potens ut cauſet effectum; illud autem dicitur cauſalitas in actu primo.

Tertium eſt ipſa actio cauſandi, ſive ſpecialis influxus cauſæ in effectum; dicitur cauſalitas in actu ſecundo.

Quartum eſt ordo cauſæ ad effectum.

Omnis cauſa prior eſt, ſaltem naturâ, effecto; effectum verò poſterius eſt, quia effectum habet à causâ, quòd exiſtat per productionem ſuî.

Dices: cauſa & effectum ſunt relata; porrò relata ſunt ſimul naturâ: ergo cauſa non eſt naturâ prior effecto.

Diſtinguo majorem : relata formaliter ſumpta ut relata ſunt, concedo majorem : relata materialiter ſumpta, id eſt, ea quæ relata ſunt poſteà in inſtanti à quo antecedenti relationem, nego majorem : atqui, &c.

Diſtinguo minorem : relata formaliter ſumpta ut relata ſunt, ſunt ſimul naturâ, concedo minorem : relata materialiter ſumpta, nego minorem : nam relatio conſequitur influxum cauſæ, & productionem paſſivam effecti. Cauſa verò influens prior eſt, ſaltem naturâ, eo quod producitur.

Dices iterùm : finis non eſt prior mediis : ſed media ſunt effectus finis; ergo, &c.

Diſtinguo majorem : non eſt prior ordine executionis, concedo majorem : ordine intentionis, nego majorem : ergo, &c. Diſtinguo conſequens : finis non eſt prior mediis in ordine executionis, concedo conſequentiam : ordine intentionis, nego conſequentiam.

Itaque prioritas eò loci duplex diſtingui debet; alia intentionis, alia executionis.

Illud eſt prius ordine intentionis, quod priùs intenditur.

Illud eſt prius ordine executionis, quod priùs obtinetur & comparatur.

Porrò finis priùs intenditur; ergo prior eſt mediis in intentione : mediis priùs utimur; ergo finis poſterior eſt in executione, quia poſterior acquiritur & comparatur.

Quidam hanc cauſarum proprietatem laudant, quòd omnes ſibi ſint mutuò cauſæ cur cauſent.

At primò, ſi agatur de cauſa materiali & formali, non ſunt propriè cauſæ, ut videbitur, nec materialis eſt cauſa influxûs formalis.

Secundò. Si agitur de tribus aliis, aliquando finis ità neceſſariò rapit cauſam efficientem, ut cauſa efficiens non ſit cauſa talis influxûs.

De Causâ finali.

Finis eſt propriè cauſa; finis quippe propriè influit; imò cæteras cauſas ità movet & applicat ad agendum, ut ſublato ipſius influxu, cauſa efficiens nihil operaretur, v. g. ſi ægrotus non teneretur deſiderio ſanitatis nec medicos vocaret, nec pararet remedia, nec paratis uteretur; ergo finis eſt propriè cauſa.

Dices: quod non exiſtit, non poteſt propriè influere; priùs enim eſt exiſtere ſimpliciter quàm ſecundùm quid, ut loquuntur: atqui finis non exiſtit; v. g. non exiſtit ſanitas cùm ægrotus vocat medicos, aſſumit remedia; ergo, &c.

Diſtinguo majorem: quod non exiſtit, non poteſt propriè influere phyſicè, putà producendo, concedo majorem: influere

moraliter, putà excitando, nego majorem: porrò finis non exiſtit cùm influit; nam, ut dictum eſt, poſterior eſt in executione, proindeque non poteſt propriè influere, id eſt, producendo, quia non eſt ipſe finis qui producit; ſed poteſt influere propriè & moraliter, quia movet & impellit cauſam efficientem ut producat; quapropter finis non eſt cauſa ſtrictè ſumpta, cauſa phyſica & producens; ſed eſt cauſa propriè, cauſa, inquam, moralis, movens & excitans.

Subſumes: atqui quod non exiſtit non poteſt etiam moraliter influere, nihili quippe nulla eſt virtus, nulla proprietas; ergo finis non eſt cauſa propriè dicta vel moralis.

Diſtinguo ſubſumptum: quod non exiſtit non poteſt moraliter influere, ſi non judicetur poſſibile, concedo: ſi judicetur poſſibile, nego: v. g. hoc ipſo quòd ſanitas ab ægroto judicetur poſſibilis, hoc ſufficit ut vocet medicos, aſſumat remedia, quod idem non ſufficeret ſi judicaretur impoſſibilis, quod idem non ſufficeret ſi ageretur de causâ efficiente, de quâ debet intelligi illud effatum, *priùs eſt exiſtere quàm operari*.

Bonitas vera vel apparens eſt virtus cauſandi cauſæ finalis, ſive ipſius cauſalitas in actu primo; nam virtus cauſandi eſt id per quod cauſa conſtituitur potens cauſare: atqui bonitas vera vel apparens eſt id per quod finis poteſt cauſare, id eſt, movere

& excitare ; v. g. bonitas ſanitatis eſt virtus quâ ſanitas in ratione cauſæ poteſt movere ægrotantem ad aſſumenda remedia quibus ſanitas procuretur : ergo bonitas ſaltem apparens eſt virtus cauſandi cauſæ finalis.

Cauſalitas in actu ſecundo eſt motio ; nam cauſalitas in actu ſecundo eſt actualis influxûs cauſæ, quo poſito, cauſa intelligitur actu cauſans : atqui motione poſitâ, cauſa finalis intelligitur actu cauſans, quippe eò ipſo finis intelligitur influere, cùm cauſa efficiens movetur & allicitur ad agendum ; ergo cauſalitas in actu ſecundo cauſæ finalis, eſt motio.

Hæc motio dicitur vulgò metaphorica propter analogiam quam habet cum motione, cum impulſu quo unum corpus movet aliud, v. g. cum motione quâ ſagitta impellitur ad ſcopum; inde tamen non ſequitur finem eſſe cauſam metaphoricam, quia hæc motio eſt vera cauſalitas, non metaphorica; quemadmodum viror eſt riſus metaphoricus, cùm dicitur : prata rident ; nec tamen viror eſt metaphoricus, ſed verus, verè enim prata virent.

Quærunt eò loci Metaphyſici per quid finis moveat.

Ut eorum verbis utar, duplex eſt eſſe finis ; aliud eſt eſſe intentionale finis, aliud eſſe reale.

Eſſe reale finis, eſt idipſum quod finis eſt.

Eſſe intentionale finis, eſt ipſius finis exiſtentia in intellectu.

Porrò duplex eſt eſſe intentionale finis; aliud eſt eſſe intentionale objectivum, aliud eſt eſſe intentionale formale.

Eſſe intentionale objectivum, eſt bonitas finis cognita.

Eſſe intentionale formale finis, eſt ipſa cognitio bonitatis finis. Finis non movet per ſuum eſſe reale ſimpliciter; nam ad hoc ſatis eſt quòd finis non moveat, niſi ipſius bonitas cognita ſit, id eſt, judicata: atqui finis non movet, niſi ipſius bonitas ſit judicata, quia ignoti, ſive ejus quod non judicatur cognitum, nulla cupido, nullum odium.

Finis non movet etiam per ſuum eſſe intentionale formale, ſed per ſuum eſſe intentionale objectivum; nam per illud movet finis, quod applicat cauſam efficientem ad agendum, & cujus gratiâ operatur cauſa efficiens: atqui non ipſum de fine judicium, ſed ipſe finis judicatus bonus applicat cauſam efficientem ad agendum; cauſa efficiens non operatur propter boni finis cognitionem, quam habet antequam operetur, ſed propter finem qui bonus judicatur: v. g. non ſolùm ſanitatis cognitionem deſiderat ægrotus, ſed ipſam ſanitatem cognitam, cujus gratiâ operatur, & quâ obtentâ, abſtinet à remediis; avarus concupiſcit ipſas

divitias, non autem judicium quod fert de divitiis; ſuperbus ipſos ambit honores; ergo finis movet per ſuum eſſe intentionale objectivum.

Quapropter eſſe intentionale formale finis, id eſt, judicium quod fert de bonitate finis, eſt dumtaxat conditio ſine quâ finis non moveret: nam hoc ipſo quòd finis debeat judicari bonus, ut applicet cauſam efficientem ad agendum, hæc cognitio, ſeu judicium, eſt conditio ſine quâ finis non moveret; hæc enim cognitio prærequiritur ut ipſe finis moveat, quemadmodum approximatio ligni ad ignem prærequiritur ad combuſtionem.

Dices: motio finis nihil aliud eſt quàm finis cognitio; ſed motio eſt cauſalitas finis; ergo cognitio finis ſeu ipſius eſſe intentionale formale eſt ipſius cauſalitas.

Nego majorem: motio enim eſt ex eo quòd finis cognoſcatur, & finem cognitum ut bonum ſequitur, ſed non eſt ipſa finis cognitio ſeu judicium de bonitate finis.

De Effectibus Finis.

Actiones noſtræ ſunt vel circà media, vel circà finem ipſum. Tres autem ſunt actus circà media, ut notavit S. Thomas, ſcilicet conſenſus, electio, & uſus: tres pariter circà finem ipſum, putà volitio, intentio, & fruitio.

Conſtat eas quæ verſantur circà media eſſe effectus finis, quia ſunt propter finem, & ad finem referuntur ſicut ipſa media; v. g. non tantùm potio medica refertur ad ſanitatem, verùm etiam ipſius ſanitatis deſiderium.

Difficultas igitur eſt de illis actionibus quæ verſantur circà finem ipſum; ut tollatur, ſit

PROPOSITIO.

Actiones etiam illæ quæ verſantur circà finem ipſum ſunt effectus finis.

Probatur: ea quippe ſunt effectus finis, quæ fiunt in ejus gratiam ex ipſius bonitate alliciente: atqui actiones quæ verſantur circà finem fiunt ex bonitate finis alliciente appetitum agentis; ergo actiones etiam illæ quæ verſantur circà finem ipſum ſunt effectus finis.

Dices 1°. Illud tantùm eſt effectus finis, quod fit ex amore finis: ſed amor ipſe finis non fit ex amore finis; alioquin daretur progreſſus in infinitum qui in hâc occaſione abſurdus eſt; ergo, &c.

Nego majorem: nec enim neceſſe eſt ut quilbet effectus finis fiat ex amore finis, ſed ſufficit quòd fiat ex bonitate finis alliciente noſtrum appetitum: porrò amor finis fit ex illâ bonitate.

Dices 2°. Ex vulgari axiomate, præſente

fine, ceſſant quæcumque ſunt propter finem: ſed amor finis non ceſſat præſente fine; ergo non eſt propter finem.

Diſtinguo majorem: ceſſant quæcumque ſunt propter finem poſſidendum, concedo majorem: propter finem poſſeſſum & acquiſitum, nego majorem: porrò amor finis, ut loquitur objectio, non ideò ceſſat præſente fine, immò amor ille perpetuus eſt, ſi perpetuò judicetur bonus, ut beati in patriâ judicant; proindeque amor finis non eſt præſente fine propter finem poſſidendum, ſed permanet propter finem poſſeſſum & acquiſitum.

De Causâ exemplari.

Cauſa exemplaris definitur: id ad cujus ſimilitudinem fit aliquid ex intentione agentis; v. g. Cæſaris vultus eſt cauſa exemplaris tabellæ Cæſaris, quia ad ſimilitudinem hujuſce vultûs facta eſt hæc tabella ex intentione pictoris: quòd ſi præter intentionem tabella fieret, jam idem vultus non foret cauſa exemplaris, quia non influeret; quapropter quod narrant de pictore, qui cùm non poſſet ſpumam equi aptè exhibere projiciendo penicillum, aptè depinxit ſpumam, ſpuma vera & realis equi non fuit cauſa exemplaris ſpumæ depictæ.

Cauſa exemplaris eſt cauſa moralis; agit

enim ex cognitione & propenſione agentis, ut patet in exemplaribus quæ ad imitandum ſibi proponunt artifices.

Virtus cauſandi cauſæ exemplaris conſiſtit in vi directivâ ad imitationem ſuî; quia hâc virtute directivâ cauſa exemplaris intelligitur potens ad cauſandum.

Ipſius cauſalitas conſiſtit in actuali directione ad imitationem ſuî, quia per actualem directionem cauſa exemplaris redditur actu cauſans.

Dices: Poſitâ imitatione paſſivâ, cauſa exemplaris intelligitur actu cauſans: ergo hæc imitatio paſſiva eſt ipſius cauſalitas.

Nego antecedens: Poſitâ enim hâc imitatione paſſivâ, intelligitur cauſa exemplaris actu cauſaſſe; actu autem cauſavit, quia direxit, ex quâ directione nata eſt imitatio paſſiva.

Itaque, ſi effectus procedat à causâ efficiente cum imitatione paſſivâ, conſequens eſt cauſam exemplarem eſſe actu cauſantem: ſed ipſius cauſalitas non eſt formaliter in illâ imitatione paſſivâ. Foret manifeſta contradictio; nam cauſalitas ſignificat influxum actualem ortum à causâ in effectum: ſed imitatio paſſiva non ſignificat influxum actualem ortum à causâ in effectum; ergo imitatio paſſiva non eſt cauſalitas in actu ſecundo cauſæ exemplaris.

Exemplar in introductione noſtrâ dictum

fuit duplex; aliud externum, aliud internum.

Externum illud eſt quod extrà ipſum agens poſitum eſt & exiſtit ; illud eſt ad quod agens reſpicit ut operetur : talia ſunt exemplaria quæ Tirones in arte pingendi ſibi proponunt ad imitandum.

Internum illud eſt quod intrà agens intellectuale poſitum eſt, & in ipſius facultatibus reſidet.

Porrò in exemplari interno duo conceptus diſtinguendi ſunt cum Philoſophis ; ſcilicet conceptus objectivus, ut loquuntur, & conceptus formalis.

Conceptus objectivus dicebatur olim à nobis forma ipſa repræſentata per ideam, objectum ipſum ut repræſentatum ; ſic domus idealis, ſive repræſentata in mente Architecti, ità ut Architectus totum ædificium mente concipiat, & veluti gerat.

Conceptus formalis eſt ipſa repræſentatio objecti.

Deus certè, ut mundum hunc aſpectabilem produceret, non eſt uſus exemplari externo ; æonæ quippe Valentinianorum, & ideæ quædam Deo extrinſecæ, figmenta ſunt & Sathanæ mendacia ; nam Deus, quâ Deus eſt, ab æterno intellexit & intelligit quæcumque ſunt intelligibilia ; ergo quæ ſunt metaphyſicè vera ; ergo quæcumque ſunt poſſibilia. Inter poſſibilia, alia ſunt neceſſariò exiſtentia, alia ſunt contin-

genter exiſtentia; nullam aliam regulam ſecutus eſt in ſuis operibus quàm ſuam ſcientiam, ſuamque ſapientiam, quâ futura voluit, præſentia fecit, ordinavit & conſervat.

Ergo ut de nobis ſit diſputatio, quæritur quidnam reverà nos dirigat in operibus noſtris; an exemplar externum, an internum? ſi internum, an conceptus objectivus, an conceptus formalis? Ut huic difficultati fiat ſatis, ſit

PRIMA PROPOSITIO.

Conceptus objectivus eſt idipſum quod dirigit.

Probatur. Nam illud dirigit agens, quod agens imitatur inter agendum, quod eſt id ad cujus ſimilitudinem opus effingit: atqui agens in agendo imitatur conceptum objectivum, id eſt, objectum repræſentatum, & operatur ad ſimilitudinem objecti repræſentati; dum conſtruitur ædificium, Architectus non vult imitari ſuam cognitionem formalem; ſed vult imitari objectum ſuæ cognitionis, ſcilicet domum idealem; Pictor vult imitari vultum Regis à ſe viſum, non autem ipſam viſionem; ergo conceptus objectivus dirigit agens.

SECUNDA PROPOSITIO.

Conceptus formalis eſt conditio ſine quâ non fieret actualis directio.

Probatur. Quia ſi non eſſet conceptus formalis, non eſſet conceptus objectivus; id eſt, ſi non eſſet repræſentatio, objectum non eſſet repræſentatum: jam verò ſi objectum non eſſet repræſentatum, non eſſet id quod dirigit: ergo conceptus formalis eſt conditio ſine quâ non fieret actualis directio.

TERTIA PROPOSITIO.

Exemplar externum reſpectu noſtrî eſt occaſio.

Probatur. Nam illud tantùm eſt occaſio, quod eſt occaſio cur objectum ſit repræſentatum: atqui exemplar externum eſt occaſio cur objectum ſit repræſentatum; vultus Regis eſt occaſio cur excitetur in imaginativâ Pictoris imago viva Regis altiùs impreſſa, quâ ſurgit tabella ad vivum repræſentans.

Dices 1°. Exemplar non dirigit ſecundùm eſſe, quod aliquando nullum eſt: atqui aliquando eſſe objectivum cauſæ exemplaris nullum eſt; v. g. cùm erat conficienda prima navis, nullum tunc erat eſſe objectivum conficiendæ navis: ergo exemplar non dirigit ſecundùm eſſe objectivum, ſed potiùs ſecundùm eſſe formale.

Diſtinguo minorem : aliquando eſſe objectivum cauſæ exemplaris nullum eſt externum , tranſeat : nullum eſt internum , nego : ergo exemplar non dirigit ſecundùm eſſe objectivum , diſtinguo conſequens : non dirigit ſecundùm eſſe objectivum externum , concedo : ſecundùm eſſe objectivum internum , nego.

Itaque eſſe objectivum duplex eſt , internum & externum : objectum externum eſt res ipſa , quæ exiſtit extrà intellectum : ſic vultus Cæſaris poſitivè actu exiſtens extrà mentem Pictoris.

Objectum internum eſt res ipſa , prout eſt cognita & repræſentata.

Equidem exemplar non dirigit ſecundùm eſſe , quod aliquando nullum eſt : porrò aliquando nullum eſt fortaſſe eſſe objectivum cauſæ exemplaris externum : at verò ſemper eſt objectum internum ; proindeque exemplar non dirigit quidem ſecundùm eſſe objectivum externum , ſed dirigit ſemper ſecundùm eſſe objectivum internum: v. g. cùm erat conficienda prima navis, erat in mente artificis navis repræſentata, ad cujus ſimilitudinem prima navis erat conſtruenda.

Dixi fortaſſe aliquando nullum eſſe eſſe objectivum cauſæ exemplaris externum, quia ſi rem velimus attentiùs intueri , certè extrà nos cogitantes extant objecta , ad quorum

ſimilitudinem opera à nobis primùm fiunt; exiſtunt, inquam, non quidem facta ſecundùm omnes ſuas partes, ſimul diſpoſitas & congregatas, ſed ſecundùm partes diviſas, quas, cùm imaginamur, unimus in mente & conjungimus, quæ quidem partes ſunt occaſiones cur à nobis repræſententur objecta ad quorum ſimilitudinem opera conficimus.

Dices 2°. Conceptus formalis dirigit cauſam efficientem: ergo non eſt mera conditio ſine quâ non foret actualis directio.

Diſtinguo antecedens: dirigit tanquam conditio, ſine quâ res cognita non dirigeret, concedo: dirigit tanquam res imitanda, nego; nam objectum ipſum quod proponitur ad imitandum dirigit; cognitio verò eſt dumtaxat mera conditio: ſic, v. g. cognitio Cæſaris vultûs, lux & aër, ſine quibus Pictor non poſſet intueri vultum Cæſaris, licèt dirigant Pictorem tanquam conditiones ſine quibus, non propterea ſunt exemplar Pictoris, ſed potiùs vultus Cæſaris repræſentatus, quia lux, aër, cognitio vultûs Cæſaris, non ſunt ipſa res propoſita Pictori ad imitandum.

Dices 3°. Cauſa exemplaris eſt cauſa externa, ut dictum fuit: ſed exemplar internum non eſt cauſa externa; ergo cauſa exemplaris non eſt exemplar internum.

Diſtinguo majorem: cauſa exemplaris eſt

cauſa externa reſpectu operis, quod fit quia non eſt ejus pars, concedo majorem: cauſa exemplaris eſt cauſa externa reſpectu mentis, nego majorem: porrò exemplar externum non eſt quidem cauſa externa reſpectu mentis, eſt enim intrà mentem poſitum, ſed eſt cauſa externa reſpectu operis quod fit, proindeque eſt propriè cauſa exemplaris.

De Causâ efficiente.

Cauſa efficiens dicitur: id à quo producitur effectus; quo loquendi modo cauſa efficiens differt à cæteris cauſis; nam finis eſt id propter quod aliquid fit; exemplar eſt id ad cujus ſimilitudinem aliquid fit; materia eſt id ex quo aliquid fit; forma eſt id per quod differt id quod fit; ſola cauſa efficiens dici poteſt id à quo aliquid fit.

Hinc cauſa efficiens ſtrictè ſola dicitur cauſa; hinc cauſæ nomen ſtrictè ſumptum vulgò ſumitur apud plurimos pro causâ efficiente.

Cauſalitas cauſæ efficientis in actu primo eſt ipſius virtus activa; nam cauſalitas in actu primo eſt id quo cauſa redditur potens cauſare: ſed per virtutem activam cauſa efficiens redditur potens cauſare; ergo virtus activa cauſæ efficientis eſt cauſalitas in actu primo.

Cauſalitas in actu ſecundo cauſæ efficientis eſt actio ipſa quâ concipitur dare eſſe

effectui ; nam cauſalitas cauſæ in actu ſecundo eſt id quo cauſa redditur actu cauſans : ſed per actionem quâ cauſa efficiens dat eſſe effectui, redditur actu cauſans ; ergo cauſalitas in actu ſecundo cauſæ efficientis eſt actio ipſa quâ dat eſſe effectui.

Quotuplex ſit Cauſa efficiens.

Philoſophi, dum hanc quæſtionem perpendunt, occaſiones & inſtrumenta diligenter à causâ efficiente ſeparant, at minùs cauti & ad ſermonem vulgarem redeuntes eadem poſteà in catalogo cauſarum efficientium collocant. Inde tot cauſarum diviſiones & ſpecies natæ ſunt : numerum hunc cauſarum auxit præjudicium Peripateticum, quo putatur principium aliquod (ſubſtantiale, inquiunt) intrinſecum rebus, productivum motûs, quantitatis motûs, necnon ipſius determinationis, ineſſe iis omnibus in quibus functiones conſpicuæ ſunt, quarum cauſæ ſenſibiliter non apparent, putà in mineralibus, metallis, plantis, belluis, & hominibus.

Verùm quia hæc ex Somatologia pendent, non licèt nobis in Ontologiâ numerare eas cauſarum efficientium ſpecies quas alii vulgò recenſent.

Cauſa efficiens duplex, *quæ* & *quâ*, ſeu principium *quod*, & principium *quo*,

Cauſa efficiens *quæ* eſt ipſa res, ſeu ſubſtantia quæ agit & operatur, v. g. ipſe Petrus, judicans, volens.

Cauſa efficiens *quâ* eſt ipſa facultas quâ res agit & operatur, v. g. intellectus quo Petrus judicat, voluntas quâ vult.

Porrò inſtrumentum quod vocant cauſam inſtrumentariam, diſtingue ab illâ causâ efficiente *quâ*, ſive inſtrumentum naturale ſit, ut manus Petri, ſive ſit artificiale, ut calamus quo ſcribit Petrus; hæc enim propriè non agunt, ſed aguntur.

Cauſa efficiens iterùm duplex, alia prima, alia ſecunda: prima producit independenter à quâcumque aliâ, nec ſuperiorem agnoſcit.

Cauſa ſecunda efficiens primæ ſubordinata agit dependenter à primâ, atque ſimul cum ipsâ, ut ex dicendis conſtabit.

De Effectu.

Omnes norunt effectum illud eſſe quod à cauſa producitur; effectum & cauſam eſſe duo correlata.

Philoſophi ſolent eò loci plurima dubia proponere; quæ ne omittam, ſit

An Effectus corruptus poſſit redire.

Agitur, ut patet, de effectu corruptioni obnoxio; hoc autem unum corruptioni putatur

putatur obnoxium, cujus modificationes pereunt diviſione partium quæ ſubſtantiæ ſint: hinc non agitur de effectu ſpiritali cujus modificationes mutari poſſunt, ſed ſine ullâ diviſione partium quæ ſubſtantiæ ſint, cùm ſpiritus ſit una entitativè ſubſtantia, id eſt, carens partibus quæ ſubſtantiæ ſint.

Agitur ergo de aliquo materiali, de corpore, v. g. de grano tritici, de ligno: quæritur ergo utrùm granum tritici quod periit ſub ratione grani, dum in farinam converſum eſt, in panem, in chylum, &c. poſſit iterùm idem numero redire; id eſt, utrùm ſubſtantia ipſa ex quâ conſtabat ſimili poſſit partium diſpoſitione mechanicâ donari. Sit

PRIMA PROPOSITIO.

Effectus corruptus poteſt abſolutè redire.

Probatur. In eo quippe nulla eſt repugnantia; ſcilicet quidni eadem præcisè materiæ portio quæ in granum tritici compacta fuerat, iterùm per radicum oſtiola ingreſſa, in idem granum compingatur?

Dices: Dies heſternus non poteſt idem numero redire, etiam divinitùs: ergo idem numero effectus corruptus non poteſt idem numero redire.

Diſtinguo antecedens: Dies heſternus,

id eſt, duratio ſive noſtra, ſive divina, non poteſt eadem numero redire, etiam divinitùs, concedo antecedens: nam duratio, quæcumque ſit, eſt formaliter ſucceſſiva; ſi divina eſt, ipſius partes ſucceſſivè fluentes ſunt inſeparabiles, ſunt enim durationes ſubſtantiæ neceſſariò exiſtentis quæ una eſt entitativè: ſi verò noſtra eſt, partes ipſius eſſentialiter ſucceſſivæ ſunt ſeparabiles; dies heſternus, id eſt, ea quæ facta ſunt hoc die redire non poſſunt, eâ ratione quâ à nobis expoſitum eſt, nego antecedens & conſequentiam.

SECUNDA PROPOSITIO.

Si effectus corruptus redeat idem numero, illud rarò fit.

Probatur. Experientiâ enim quotidianâ compertum habemus Naturam diverſo gaudere, & ex corruptione unius effectûs ſequi tam varios ut vel nulla deprehendatur ſimilitudo: quomodo ergo rediret indiſtinctio; v. g. quænam intercedit ſimilitudo inter vermem ipſamque herbam, quæ ex canis mortui partibus concreſcunt?

Dices: muſcæ quædam vitæ expertes, rigeſcente brumâ, reviviſcunt verno tempore, excitatæ calore ſolis: ergo non ità rarò effectus corruptus poteſt redire idem numero.

Primò. Muſcæ illæ, ſive non ſint expertes vitæ, ſive ſint, dici non poſſunt corruptæ, & iſta corruptio ſenſilis non eſt, cùm permaneat diſpoſitio partium ſimilis.

Secundò. Quæ reviviſcunt verno tempore, non erant vitæ expertes, ſed quaſi dormire videbantur, rigeſcente brumâ, quemadmodum arbores eodem tempore videntur mortuæ, licèt ipſarum ſuccis inſit motus aliquis : ſic & ineſt interioribus muſcæ partibus quæ reviviſcunt.

Tertiò. Si ſint vitæ expertes, ſanguis earum, ſpiritus animales & vitales, debuerunt omnes evaneſcere ; proinde ſi reviviſcunt accedente tempore verno aut æſtate plenâ, alii ſpiritus vitales & animales accedere debent, proindeque non eſt idem numero corpus muſcæ.

Quæres utrùm effectus corruptus redierit aliquando idem numero.

Neſcio, & ſi quis bonâ fide loqui voluerit, neceſſe eſt ut mecum maneat dubius & anceps ; enimverò poſitâ certâ quantitate motûs in materia cum ſpeciali determinatione, ſequi abſolutè potuit effectum eumdem numero redire ; ſequi potuit eumdem numero non redire, quod ultimum quotidianâ experientiâ compertum habemus : porrò quis eſt aut quis fuit Dei conſiliarius, ut judicet hanc quantitatem motûs potiùs quàm illam, hanc determinationem

potius quàm aliam à Deo fieri, ut effectus corruptus idem numero redeat, & partes eaſdem quæ ſubſtantiæ ſint à ſe invicem diviſas colligat, atque ſimili diſpoſitione mechanicâ compingat.

Utrùm idem numero effectus poſſit produci eodem loco & tempore à pluribus cauſis efficientibus, totalibus, & minimè ſubordinatis.

Si occaſiones & inſtrumenta cauſarum efficientium non numerarentur inter cauſas merè efficientes, ut reverà non deberent numerari, dubium illud non excitaretur; neque enim proponi poſſet, quia reverà non ſunt plures cauſæ totales efficientes, quæ non ſint ſubordinatæ; imò unica eſt cauſa efficiens totalis cùm agitur de motu, de quantitate motûs, & de determinatione motûs, putà Deus ipſe: ſed, ut in ipsâ Peripateticorum opinione loquar, in quâ occaſiones & inſtrumenta, ſi ſunt diverſa ſubjecta, dicuntur cauſæ totales, illud dubium propoſui; quapropter in hâc hypotheſi,

Cauſa totalis ea eſt, quæ ad ponendum effectum non indiget conſortio alterius cauſæ ejuſdem ſecum ordinis & generis: ſic bajulus, qui non indiget conſortio alterius bajuli ad ferendum aliquod pondus, ſi ſolus

illud pondus ferat, dicitur cauſa totalis.

Cauſa partialis ea eſt quæ ad ponendum effectum indiget conſortio alterius cauſæ ejuſdem ordinis & generis; ſic equus jugalis, qui ſolus non poteſt trahere trabem aliquam, & juvaretur ab alio, cenſeri deberet cauſa partialis hujuſce tractionis.

PRIMA PROPOSITIO.

Idem effectus, juxtà ordinem à Deo conſtitutum, non eſt eodem loco & tempore à pluribus cauſis totalibus minimè ſubordinatis.

Probatur: nam juxtà ordinem à Deo conſtitutum, quævis cauſa totalis ſuum habet effectum proprium ſibi atque eſſentialem; & ſi adſit altera cauſa, hæc pariter ſuum habet effectum ſibi proprium, unde prior totalis non eſt; quod licèt facilè intelligatur, ſequentes tamen proponi ſolent difficultates.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. Si duo Elephantes eamdem paleam traherent, eſſent ambo cauſæ efficientes totales, & minimè ſubordinatæ, ejuſdem tractionis: atqui naturaliter fieri poteſt ut duo Elephantes eamdem paleam trahant; ergo naturaliter fieri poteſt ut duæ

cauſæ totales, & minimè ſubordinatæ, producant eumdem effectum, putà paleæ tractionem.

Nego majorem: nam duo Elephantes trahentes paleam, non ſunt cauſæ totales hujuſce tractionis, ſed cauſæ tantùm partiales; nam motus neceſſarius ad trahendam paleam non oritur totus ab elephante A, totus ab elephante B, ſed partim ab uno, partim ab alio; quod quidem experimento ſenſibili non conſtat, ſed ratione demonſtratur.

Scilicet, elephas A gradiendo tantùm præcisè virium adhibet, quantùm opus eſt ad propriam corporis molem ſuſtinendam & deferendam; ſic pariter elephas B: hinc, ſi accedat novum aliquod pondus, nova aliqua moles, tametſi leviſſima, neceſſe eſt adhiberi vires novas, ut nova moles, novum pondus ſuſtineatur & deferatur: porrò feſtuca, ſeu palea, eſt aliqua moles, eſt aliquod pondus, quod additur in prædictâ hypoteſi ad elephantis molem; ergo, ſi trahatur palea à duobus elephantibus, ſequitur unumquemque elephantem producere partem motûs neceſſarii ad paleam deferendam.

Et certè, ſi duo elephantes traherent trabem magni ponderis, adverſarii faterentur fore ut elephantes in hâc hypotheſi eſſent cauſæ partiales hujuſce tractionis: porrò

ſe habent duo elephantes, proportione ſervatâ, ad deferendam paleam, ut ad trahendam trabem magni ponderis; nam quemadmodum trabs poteſt dividi in partes æquales paleæ ratione ponderis, ſic motus quo trabs defertur poteſt dividi in partes æquales motui quo palea trahitur; ergo, ſi totus niſus neceſſarius ad trahendam trabem non producitur ab unoquoque elephante, certè nec totus conatus neceſſarius ad paleam trahendam producitur ab unoquoque elephante, ſed partim ab uno, partim ab altero. Nimirùm ſupponamus requiri gradus motûs 64 ad trahendam trabem, profectò requiruntur 32 ad movendam mediam partem, 16 ad movendam hujuſce mediæ mediam, 8 ad tertiam mediam, 4 ad quartam, 2 ad quintam, 1 ad ſextam, medietas unius gradûs ad ſeptimam, & ſic per medietates, donec diviſio pervenerit ad partem æqualis ponderis cum paleâ, & ad illam quantitatem motûs æqualem quantitati quâ palea defertur; ergo elephantes non ſunt cauſæ totales, ſed partiales, tractionis paleæ.

Quamobrem ſi vel pulviſculus adhæreat pilo elephantis, neceſſe eſt ut plùs virium adhibeat elephas propter hunc pulviſculum quàm ſi illo careret.

Objicies 2°. Idem effectus produci poteſt à pluribus cauſis efficientibus totalibus

ſubordinatis, & quidem naturaliter, ſive juxtà ordinem à Deo conſtitutum: v. g. Deus, ſol & homo, generant hominem; ergo idem effectus poteſt eſſe, juxtà ordinem à Deo conſtitutum, à pluribus cauſis efficientibus totalibus & minimè ſubordinatis.

1°. Negatur vulgò conſequentia, & diſparitas affertur, quia cauſæ ſubordinatæ ſe habent ut moventes & motæ: porrò quoties, inquiunt, una cauſa movetur ab aliâ, benè ſequitur eumdem effectum poſſe ſimul proficiſci à pluribus cauſis totalibus in genere; v. g. ſcriptio ſimul procedit totaliter à manu, totaliter à brachio: at verò plures cauſæ completæ ad agendum non poſſunt eumdem numero effectum attingere influxu minimè ſubordinato & minimè connexo, ſed habere debent unaquæque effectus ſibi proprios, proindeque diſtinctos ſaltem numero.

2°. Sive cauſæ ſubordinatæ ſint, ſive non ſint ſubordinatæ, quod ab unâ producitur, non producitur ab aliâ; v. g. patet in generatione filii non producit quod à matre producitur, nec viciſſim mater quod à patre; Deus, ſol, & homo, generant hominem; hoc benè: ſed 1°. Deus ſolus creat animam rationalem, ſolus creavit materiam, ſolus produxit motum, ſolus poſuit leges ſecundùm quas communicari debet & determinari: 2°. ſol, motus &

cum motu activus non producit quod ab homine producitur, & viciſſim homo motus & cum illo motu activus, non producit quod à ſole producitur; pariter calamus, manus, brachium, quæ dicuntur cauſæ totales ſcriptionis, idem præcisè in ſcriptione non operantur. Calamus inſtrumentum eſt quod aptatur & movetur: manus & brachium ſunt organa: ſed eſt prætereà voluntas imperans & jubens, ad cujus nutum & propenſionem organa moventur, quæ hoc motu activa calamum movent, qui pariter hoc motu activus caracteres pingit: porrò quod fit à voluntate non fit à brachio; quod fit à brachio non fit à manu; quod fit à manu non fit à calamo, & viciſſim: at, ut cauſæ totales minimè ſubordinatæ eumdem numero effectum producerent quod ab unâ producitur, deberet ab alterâ produci; ergo naturaliter ſaltem, idem numero effectus non poteſt oriri à pluribus cauſis totalibus efficientibus minimè ſubordinatis.

SECUNDA PROPOSITIO.

Nequidem divinitùs idem numero effectus oriri poteſt à pluribus cauſis totalibus, efficientibus, minimè ſubordinatis, eodem loco & tempore.

Probatur: quia fieri nequit, ut anteà

dicebatur, id quod ab unâ causâ producitur, ab alterâ in eodem loco & tempore produci, ſive cauſæ ſubordinatæ ſint, ſive non ſint.

Dices: plures Sacerdotes in ordinatione eamdem ſimul hoſtiam conſecrant tanquam cauſæ totales; ergo, ſaltem divinitùs, idem numero effectus oriri poteſt à pluribus cauſis totalibus, efficientibus, minimè ſubordinatis, eodem loco & tempore.

Diſtinguo antecedens: tanquam cauſæ totales & morales, concedo: totales & phyſicæ, nego.

Dices iterùm: ſi foret contradictio, ſe teneret ex parte identitatis loci, quia fatentur Catholici effectum jam exiſtentem & productum in uno loco, poſſe divinitùs reproduci in alio loco: atqui identitas loci non importat contradictionem, quia penetratio corporum poſſibilis eſt; ergo poteſt divinitùs idem numero effectus, &c.

Nego minorem: ſcilicet fieri non poteſt ut duæ cauſæ totales ſimul producant eumdem effectum, quia unaquæque cauſa quæ aſſignatur ut totalis, proprium ſibi & ſpeciale poſtulat.

De Cauſis efficientibus per accidens.

Cauſa dicitur eſſe per accidens, cùm producitur effectus qui non videtur inten-

tus; ſic, cùm tegula cadens interficit hominem, tegula dicitur cauſa per accidens occiſionis, quia occiſio non eſt finis intentus, ſive à tegulâ, ſive ab homine occiſo.

Hinc cauſa creata per accidens multiplex eſt reſpectu noſtrî, quia plurima nobis eveniunt præter ſpem & intentionem; ſic aliquando evenit foſſori quòd nummos reperiat, præter ſpem & intentionem foſſoris.

Deus non eſt cauſa per accidens, quia nihil fit præter intentionem Dei; ipſe nempe attingit omnia vel minutiſſima à fine uſque ad finem fortiter & ſuaviter; nullus eſt igitur effectus per accidens reſpectu Dei, ſed dumtaxat reſpectu noſtrî, quia, ut docebitur poſteà, nihil eſt fortuitum, nihil eſt cauſale reſpectu ipſius; vocat enim ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.

Quapropter effectus per accidens eſt tantùm reſpectu cauſarum ſecundarum, quibus aliquid videtur fortuitò evenire, dum evenit præter ſpem & intentionem.

Totum illud patebit exemplo duorum ſervorum qui in eumdem locum ſecretâ domini voluntate mittuntur propter aliquem finem ſoli domino cognitum. Profectò concurſus ſervorum qui per diverſa itinera ad eumdem locum pervenêre, ſi comparetur ad ſervos, videbitur fortuitus, quia eſt præter eorum intentionem; at, ut habet ſanctus Thomas parte 1, Quæſt. 22. Art. 2.

Si comparetur ad Dominum, qui ſecretâ providentiâ hujuſmodi concurſum ordinavit, jam non poteſt dici fortuitus, cùm factus ſit ex ipſius intentione & providentiâ; ergo quæcumque contingunt præter intentionem cauſarum ſecundarum, duplicem habent cauſam, primam reſpectu cujus effectus non eſt per accidens, & ſecundam reſpectu cujus effectus eſt per accidens.

* Cauſæ primæ effectuum per accidens, reſpectu noſtrî, notitiam aliquam habuerunt nonnulli Philoſophi veteres, Socrates, Plato, &c. At inter Paganos plebecula quædam confinxit Numina tanquam cauſas per accidens, quæ fortunam & caſum dixerunt.

Idem non licet Philoſophis, præſertim Chriſtianis, apud quos fortuna nihil aliud eſſe debet quàm divina providentia ſecretiori conſilio cuncta componens, vel ea quæ nullam videntur habere inter ſe connexionem.

Fortuna igitur non eſt Numen iſtud cœcum & volatile, quod uno pede inſiſtens globo plurimi fingunt: hæc imago ſcriptura eſt hieroglyphica, primùm ingenioſè excogitata, ſed deinde hominum imperitiâ malè intellecta; nec enim deſignat ipſam cauſam quæ cœca ſit, quæ mutabilis, quæ agat fortuitò, ſed deſignat res ipſas fortuitas quæ non habent connexionem, niſi eam

quam poſuit Deus: ex hâc proinde imagine vir ſapiens concludit hiſce fortuitis rebus non eſſe fidendum, nec in iis ſpem noſtram eſſe ponendam: concludit fidendum eſſe ſoli Deo omnia diſponenti, in quo ſolo ſperandum eſt, ne confundamur in æternum: hinc intelligi poteſt quàm turpis fuerit eorum opinio qui Numen aliquod peculiare, quod eſſet fortuna, colendum propoſuêre; quod quidem, cùm multi deteſtantur & horrent, factis tamen ſuis probant homines, licèt aliunde ſatis boni & ingenioſi; alii nolunt ludere certis diebus, alii nolunt peregrinari, & nihil audent ſuſcipere, præcisè quia dies appellatos noxios eſſe ſibi exiſtimant; alii nolunt menſæ accumbere, ſi tredecim fuerint; alii volunt agere cum quibuſdam quibus Numen iſtud eſſe propitium contendunt.

Igitur divina Providentia applicata rebus dirigendis fortuna dici poterit, quo ſenſu dicitur fortuna Cæſaris, fortuna Alexandri, quatenùs hæc Providentia dirigit ad aliquem finem ſibi ſoli cognitum quæcumque Cæſari & Alexandro eveniunt, quæque reſpectu noſtrî fortuita ſunt; ſi largiatur Providentia quæ commoda æſtimantur, dicitur bona fortuna; ſi quæ ſunt incommoda, vocatur adverſa.

Fortuna aliquando ſumitur pro ipſo fortuito effectu, quo ſenſu commoda vo-

cantur bona fortunæ; adverſa, mala fortunæ dicuntur.

Fortuna & caſus ſumuntur aliquando promiſcuè, aliquando datur inter ea diſcrimen; hoc autem diſcrimen eſt: nempe fortuna eſt dum fortuitum aliquid evenit, ſi eveniat ab eo quod liberè fit & ex electione: v. g. ſi quis fodiens terram inveniat theſaurum, dicitur uti fortunâ, quia inventio theſauri contigit homini liberè fodienti: at caſus eſt ſeu aliquid caſuale evenit in iis quæ fiunt ſine electione & libertate: hinc, ſi tegula cadens occidat Petrum, occiſio Petri caſus eſt, quia contingit ex lapſu qui neceſſariò fit; caſus ergo eſt ab aliquo quod fit neceſſariò, fortuna ab aliquo quod fit liberè.

Ut aliquid ſit ex fortunâ, nonnulli poſtulant ut effectus raró contingant: hinc forruitum dixit Ariſtoteles quod raró fit: at quotiès aliquid fit ſine ratione nobis cognitâ, fortuitum dici poteſt, licèt frequentiùs eveniat: imò qui frequentiùs lucratur ex ludo caſuali, ut loquuntur, dicitur uti bonâ fortunâ, & qui ſæpiùs perdit, adverſam dicitur ſuſtinere fortunam.

De Fato.

Diverſæ hominum opiniones fecêre ut effectus qui per accidens dicti ſunt, quique fortunæ & caſui tribuuntur, ab aliis dicti

fuerint fatales, & ad fatum relati fuerint.

Fatum autem eſt Numen aliquod cœcum quod ineluctabili neceſſitate rapit omnia, Deos ipſos, ut loquitur Seneca.

Verùm apud Chriſtianos tale fatum nullum eſt, ut probat Auguſtinus lib. 5. de Civit. Dei, cap. 1.

Fatum tamen ſenſu catholico admitti poteſt, vel pro ipsâ Providentiâ Dei, quæ omnia dirigit, vel pro ipsâ ordinatione cauſarum ſecundarum, quo ſenſu definitur à Boetio lib. 4. de Conſol. phil. prosâ 6. *Inhærens rebus mobilibus diſpoſitio, quâ Providentia ſuis quæque nectit ordinibus.*

Deus quippe ordinavit omnes cauſas, tum generales, tum particulares, ut in rebus mutationi obnoxiis omnia cohærenter eveniant; ergo illa diſpoſitio, ut eſt in mente divinâ, nuncupatur Providentia; ut autem rebus productis & ordinatis ineſt, fatum potuit appellari; hâc tamen conditione ut credatur hanc diſpoſitionem, quæ tam ſuavis eſt quàm fortis, factam fuiſſe juxtà modum agendi unicuique rei particularem, liberum nempe in creaturis liberis, neceſſarium verò quoad operari in neceſſariis.

Fatum ergo ſic expoſitum exiſtere tam certò conſtat quàm conſtat exiſtere ipſammet Dei providentiam; neque enim eſt diſpoſitio activa, niſi ſit paſſiva.

Ex eo quòd fatum ſit hæc diſpoſitio paſſiva inhærens rebus mobilibus, ſequitur ea ſolùm ſubdi fato quæ ſubduntur cauſis ſecundis, v. g. creatio, quæ cauſis ſecundis non ſubditur, non ſubditur fato; quapropter quantò aliquid longiùs à mente divinâ diſcedit, eò nexibus fati majoribus implicatur, quia magis ſubditur neceſſitati cauſarum ſecundarum, ut habet S. Thomas 1. part. quæſt. 116. art. 4.

De Cauſâ materiali & Cauſâ formali.

Quæ fuſiùs à me dicta ſunt de cauſâ materiali & de cauſâ formali in introductione, hîc non retractabo; hoc unum obſervo: nomen cauſæ latè ſumi cùm tribuitur & ei ex quo aliquid componitur, & ei per quod aliquod differt; hæc duo accuratiùs dicuntur elementa quàm cauſæ, ſunt enim principia compoſitionis, tum in phyſicis, tum in metaphyſicis; in phyſicis quidem materia quæ, ut videbitur, merè paſſiva eſt, propriè non cauſat; forma verò, nedum cauſet, eſt propriè terminus generatione productus: ſic forma ignis generatione ſeu eductione producta eſt; ſunt ergo materia & forma, elementa ſeu partes totius phyſici: in metaphyſicis autem genus & differentia ſunt pariter elementa ſeu partes totius metaphyſici.

COROLLARIUM.

Ergo cauſa ſtrictè ſumpta unica eſt, putà cauſa efficiens.

Ergo cauſa propriè ſumpta triplex eſt, putà finalis, exemplaris, efficiens.

Peripatetici fruſtrà contendunt cauſam exemplarem revocari ad cauſam formalem.

Nam 1°. Cauſa exemplaris interna agenti eſt externa reſpectu effectûs, neque enim eſt pars ipſius effectûs; cauſa verò quæ dicitur formalis, eſt pars ipſius effectûs.

2°. Forma, ut modò dicebatur, non eſt propriè cauſa; atque, nedum ſit ipſa cauſa exemplaris, eſt ipſe effectus qui naſcitur ex cauſâ exemplari; quod quidem S. Thomas 1. part. quæſt. 44. art. 3. quamvis dicatur nobis adverſari, faſſus eſt his verbis: *Ad productionem alicujus rei, ideò neceſſarium eſt exemplar, ut effectus determinatam formam conſequantur; artifex enim producit determinatam in materiâ propter exemplar ad quod inſpicit.*

De Principiis Compoſitionis.

Compoſitio, ut obſervatum eſt in introductione, eſt, juxtà etymologiam, poſitio unius cum alio; juxtà rem, eſt conjunctio plurium quæ conjuncta conſtituunt totum: duplex autem eſt, phyſica, vel metaphyſica.

Compoſitio phyſica eſt unio partium quæ ſint ſubſtantiæ.

Compoſitio metaphyſica eſt compoſitio totius quod excludit partes quæ ſint ſubſtantiæ.

Hinc ſpiritus omnes ſunt compoſiti metaphyſicè, nam ſpiritus, ut videbitur, eſt ſubſtantia entitativè una, id eſt, carens partibus quæ ſubſtantiæ ſint; corpora verò omnia ſunt compoſita phyſicè, quia nullum eſt corpus quod non conſtet ex partibus quæ ſubſtantiæ ſint, ut docebitur: hinc pariter quæ reſultant ex corpore & ſpiritu, ut homines, ſunt phyſicè compoſita.

Quæres quænam ſit compoſitio inter materiam, quæ certè ſubſtantia eſt, & formam quæ non ſit res, ſed quæ ſit mera modificatio; nimirùm recentiores docent corpora ſaltem inanimata non eſſe niſi materiam certâ ratione modificatam; quapropter in hiſce corporibus compoſitio eſt ex materiâ & illis modificationibus ſeparabilibus; quænam?

Hæc compoſitio eſt phyſica; nam illa compoſitio phyſica eſt quæ fit ex iis partibus quæ ſeparari non poſſunt, niſi fiat mutatio in partibus quæ ſubſtantiæ ſint: atqui, dum totum conſtat ex materiâ & ex modificationibus ſeparabilibus, tunc modificationes ſeparari non poſſunt, niſi fiat mutatio partium materiæ quæ ſubſtantiæ

ſunt ; ſcilicet formæ illæ accidentales perire non poſſunt niſi, vel tranſpoſitione, vel additione, vel detractione partium quæ ſubſtantiæ ſint ; ergo hæc compoſitio phyſica eſt.

Ex his ſequitur compoſitionem ex ſpiritu angelico & ex perfectionibus quibusdam ſeparabilibus phyſicam non eſſe, ſed metaphyſicam, quia perfectiones ab Angelo (adde ipſam animam rationalem) ſeparabiles ſeparantur ſine mutatione partium quæ ſubſtantiæ ſint ; nimirùm quoties ſubſtantia eſt entitativè una, id eſt, quoties caret partibus quæ ſubſtantiæ ſint, toties eſt compoſitio metaphyſica.

Ergo totum phyſicum illud eſt cujus partes ſubſtantiæ ſunt.

Totum autem metaphyſicum illud eſt quod caret partibus quæ ſubſtantiæ ſint.

Cætera quæ pertinent ad compoſitionem lege in introductione ; hîc perſequar varias compoſitionis metaphyſicæ ſpecies : ſit itaque

De Actu.

Actus vox obſcura, ſi quæ fuit unquam ; tot actuum ſpecies recenſuerunt Philoſophi Commentariorum auctores, ut nemo poſſit actum genericè ſumptum aliquâ ratione exponere : actus, inquit Magiſter Barbay, eſt perfectio quædam ; ſed 1°. Quidam

ſunt actus qui non ſunt perfectiones ſubjectorum ſuorum, ut modò videbitur.

2°. Deus ipſe dicitur actus, Angelus dicitur actus ab iiſdem Philoſophis; ſic anima rationalis: Deus quidem actus puriſſimus: Angelus actus purus; homo actus impurus: porrò Deus, Angelus, homo, poſſuntne vocari termino abſtracto perfectiones? Quid abſurdius ſubſtantiam vocari actum? hæc autem ſubjecta ſubſtantiæ ſunt.

Verùm, quod diligenter obſervandum eſt, vox illa *actus*, Græcè ἐνέργεια ἐντελέχεια ab Ariſtotele deſumpta eſt; Ariſtoteles autem videtur unicam admiſiſſe ſubſtantiam; & ideò Deum, Angelos, animamque rationalem nomine actûs definivit; & ideo virus latet in definitionibus, vel in ipsâ definitione ſubſtantiæ, quas ab ipſo excerpſerunt Philoſophi de Deo, de Angelo, quem nomine abſtracto intelligentiam dixit, de animâ rationali, quam definivit actum primum corporis organici poteſtate proximâ vitam habentis rationalem.

Itaque actus ſit forma quædam ſuperaddita potentiæ, quâ res fit id quod erat antea poteſtate tantùm: v. g. res merè poſſibilis exiſtat, exiſtentia actus eſt, aqua fiat calida, calor præſens quo aqua poteſtate calida, reverà calida fit, actus eſt, &c.

1°. Actus, vel eſt ſeparabilis, vel eſt inſeparabilis; id eſt, vel potentia poteſt eſſe ſine eo, vel non.

Actus ſeparabilis, vel eſt perfectivus ſui ſubjecti, vel eſt minimè perfectivus.

Actus perfectivus ſui ſubjecti is eſt qui ſuî præſentiâ ponit perfectionem in ſubjecto ipſumque reddit melius, & cujus abſentiâ foret deterioris conditionis: facultates autem divinæ nunquam eſſe poſſunt ſine tali actu; v. g. potentia intelligendi in Deo nuſquam poteſt eſſe ſine intellectione actuali: at dantur tales actus in creaturis, v. g. actus prudentiæ, fortitudinis in homine, ſine quibus facultas hominis eſſe poteſt.

Perfectio verò definitur à S. Anſelmo melior ipſa quàm non ipſa, ſive forma quam melius eſt habere quàm non habere.

Actus minimè perfectivus ſui ſubjecti is eſt qui nec ſuî præſentiâ ponit perfectionem in ſubjecto, neque abſentiâ perfectionem detrahit à ſubjecto, qualis eſt actus hominis ambulantis, vel versùs orientem, vel versùs occidentem, qualis eſt actio creandi reſpectu omnipotentiæ & reſpectu Dei. Hinc minùs accuratè loquuntur qui dicunt actum eſſe potentiæ perfectionem; quod quidem verum eſt de actibus & de potentiis in Deo quæ reſpiciunt objecta neceſſaria, ſed quod verum non eſt de actibus & potentiis in Deo, qui reſpiciunt objecta libera & contingentia.

2°. Actus, vel eſt phyſicus, vel eſt metaphyſicus.

Actus phyſicus eſt actus ſeparabilis cum

mutatione partium quæ ſubſtantiæ ſint; v. g. calor ab aquâ ſeparabilis.

Actus metaphyſicus eſt actus inſeparabilis, vel ità ſeparabilis ut nulla fiat mutatio partium quæ ſubſtantiæ ſint: hinc quilibet actus inſeparabilis eſt metaphyſicus; ſed quilibet actus metaphyſicus non eſt ideò inſeparabilis: v. g. intellectio actualis reſpectu animæ rationalis eſt actus metaphyſicus, cùm anima rationalis excludat à ſe compoſitionem phyſicam, id eſt, partium quæ ſubſtantiæ ſint; tamen intellectio actualis ſeparabilis eſt ab animâ rationali, ſed ità ſeparabilis eſt ut nulla fiat mutatio partium quæ ſubſtantiæ ſint, in ipsâ anima rationali, quippe quæ careat hiſce partibus.

Iidem Commentatores actum diſtinxerunt in actum ſuî, ſive actum ſubſiſtentem & actum alterius: actum ſubſiſtentem dixêre, vel impurum ut hominem, vel purum ut Angelum, vel puriſſimum ut Deum.

Sed eſt in terminis contradictio; nollemque, ut anteà notatum eſt, Deum vocare ἐνεργείαν, ſeu efficaciam ἐντελέχειαν, ſeu diſpoſitionem, ordinationem; ſic Angelum, ſic animam rationalem; ergo quilibet actus eſt alterius.

Actum alterius alium dixerunt primoprimum, qualis eſt forma ſubſtantialis cujuſque rei; quo ſenſu anima dicitur actus

primus corporis organici poteſtate proximâ vitam habentis rationalem; alium pr mum, qui eſt potentia activa : hinc videre in actu primo, eſt poſſe videre; exiſtere Romæ in actu primo, eſt poſſe exiſtere Romæ; alium denique actum ſecundum, qui reverà actus eſt : hinc exiſtere Pariſiis in actu ſecundo, eſt reverà exiſtere Pariſiis; quid inde ? Petrus dici poteſt exiſtere Romæ, & exiſtere Pariſiis; Romæ quidem in actu primo, Pariſiis verò in actu ſecundo.

Sed quæ confuſio ? Ut Ariſtotelem in ſuas partes traherent, voces illas commenti ſunt. Subſtantia nuſquam dicatur actus; potentia, ut potentia eſt, nuſquam dicatur actus.

At, inquies, voces illæ mirum in modum inſerviunt diſtinguendis propoſitionibus : v. g. ſi quis diceret, qui exiſt t Romæ, exiſtit Pariſiis, reſponderi poſſet; diſtinguo : exiſtit Pariſiis in actu primo, quia habet virtutem eundi Pariſios, concedo : exiſtit Pariſiis in actu ſecundo, quaſi reverà & de facto exiſtat Pariſiis, ſubdiſtinguo : ſi ſit tantùm Romæ in actu primo, concedo : ſi ſit Romæ in actu ſecundo, nego. Si quis diceret : qui ſedet, ambulat, eadem diſtinctio adhiberetur : ambulat in actu primo, quia habet virtutem ambulandi, concedo : ambulat in actu ſecundo, quaſi reverà & de facto ambulet, nego.

Bellum ædepol philoſophandi genus! hoc tamen cibo delectantur verſatiles in utramque partem Philoſophi; has ineptias amant & avidiùs ſectantur Auctores θεσέων, in quibus utrinque feriens Philoſophus affirmat & negat; eaſdem verò nos aſpernamur & omninò rejicimus.

Mitto dicere quid ſit actus ſignatus, quid ſit actus exercitus, &c. ſit itaque

De Potentiâ.

Lege quæ à nobis dicta ſunt in introductione, habebis quid potentia ſit, necnon diverſas potentiæ ſpecies.

His addo potentiam tum activam, tum paſſivam, vel eſſe phyſicam, vel metaphyſicam.

Phyſica eſt ſeparabilis ab actu, ſed cum mutatione partium quæ ſubſtantiæ ſint, v. g. potentia in aquâ, ut ſit calida.

Potentia metaphyſica eſt potentia inſeparabilis ab actu, vel ità ſeparabilis ut nulla fiat mutatio partium quæ ſubſtantiæ ſint: inſeparabilis quidem, ut potentia intelligendi in Deo, inſeparabilis ab intellectione actuali; ſeparabilis verò, ut potentia intelligendi in animâ rationali, ſeparabilis ab intellectione actuali.

Dictum pariter fuit eò loci, quid ſit potentia ſupernaturalis, aliter obedientialis; ſed

ſed ut argumentum iſtud uberiùs tractetur, ſit

De Potentiâ obedientiali.

Potentia ſupernaturalis, dicta obedientialis, quia creatura Deo obſequitur, reverà exiſtit, ſive ſit paſſiva, ſive ſit activa.

Paſſiva quidem; quia ſi jam ignis moveatur ſursùm & calefaciat, quidni Deus, qui motuum leges liberè poſuit, eas, juxtà decretum à ſe poſitum ab æterno mutet, faciatque ut ignis moveatur deorsùm & refrigeret? Quapropter nihil incredibile propoſuit Scriptura ſacra dum exhibet tres viros in fornace Babylonicâ conſervatos; cùm clamat Jordanem converſum eſſe retrorsùm: uno verbo, nihil Eccleſia Catholica, cùm proponit varia miracula quorum exempla ſunt in Scripturâ ſacrâ.

Activa verò datur potentia obedientialis, quia Deus facultates noſtras peccato originali infirmatas, & veluti morbidas, ſanare poteſt, & ſolvere vincula quibus ligatæ ſunt hoc peccato & habitibus in malo confirmatis, eaſque corroborare, ut eliciant actus ad quos ſibi relictæ ſunt impares. Caro jam & ſanguis nos determinant ad credenda plurima, proindeque temerè; ſed Pater luminum poteſt nobis dare fidem, vel myſteriis. Hinc Chriſtus Petro: *Beatus es, Simon Barjona, quia caro & ſanguis*

non revelavit tibi , ſed Pater meus qui in cœlis eſt.

Potentia obedientialis ratione ſuî naturalis eſt & inſita unicuique creaturæ, accedit enim ad poſſibilitatem; juxtà quod Auguſtinus : *Poſſe habere charitatem , natura eſt hominum ; habere charitatem, gratia eſt fidelium* ; ſed ſi activa ſit , ſupernaturalis eſt , ratione complementi adjuvantis quo ſolvuntur impedimenta, & facultas fit par ad producendos actus , quos ſine hoc complemento nunquam produceret ; ſi verò paſſiva ſit , ſupernaturalis eſt ratione divinæ potentiæ producentis in ipsâ aliud quàm id quod ſolet naturæ legibus communicari.

Quomodo compleatur potentia obedientialis.

Potentia compleri poteſt , juxtà Philoſophos , duobus modis , vel intrinſecè , vel extrinſecè.

Potentia completur intrinſecè quando ſolvuntur impedimenta & adeſt adjutorium ut eliciat ſuos actus ; ſic confirmantur habitus frequenti actuum repetitione.

Completur autem extrinſecè quando completur per virtutem ſibi aſſiſtentem cum quâ par eſt ad agendum , ſed ipsâ ratione ſuî non ſit fortior ; ſic bajulus de ſe impar oneri alicui ferendo completur extrinſecè , dum ab alio bajulo adjuvatur ad ferendum onus quod ſolus ferre non poterat. His poſitis, ſit

PRIMA PROPOSITIO.

Potentia obedientialis paſſiva non debet compleri intrinſecè ut recipiat in ſe complementum ſupernaturale.

Probatur : nam ſi deberet compleri intrinſecè ut reciperet illud ſupernaturale, hoc quod requireretur ut reciperet vel eſſet ordinis naturalis, vel eſſet ordinis ſupernaturalis : atqui neutrum dici poteſt ; non quidem naturalis ordinis, quia per aliquid merè naturale non redderetur aptior quàm erat ad recipiendum aliquid ſupernaturale, nec etiam ſupernaturalis ordinis ; nam ſi, ut reciperetur aliquid ſupernaturale, priùs deberet recipi aliud ſupernaturalis ordinis, jam ut reciperetur hoc aliud ſupernaturalis ordinis, deberet recipi pariter aliquid aliud ſupernaturalis ordinis, & ſic in infinitum : ſed abſurdum conſequens ; ergo ut recipiatur aliquid ſupernaturale, non debet priùs recipi aliquid aliud, ſive ſit naturalis ordinis, ſive ſit ordinis ſupernaturalis : ergo potentia paſſiva intrinſecè non completur, neque eget alio complemento præcedenti ut recipiat hoc complementum.

Quamobrem Deus agens alio modo quàm ſoluto producit in ipsâ creaturâ id quod juxtà ſolitas naturæ leges non haberet, v. g. cùm Jordanis converſus eſt retrorsùm.

SECUNDA PROPOSITIO.

Potentia obedientialis activa completur intrinſecè antequàm agat.

Probatur : nam potentia obedientialis activa completur intrinſecè antequàm agat, ſi, ut agat, debeat in ſe recipere poſitivum aliquid per quod eliciat actus ſupernaturales : atqui potentia obedientialis activa, ut agat, debet recipere in ſe poſitivum aliquid per quod eliciat actus ſupernaturales : nam id quod agendum eſt ſuperat ex hypotheſi ipſius vires : atqui ut agat, quod ſuperat ſuas vires debet in ſe recipere aliquid poſitivum per quod eliciat hos actus ; debet, v. g. vinculorum fieri ſolutio & impedimentorum remotio ; alioquin ipſa non produceret, nec enim per complementum extrinſecum totum effectum ipſa produceret, ut patet in bajulo impare ad ferendum onus, qui adjuvatur ab alio bajulo ; cùm enim onus feratur à duobus bajulis, nullus eſt ex illis qui totum effectum producat : ambo ſimul juncti totum effectum producunt ; ſeorſim autem ſumpti mediam dumtaxat partem effectûs efficiunt & cauſant ; ergo potentia obedientialis activa compleri debet intrinſecè.

Non ſufficit igitur, ut agat potentia, quòd extrinſecè tantùm compleatur ; ſuppleat ergo Deus lumen gloriæ per uberiorem

concurſum, ut quidam Theologi volunt, per me licet, dummodò ex hoc uberiore concurſu ſit aliquid in intellectu poſitivum quo ſolvantur impedimenta, Deus ipſe præſens ſit ipſius objectum; ſecùs nuſquam intuebitur Deum, & amabit amore fruitivo, quod eſt diligenter obſervandum.

Ad quos effectus extendatur potentia obedientialis.

Aliter proponi ſolet difficultas ſub hoc titulo: utrùm detur potentia obedientialis in quolibet ad quodlibet.

Omnes fermè Philoſophi, ut quæſtioni propoſitæ ſatisfaciant, potentiam duplicem diſtinguunt; aliam vitalem, aliam minimè vitalem; ſed adeò obſcurum eſt apud ipſos quid ſit potentia vitalis, quid ſit vita, ut hâcce viâ nulla lux afferatur argumento propoſito; ſit proinde

PROPOSITIO.

Non datur potentia obedientialis in quolibet ad quodlibet.

Probatur: nam non datur potentia obedientialis, ubi nulla datur proportio habitudinis; v. g. non datur potentia intelligendi, niſi agens ſit intellectivum, & objectum ſit intelligibile; non datur in ſub-

jecto potentia productiva alicujus entis, niſi ſubjectum illud ſit productivum, & objectum ſit producibile : atqui non datur in quolibet ad quodlibet proportio habitudinis; nam proportio habitudinis fundatur in ordine eſſentiali potentiæ ad objectum, & objecti ad potentiam : atqui non datur inter entia omnia ordo eſſentialis potentiæ ad objectum, & objecti ad potentiam; imò repugnat hunc dari ordinem inter omnia entia : v. g. repugnat quòd ſubſtantia ſpiritalis poſſit dividi, quòd materia poſſit intelligere, &c. ergo non datur proportio habitudinis in quolibet ad quodlibet; ergo non datur potentia obedientialis in quolibet ad quodlibet; quamobrem nec intellectus amare, nec voluntas intelligere poteſt.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. Poſſunt oculi ſonos audire, aures videre colores; ergo datur potentia obedientialis in quolibet ad quodlibet.

Vel ipſi oculi vident, & aures audiunt; vel oculi ſunt dumtaxat inſtrumenta organica ad viſionem, & aures ad auditum; ſi dicatur cum Peripateticis quòd oculi videant, & aures audiant, non poſſunt in hâc ſententiâ oculi audire, & aures videre, quia potentia videndi nunquam poteſt eſſe potentia audiendi; & viciſſim, viſio nun-

quam poteſt eſſe auditus, & viciſſim: at, ſi dicatur quòd oculi ſint tantùm inſtrumenta ad viſionem, & aures ad auditum, ut demonſtrabitur; tunc, cùm ad talem motum in oculis voluerit Deus ut excitaretur in animâ attendente ſenſatio luminis & colorum, poteſt forſan Deus velle ut ad motum in iiſdem oculis excitetur ſenſatio ſonorum, ſed tunc erit proportio quædam in oculis ut poſſint eſſe inſtrumenta ſonorum, quemadmodum eſt aliqua ut ſint inſtrumenta colorum; adeòque nego conſequentiam.

Objicies 2°. Ignis inferni potentiam habet obedientialem ad torquendos dæmones! atqui nulla eſt proportio inter ignem & dæmones torquendos; ignis enim non eſt niſi materia certâ ratione modificata, dæmones autem ſunt ſubſtantiæ merè ſpiritales: ergo ad potentiam obedientialem neceſſaria nòn eſt proportio habitudinis, vel inchoata, proindeque datur potentia obedientialis in quolibet ad quodlibet.

Nego minorem: nam quovis modo ignis inferni torqueat dæmones, quod quidem explicare noſtrâ non refert, id certum ſtatuimus, illud fieri non poſſe niſi ſit aliqua proportio habitudinis inter ignem infernum eo modo cruciantem, & dæmones eo modo cruciatos; neque enim poſſet Deus uti igne inferno ad torquendos eo modo dæmones,

niſi ignis talis eſſet naturæ ut diabolorum poſſet eſſe eo modo cruciativus, niſi diaboli talis eſſent naturæ ut forent eo modo cruciabiles ab igne inferno; hoc autem fundatur in gradu eſſentiali naturæ ignis & naturæ dæmonum; ſicut Deus uti non poſſet puncto Zenonico ad menſurandam magnitudinem, quia cùm dicatur inextenſum, non eſt menſurativum magnitudinis, & magnitudo talis eſt naturæ ut per ipſum non ſit menſurabilis; quod quidem fundatur in gradu eſſentiali puncti Zenonici & magnitudinis.

Licèt dixerim ad Philoſophos non pertinere expoſitionem modi quo ignis infernus agit in dæmones, & animas ſeparatas à corporibus, juſtis ſuppliciis ob ſcelera ſua addictas, dicam tamen inſigniores Theologos velle ignem hunc agere tantùm moraliter, non phyſicè, in illas ſubſtantias merè ſpirituales; imò S. Thomas, 1. part. quæſt. 64. art. 3. & 4. ad 1. & ad 5. nullum agnoſcit dolorem in ſubſtantiâ dæmonum, ſed tantùm in voluntate; dicam ampliùs, ignem noſtrum eatenùs agere nunc & in præſenti ſtatu in animam rationalem, quæ ſola ſenſationes patitur; quatenùs voluit Deus ut occaſione motuum per ignem excitatorum in corpore noſtro ſint in ipsâ tales ſenſationes, ità ut ignis noſter non agat in ipſam animæ rationalis ſubſtantiam

phyſicè, ſed contriſtet tantùm voluntatem moraliter, ut dicetur in animaſticâ.

Objicies 3°. In luto quo Chriſtus uſus eſt ad excitandum viſum cœco nato, nulla erat proportio habitudinis, nulla erat in aquâ ut vinum fieret, nulla in pane ut fieret Chriſti corpus: atqui tamen viſus conceſſus fuit cœco nato per lutum; aqua facta fuit vinum, panis factus eſt Chriſti corpus; ergo datur potentia, obedientialis ſaltem, non vitalis, ubi nulla eſt proportio habitudinis.

Nego antecedens: fuit enim proportio habitudinis in luto, quo Chriſtus uſus eſt ut cœcus natus poſſet videre; fuit pariter in aquâ ut converteretur in vinum, & in pane ut fieret Chriſti corpus; hoc ipſo enim quo quæſtio eſt de corpore uno in aliud convertendo, nihil occurrit quod implicantiam redoleat, nihil proinde quod à Deo fieri non poſſit.

Adde quòd & mechanicè poſſint exponi illuminatio illius cœci & converſio aquæ in vinum.

Primò enim dici forſan poſſet quòd Chriſtus, dum applicuit lutum oculis cœci, poſuerit in motu quædam luti corpuſcula de ſe deterſiva, quæ tunicas, humores, nervorum fibrillas diſponerent & efficerent materiæ ſubtili recipiendæ aptiores, ut depictâ objectorum imagine in oculi fundo (ſive

in choroïde, ſive in retinâ) ſenſatio excitaretur & haberetur objectorum viſio.

Ubi miraculum explicatur per rationes merè mechanicas; neque tamen credas miraculum non eſſe, inſolita quippe eſt hæc actio, & ſola divina virtus quæ Chriſto inerat, ut Deo, potuit partes illas minutiſſimas ponere in motu cum determinatione requiſitâ, ut præcisè removerentur omnia visûs impedimenta.

Secundò. Miraculum aquæ converſæ in vinum, ſicut converſio panis in corpus humanum, explicari poſſunt: ſcilicet nullum aliud diſcrimen eſt inter vinum & aquam, niſi quia partes vini ſitum, texturam, configurationem habent, diverſa à partibus aquæ: v. g. ſupponi poteſt quòd partes aquæ ſint lubricæ, inſtar anguillarum leves, partes autem vini ſint acuminatæ & tenuiores; hinc aqua in vinum convertetur, ſi attritæ partes aquæ cuſpides & aculeos induant, quod ſanè fieri potuit detritione illarum partium, detritio verò per vehementem materiæ ſubtilis motum: ergo Chriſtus, ut potè Deus, facilè potuit convertere aquam in vinum.

Et certè quotidianâ conſtat experientiâ aquam & ſuccos alimentitios juxtà leges ab Auctore naturæ de motu poſitas converti in vinum, dum videlicet aqua & illi ſucci per radicum poros irrepunt, & à radi-

cibus per varios canaliculos, in quibus atteruntur ſucci & percolantur, perveniunt ad calicem in quo accipiunt ſitum, configurationem, texturam, idonea ad muſtum efficiendum, donec excerpta, uva & divulſa à planta conteratur; quo poſito, tunc incaleſcit, & fermenteſcit; quâ fermentatione partes craſſiores fœces vocant, ad expurgationem excluduntur è dolio, quædam in fundo ſubſident.

Hæc certè, juxtà naturæ leges; porrò miraculum erit ſi quod fit per longa temporis intervalla, per varios apparatus partium organicarum, fiat ad oculi ictum, ut à Chriſto factum eſt.

Objicies 4°. Humanitas Chriſti elevata eſt ad unionem hypoſtaticam cum Verbo: atqui non habebat proportionem habitudinis ad hujuſmodi unionem: ergo potentia obedientialis ſtat ſine proportione habitudinis.

Nego minorem: habebat quippe humanitas Chriſti proportionem habitudinis ad ſubſiſtendum hypoſtaticè cum Verbo divino: nam tanta eſt in humanitate vacuitas, quanta eſt copia perfectionum in Deo: ſiquidem humanitas eſt ſubſtantia capax ſubſiſtendi in alio digniori, & Verbum divinum eſt totum quoddam eſſentialiter completum capax ut in eo ſubſiſtat ſubſtantia inferioris ordinis; humanitas perfec-

tibilis eſt; Verbum divinum perfectivum eſt; ergo humanitas Chriſti habebat proportionem habitudinis ad unionem hypoſtaticam cum Verbo.

Objicies 5°. Humanitas Chriſti non habebat proportionem vel inchoatam ad patranda miracula: atqui tamen ea patrabat; ergo, &c.

Diſtinguo minorem: ea patrabat moraliter, hoc eſt, ad humanitatis nutum divinitas ea patrabat, concedo minorem: ea patrabat phyſicè & activè, nego minorem: nam primò, Chriſtus abſens plurima patravit miracula, (*) v. g. ſanavit puerum Centurionis, filium Reguli; ergo quà Deus hæc miracula patrabat phyſicè, quatenùs motus excitabat in ægrotorum corporibus, quibus ſanitas reſtitueretur, ſed poſtulante & conſentiente voluntate humanâ.

Secundò. Miracula, vel ea quæ patravit præſens, referri debent ad ipſam divinitatem tanquam ad cauſam, v. g. ſic referuntur ab Athanaſio orat. 4. contra Arianos: *Humano modo manum extendit, Divinitas autem morbum compeſcuit; humanum fuit è carne emiſiſſe ſputum, Divinitas autem oculos aperuit.* Quippe unus Deus poteſt movere, motûs quantitatem augere, & determinationem efficere.

(*) *Matth. c. 8. Joan. c. 4.*

Idem docet Damaſcenus lib. 3. de fide, cap. 15. & his verbis lib. *quomodò ad imaginem Dei facti ſumus*; *finis humanæ actionis in extenſione & tactu poſitus erat : divinæ autem naturæ in excitatione puellæ*, agebatur de reſurrectione filiæ, quæ legitur apud Marcum, cap. 5. quod quidem docuerat verbis expreſſis Pſaltes Regius Pſalmo 71. *Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui facit mirabilia ſolus.*

Objicies 6°. Sacramenta novæ legis gratiam producunt ſanctificantem : atqui tamen nullam habent proportionem habitudinis ad producendam gratiam ſanctificantem; ergo ubi non eſt proportio habitudinis, ibi poteſt eſſe potentia obedientialis vel activa.

Nego minorem : nam quovis modo Sacramenta novæ legis producant gratiam ſanctificantem, quod explicare Theologorum eſt, illud fieri non poteſt, niſi Sacramenta quamdam habeant proportionem ad eam producendam eo modo quo producunt.

Quanquam per tranſennam dico Sacramenta novæ legis agere tantùm moraliter, non phyſicè, in producendâ gratiâ ſanctificante, quam Deus phyſicè producit.

Objicies 7°. Non eſt admittenda opinio quæ derogat divinæ potentiæ : atqui opinio quæ negat dari potentiam obedientialem

in quolibet ad quodlibet, plurimùm derogat divinæ potentiæ, eam quippe minuit, & limitibus coërcet; ergo non debet admitti.

Nego minorem: enimverò hæc opinio imminuit potiùs creaturæ dignitatem quàm divinæ omnipotentiæ; nam quod Deus uti non poſſit quolibet ad quodlibet faciendum, illud non eſt argumentum impotentiæ in Deo, ſed eſt ſignum infirmitatis in creaturâ, atque limitatæ virtutis: v. g. quòd Deus uti non poſſit oculo corporeo ad efficiendam viſionem beatificam, nulla in Deum imperfectio derivari poteſt, ſed impotentia in creaturâ arguitur.

Inſtabis; Deus abſolutum habet in creaturas dominium: porrò dominium illud abſolutum non foret, ſi non poſſet uti quolibet ad quodlibet; ergo Deus uti poteſt quolibet ad quodlibet, nego minorem: nam abſolutum & infinitum Dei in creaturas dominium poſtulat dumtaxat quòd Deus poſſit uti quolibet ad quodlibet poſſibile, non autem ad quodlibet impoſſibile; ſiquidem impoſſibilia fieri non poſſe, non eſt impotentia in Deo: porrò non eſt poſſibile uti quolibet ad quodlibet; requiritur enim proportio quædam, quæ quidem requiſita proportio non eſt in quolibet ad quodlibet, ut anteà probatum eſt.

Et certè vel jam poteſt creatura ad aliquid elevari, vel non: ſi poteſt elevari;

ergo eſt in ipsâ proportio habitudinis : ſi non poteſt, certè ad idem nunquam poterit elevari, factâ quâvis hypotheſi, quia Deus impoſſibilia non facit.

COROLLARIUM.

Nulla hinc poſſunt afferri miracula quæcumque ſint, ſive ex Scripturâ ſacrâ, ſive ex ſanctis Patribus, ſive ex hiſtoriarum Scriptoribus variis deductæ fuerint, in quibus non ſit aliqua proportionis habitudo inter ea quæ fuerunt materia ſubjecta miraculo, quæ locum miraculo dederunt, & inter ipſas res miraculoſas; & ſi quod proponeretur, in quo nulla eſſet proportio, hoc ipſo fictitium foret & incredibilis fabula : v. g. ſi aliquod individuum ſpeciei propriè dictæ diceretur tranſmutatum in individuum alterius ſpeciei, hoc ipſo figmentum eſt & fabula. At quæcumque afferatur tranſmutatio, ſeu tranſubſtantiatio individui ſpeciei impropriè dictæ in individuum alterius ſpeciei impropriè dictæ quæ momentanea ſit, dum fieri ſolet longè tardius juxtà conſuetas naturæ leges, hoc ipſo poſſibilis eſt & credi debet, ſi facti ſufficiens fuerit poteſtas, & ut credatur ſufficiens autoritas; ſufficiens autem de miraculis laudatis in Scripturâ ſacrâ probata eſt in noſtrâ Philoſophiâ morali, ſub his titulis : de Ve-

ritate Religionis Moſaïcæ, & de Veritate Religionis Chriſtianæ.

De Eſſentiâ & Exiſtentiâ.

Eſſentia eſt id quod facit rem eſſe id quod eſt, & quid primum in ente; atque ut complectitur differentiam, eſt fons & origo omnium proprietatum entis, v. g. humanitas eſt eſſentia hominis; ergo eſſentia eſt complexio generis & differentiæ à quâ differentiâ proprietates fluunt; v. g. à rationalitate fluunt docilitas, capacitas diſciplinæ.

Eſſentia vocatur aliter quidditas; v. g. eſſentia circuli dicitur circuli quidditas, quia reſpondetur ad quæſtionem factam per quid ſit ens; quamobrem homo quidditativè ſumptus eſt homo ſumptus eſſentialiter, ſeu ſumptus ſecundùm ſuam eſſentiam.

Eſſentia dicitur aliquando ratio formalis entis conſtitutiva: quando percipitur, ipſa percep a dicitur conceptus objectivus, & ipſius perceptio dicitur conceptus formalis.

Exiſtentia eſt id quo ens eſt extrà nihil; ſed, ut ingenuè loquar, vox illa eſt ex earum numero quæ ità claræ ſunt ut definitionibus fiant obſcuriores.

Eſſentia eſt forma entis; exiſtentia eſt forma exiſtentis; igitur aliud ens, ſive aliud poſſibile, aliud exiſtens; aliud eſſe, aliud exiſtere; hinc

Quomodo Eſſentia & Exiſtentia diſtinguantur.

Celebris & vehemens eſt inter Philoſophos diſputatio de diſtinctione quæ intercedit inter eſſentiam & exiſtentiam; ſed facilè quæſtio ſolvitur à nobis, ſi ſequamur principia poſita in exercitatione de diſtinctione entium: ſit itaque

PRIMA PROPOSITIO.

Eſſentia & exiſtentia non diſtinguuntur realiter.

Probatur: diſtinctio realis eſt tantùm inter rem & rem: atqui eſſentia & exiſtentia non ſunt res & res; ergo non diſtinguuntur realiter.

SECUNDA PROPOSITIO.

Eſſentia & exiſtentia diſtinguuntur poſitivè.

Probatur: nam ea diſtinguuntur poſitivè quæ ſunt poſitivè diverſa: atqui eſſentia & exiſtentia ſunt poſitivè diverſæ; nam ea ſunt poſitivè diverſa & antecedenter ad quamlibet mentis operam, quæ diverſa percipiuntur, ut ibidem probatum eſt: atqui eſſentia & exiſtentia, non modò diverſis nominibus ſignificantur, non modò diverſis definitionibus exprimuntur, ſed

etiam diverſa percipiuntur ; ergo poſitivè differunt ; ergo à fortiori poſitivè diſtinguuntur.

TERTIA PROPOSITIO.

Eſſentia & exiſtentia poſitivè formaliter diſtinguuntur , ſive ratione.

Probatur : nam illa poſitivè formaliter diſtinguuntur ſive ratione , quæ ſunt formalitates diverſæ poſitivè ſeu rationes diverſæ : atqui eſſentia & exiſtentia ſunt hujuſcemodi , ut fatentur omnes; ergo, &c.

Utrùm Eſſentiæ exiſtant ab æterno.

Eſſentias eſſe ab æterno poſſibiles confitentur omnes; quæſtio eſt de ipſarum exiſtentiâ.

Sunt Philoſophi quidam , putà Henricus Gandavenſis cum quibuſdam Thomiſtis , qui docent exiſtere ipſas eſſentias ſuo modo, ſeparatas tamen ab exiſtentiis , quod alii negant ; pro quibus ſit

PROPOSITIO.

Eſſentiæ producibilium non exiſtunt ab æterno.

Probatur : nam quod eſt tantùm ab æterno poſſibile, illud non exiſtit ab æterno ;

atqui eſſentiæ ab æterno ſunt tantùm poſſibiles; ergo eſſentiæ producibilium non exiſtunt actu ab æterno.

Et certè illud non eſt ab æterno exiſtens quod non eſt ab æterno actu extrà nihil: atqui eſſentiæ non ſunt actu ab æterno extrà nihil, quia ſola exiſtentia eſt id quo aliquid eſt actu extrà nihil; ergo eſſentiæ producibilium non exiſtunt actu ab æterno.

Reſpondent adverſarii eſſentias producibilium non eſſe reverà ab æterno extrà nihil exiſtentiæ, quia reverà ſeparatæ ſunt ab exiſtentiis; ſed volunt eas eſſe extrà nihil eſſentiæ; quod ſufficit, inquiunt, ut dicantur eſſe actu ab æterno ſeparatæ ab exiſtentiis.

Sed in hâc reſponſione non ſunt niſi verba nihil declarantia; id enim quod dicunt, poſſe aliquid eſſe extrà nihil eſſentiæ & non eſſe extrà nihil exiſtentiæ, intelligi non poteſt; nam quidquid eſt actu, debet eſſe actu extra nihil exiſtentiæ, & ipſamet eſſentia non eſt actu extrà nihil ſuî, niſi actu exiſtat; ſic mundus non poteſt dici eſſe actu extrà nihil ſuî, niſi mundus exiſtat.

Prætereà adverſarii non dicunt exiſtentias producibilium eſſe actu ab æterno, licèt exiſtentiæ producibilium ſint poſſibiles; ergo nec dicere debent eſſentias producibilium eſſe actu ab æterno, licèt ipſæ ſint poſſibiles.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. Quod eſt actu intelligibile ab æterno, illud actu exiſtit ab æterno: atqui eſſentiæ producibilium ſunt actu intelligibiles ab æterno; ergo exiſtunt actu ab æterno.

Primò. Retorqueo argumentum: quod eſt actu intelligibile, illud exiſtit actu ab æterno: atqui exiſtentiæ ſunt actu intelligibiles ab æterno; ergo exiſtentiæ ſunt actu ab æterno; ſed ex ipſis adverſariis falſum eſt conſequens; ergo & antecedens.

Diſtinguo majorem: quod eſt actu intelligibile per modum objectum motivi, illud eſt actu, concedo majorem: quod eſt actu intelligibile per modum objecti terminativi, nego majorem: atqui, &c. diſtinguo minorem: eſſentiæ producibilium ſunt actu intelligibiles per modum objecti terminativi, concedo minorem: ſunt actu ab æterno intelligibiles per modum objecti motivi, nego minorem: ergo, &c. nego conſequentiam.

Itaque duplex diſtingui debet objectum: aliud movens, aliud terminans.

Objectum movens illud eſt quod per ſuî præſentiam excitat potentiam, & agit in ipſam; ſic ſol eſt objectum movens viſionem, quatenùs movet oculum, ità ut cum oculo concurrat ad ſuî viſionem.

Objectum terminans illud eſt quod quidem intelligitur, & actionem terminat, ſed ipſam potentiam non excitat; ſic quæ à Deo intelliguntur terminant quidem ideas divinas, ſed ipſas non movent & excitant, quia Deus ab extrinſeco non movetur & excitatur ut intelligat; quippe ideæ divinæ ſunt perfectiones: Deus autem non habet perfectiones ſuas ab extrinſeco. Equidem, &c.

Subſumes: atqui quod eſt actu intelligibile per modum objecti terminativi, illud eſt actu; ergo nulla ſolutio.

Nego ſubſumptum: nam ſi terminet ſimpliciter actionem facultatis intelligentis, non eſt neceſſe ut ideò exiſtat; quippe merè poſſibilia, præterita & futura, ſimpliciter terminant intuitum facultatis percipientis, nec ideò tamen exiſtunt, proindeque ſolutio optima eſt.

Probatur ſubſumptum: Priùs eſt aliquid exiſtere actu ſimpliciter, quàm exiſtere tale actu: atqui eſſe actu, eſt eſſe ſimpliciter; eſſe verò intelligibile actu per modum objecti terminativi, eſt eſſe tale actu: ergo quod eſt actu intelligibile per modum objecti terminativi, illud eſt actu.

Diſtinguo ſecundam partem minoris: Eſſe verò intelligibile actu per modum objecti terminativi, ſi vox *eſſe* ſumatur pro *exiſtere*, ut ſumitur in nonnullis propoſitionibus, eſt eſſe tale actu, concedo hanc

partem minoris : ſi vox *eſſe* non ſumatur pro exiſtere, nego ſecundam partem minoris.

Itaque, ut notatum fuit in logicis, vox *eſſe*, *eſt*, æquivoca eſt, nam *eſſe* ſumitur aliquando in propoſitionibus pro *exiſtere*; v. g. in iſtâ, *Petrus eſt Romæ*, id eſt, exiſtit Romæ, aliquando non ſumitur pro *exiſtere*, ſed eſt ſimplex copula verbalis, quæ dicit formam poſteriori termino ſignificatam percipi, aut incluſam in ſubjecto, aut excluſam à ſubjecto, aut nec incluſam, nec excluſam; v. g. incluſa percipitur cùm dicitur, *homo eſt rationalis*; excluſa, cùm dicitur, *Deus eſt non crudelis*; nec incluſa, nec excluſa, ſeu præciſa, *cùm dicitur*, *animal non eſt rationale*; tunc enim non deſignatur quòd exiſtat homo, quòd non exiſtat Deus, quòd non exiſtat animal : ſed dumtaxat ſignificatur quòd rationalitas percipiatur in homine, quòd crudelitas percipiatur excluſa à Deo, quòd rationalitas percipiatur præciſa ab animali.

Porrò, cùm eſſentiæ dicuntur eſſe actu intelligibiles ab æterno, ſi ſenſus foret, eſſentiæ producibilium exiſtunt actu ab æterno intelligibiles, propoſitio falſa foret & negari deberet : at, ſi vox *eſſe* non deſignat exiſtentiam, ſed poſtulat ſolam poſſibilitatem eſſentiarum producibilium, propoſitio vera eſt.

Subſumes aliter. Atqui eſſentiæ produ-

cibilium ſunt actu ab æterno intelligibiles per modum objecti motivi ; ergo nulla ſolutio.

Nego ſubſumptum ; nam eſſentiæ producibilium non intelliguntur ab æterno niſi à ſolo Deo : atqui, ut anteà dictum eſt, merè terminant ideas divinas, nec ipſas aut facultatem ipſarum movent, quia Deus nihil patitur, neque movetur ; ergo eſſentiæ producibilium non ſunt actu intelligibiles ab æterno per modum objecti motivi.

Probatur ſubſumptum : eſſentiæ producibilium ſunt actu intelligibiles ab æterno per modum objecti motivi, ſi nullum poſſit aſſignari inſtans in quo intellectus creatus ab ipſis non potuerit moveri ut ab ipſis intelligerentur : atqui nullum poteſt aſſignari inſtans in quo intellectus creatus non potuerit moveri per ipſas eſſentias producibilium ut cognoſcerentur ; ergo eſſentiæ producibilium, &c.

Diſtinguo minorem : & in illo inſtanti ſupponerentur exiſtentes, concedo minorem : ſi non ſupponerentur exiſtentes & forent merè poſſibiles, nego minorem & conſequentiam.

Objicies 10. Quæ differunt actu, exiſtunt actu : atqui eſſentiæ & exiſtentiæ ex tertiâ propoſitione differunt actu ab æterno, quia differunt poſitivè ; ergo exiſtunt actu ab æterno.

Diſtinguo majorem : quæ differunt actu per differentias actu exiſtentes,exiſtunt actu, concedo majorem : per differentias merè poſſibiles, nego majorem : porrò eſſentiæ producibilium & exiſtentiæ differunt actu ab æterno per differentias merè poſſibiles, non autem per differentias actu exiſtentes; unde, cùm diximus eas differre poſitivè, id unum diximus, eas differre independenter à mente, & antecedenter ad quamlibet mentis operam, ſive exiſtant, ſive non exiſtant.

Objices 3°. Illud eſt actu de quo aliquid prædicatur; nam prædicari ſequitur eſſe : atqui de eſſentiis producibilium multa prædicantur actu ab æterno, v.g. de naturâ humanâ prædicantur animalitas & rationalitas.

Diſtinguo majorem : de quo aliquid actu prædicatur ſignificans ipſum exiſtere, concedo majorem : ſignificans ipſum eſſe poſſibile, nego majorem : porrò multa ab æterno prædicantur actu de eſſentiis producibilium, multa, inquam, quæ earum poſſibilitatem ſignificant, v. g. cùm dicitur, *Homo eſt animal rationale*; ſed nulla prædicantur actu ab æterno de eſſentiis producibilium, quæ earum exiſtentiam afferant; nec enim vox *eſt* in hâc propoſitione ſumitur pro T, *exiſtit*; alioquin propoſitio quæ eſt ſempiternæ veritatis, poſſet eſſe falſa.

Ad

Ad illud axioma, *Prædicari ſequitur eſſe*, reſpondeo non ità intelligendum eſſe, ut eo ipſo aliquid exiſtere cenſeatur quòd fieri poſſit ſubjectum propoſitionis; ſed ſic intelligi debet ut prædicatum de aliquâ re reſpondeat naturæ communi hujuſce rei, vel ex eâ ſequatur.

Quales ſint Eſſentiæ.

Eſſentia generatim, ut modò dicebatur, eſt generum & differentiæ collectio, ſine quibus ens eſſe nequit: v. g. complexio attributorum entis, ſubſtantiæ, corporis, ſpiritûs, animalis & hominis, ſine quibus Petrus & Paulus exiſtere nequeunt, rectè dicitur eſſentia Petri, eſſentia Pauli.

Eſſentia, natura vocatur, vox certè æquivoca, ſi quæ fuit unquam; natura verò alia dicitur paſſiva, & vocatur natura naturata, qualis eſt natura materiæ; alia eſt activa, quæ nimirùm eſt operandi principium, qualis eſt natura ſpirituum; attamen natura naturata ſpectatur aliquandò ut complexio entium productorum, nimirùm eo ſenſu orbis univerſus dicitur natura naturata; Deus autem Creator & factor orbis univerſi dicitur natura naturans, atque hoc ſenſu ſumitur ab Ovidio in 1. Metamorphoſi, cùm dicitur: *Melior litem hanc Natura diremit*, id eſt, litem quam

ſupponebat fuiſſe inter varias moleculas, ex quibus Anaxagoræ *Panſpermia* conſtabat.

Eſſentiæ ſunt immutabiles, ut infinities dictum eſt; ad eas revocantur poſſibilitates entium, & facultates, ideoque non pendent à libero Dei decreto, neque ab omnipotentiâ, ut ſint tales, ut ſuprà probatum fuit.

Hinc de eſſentiis fieri poſſunt propoſitiones æternæ veritatis, cujuſlibet loci, adeoque per ſe notæ & in ſemetipſis intelligibiles, & in quibus vocula *eſt* ſolo munere copulæ verbalis fungitur, nec ſumitur pro Τ᾽ *exiſtit*, ut expoſitum fuit in Logicâ.

De Entitate & Singularitate.

Lege in compendio Metaphyſices quæ à nobis dicta ſunt de entitate, & nihil eſt quod addam huic materiæ.

Lege prætereà quæ dicta ſunt de ſingularitate, cui materiæ plurima ſunt addenda, nempe de principio ſingularitatis, ſeu individuationis; quod quidem argumentum propter litigantes inter ſe Philoſophos plenum eſt laboris & difficultatum.

Triplex diſtinguitur individuationis principium; aliud indicativum, aliud effectivum, aliud formale.

De Principio Individuationis indicativo.

Principium individuationis indicativum eſt ſignum quo conſtat aliquid permanere idem numero quo conſtat ſingulare diſtingui à ſingulari.

Quæritur quodnam ſit individuationis principium individuationem indicans.

Difficultas non reſpicit corpora quæ non ſunt unita ſubſtantiæ entitativè ſimplici & uni ; v. g. non agitur de lapidibus, metallis, plantis ; imò non agitur de corporibus belluinis, licèt ſint ejuſdem conditionis cum corporibus humanis ; agitur ergo de humanis præſertim, quia hæc propiùs ad nos pertinent, & quæ de ipſis dicentur facilè poterunt tranſferri ad corpora belluina.

Itaque difficultas eſt an ſit aliquod ſignum per quod philoſophicè innoteſcat corpus noſtrum idem numero permanere.

Natura corporis humani in perpetuo partiùm fluxu poſita eſt ; eſt enim congeries molecularum homogenearum, ut materia ſunt, cùm ſubſtantia ſit cujus partes ſubſtantiæ ſunt, certè continuâ additione, continuâ tranſpoſitione partium, continuâ detractione nunquam in eodem ſtatu ipſum permanere certum eſt. Dum 1°. concipitur & ipſi infunditur anima rationalis, verè eſt corpus humanum : ſi comparetur iſtud

corpus cum corpore hominis qui nongentis annis vixit; certè non modò nulla certitudo eſt eamdem numero eſſe materiam hujuſce corporis primùm concepti & corporis ſenilis : ſed prætereà conſtabit materiam eſſe omninò diſtinctam; unde illud Poetæ :

Annoſus Corvus nuſquam eſt excluſus ab ovo.

Imò quis afferat ſupereſſe vel minimam moleculam hujuſce corpuſculi in corpore ſenili? Nemo certè ſanæ mentis. *

Nullum igitur eſt ſignum philoſophicè certum requiri & poſtulari eamdem numero materiam ut ſit idem corpus humanum.

Et certè fieri poteſt ut hoc corpus quod meum dico annihiletur à Deo in hoc inſtanti, & aliam materiam ſimili mechanicâ inſtructam inſtanti immediatè ſequenti producat : non erit ergo eadem materia; erit tamen idem homo, erit idem corpus humanum. Charta hæc quam oculis meis intueor, manibus teneo, non eſt fortè jam eadem materia; nimirùm fieri poteſt ut annihiletur, & inſtanti immediatè ſubſequenti, ſine ullâ interruptione quæ à me poſſit obſervari, creetur omninò ſimilis; ergo nullum eſt ſignum philoſophicè certum eamdem eſſe numero materiam in humano corpore; imò conſtat non eſſe eamdem materiam

* Cave ab hâc doctrinâ, propter SS. Euchariſtiam.

corporis ſenilis, & corporis primùm nati.

Dices : ſi corporis humani materia non eſſet eadem numero in ſene & in infante, ſenex non foret idem homo qui infans : ſed abſurdum conſequens, ergo & antecedens.

Nego majorem : nam identitas numerica hominis non petitur ab identitate numericâ materiæ, ſed ab identitate numericâ principii cogitantis, dummodò ſubſtantialiter uniatur corpori organiſato, ſive materia hujuſce corporis ſit eadem numero, ſive non ſit.

Quapropter, ſi duo forent corpora humana quibus uniretur ſubſtantialiter idem principium cogitans, certè non foret homo duplex, ſed homo unus : porrò nihil metaphyſicè impedit quominùs idem numero principium cogitans duobus corporibus humanis ſubſtantialiter uniatur; unitur jam ſubſtantialiter duabus auribus, duobus oculis, duobus pedibus, duabus manibus; quidni poſſit uniri ſubſtantialiter aliis auribus, oculis, pedibus, manibus, &c! Si hominum corpora primùm fuiſſent cum uno oculo, unâ aure condita, quemadmodum ſunt cum unico naſo, & poſteà viſa fuiſſent quædam corpora cum paribus illis duplicibus, an licuiſſet hominibus primùm monoculis exiſtimare plures eſſe homines, quia plures oculi, plures aures? ſic pariter, ſi idem

numero principium cogitans uniatur ſubſtantialiter centum oculis, centum auribus, pedibus, manibus, &c. non erit homo multiplex; imò erit idem corpus humanum, ut aliquando exponetur.

At, inquies : optimè : at hæc organa conjuncta eſſe debent, neque reperiri debent in corporibus divulſis & à ſe invicem ſeparatis. En præjudicii fœtus, à quo vel docțiſſimi liberari non potuerunt : Carteſius ipſe organum ſenſationum ſaltem immediatum unicum voluit; & ideò animam rationalem, quam aliunde negabat extenſam, in glandulâ pineali cerebri collocavit; timebat fortè ne anima non poſſet eſſe ſatis attenta ad nervulorum agitationes, ſi ad idem punctum non confluerent, ſi à diverſis thalamis ortum ducerent, quaſi verò, poſito quòd nervi omnes ortum ducerent à glandulâ pineali, forent penetrativè poſiti, nec eſſent extrà ſe invicem : porrò perinde eſt ad principium cogitans quòd ſint proximiores, vel remotiores.

Sed, ut præjudicium illud funditùs evertatur, quòd hæc organa ſint in eodem corpore conjuncta, hoc nihil juvat ad exponendas principii cogitantis functiones : unio ſubſtantialis noſtri principii cogitantis cum organis noſtris intelligitur, modò ad talem motum in partibus organicis noſtri corporis ſint tales impreſſiones in

principio cogitante, quas variæ conſequantur relationes, necnon propenſiones, modò viciſſim ad tales propenſiones principii cogitantis ſequantur tales motus in partibus organicis: porrò ſive organa ſint in corporibus ſeparatis, ſive in conjunctis, poſſunt, volente Deo & ordinante, ad tales motus in organis eſſe tales impreſſiones in principio cogitante, & ad tales impreſſiones in principio cogitante poſſunt eſſe tales motus in partibus organicis; nec enim abſolutè & metaphyſicè requiritur præſentia localis ipſius principii cogitantis in organis, ut aliquando probabitur; ergo ſive organa conjuncta ſint, , ſive ſint in diſtinctis corporibus, perinde eſt.

Ergo ſicut idem principium cogitans unitum ſemel eſt duobus oculis, duâbus auribus, &c. ità poteſt uniri oculis, auribus corporum à ſe invicem ſeparatorum; & quemadmodum non reſultat niſi unus & idem homo ex priori unione, ità non reſultaret ex alterâ niſi unus & idem numero homo: imò non reſultaret, niſi unum & idem corpus humanum, quia identitas corporis humani non petitur ab identitate numericâ materiæ, ſed dumtaxat ab identitate numericâ principii cogitantis; idem enim eſt corpus humanum ſenile Mathuſalem quod erat puerile; nec tamen erat eadem numero materia: Chriſtus erat verè

filius David , ut urgebimus aliquando ; nec erat neceſſe ut in corpore Chriſti fuerint moleculæ numero eædem quæ fuerunt in corpore Davidico.

Hoc ipſum docuêre olim præſtantiores Peripatetici, qui contendebant eamdem formam ſubſtantialem poſſe informare ſimul plura corpora ſeparata à ſe invicem ; hinc corpus Chriſti pendens in cruce idem erat quod fuit in utero Virginis, quod fuit primigenium organum ſenſationum & veluti calix in quo tanquam in flore continebatur corpus virile quod accedente alimento crevit.

Et certè eatenùs materia organiſata cenſetur eſſe corpus noſtrum, quatenùs occaſione motuum in ipſius organis, ſunt in animâ noſtrâ impreſſiones; unde, ſi pars aliqua materiæ maneat inutilis ad illas impreſſiones excitandas, aut ad alias functiones exercendas, tunc non ſpectatur ut pars noſtrî,ſed ut quid ſupervacaneum,quod removendum eſt à corpore noſtro & avellendum, ſi putreſcat & functionibus noceat: quapropter, licèt diſtincta ſit numero materia, licèt vetus deperdita ſit, & nova ſit acquiſita, ſi modò permaneat idem officium, quod vetus præſtabat, cenſetur eſſe & eſt idem corpus humanum, quia idem eſt ab eodem officio; ergo eodem officio permanente, idem permanet.

Hinc in hypoteſi quòd principium cogitans uniatur ſubſtantialiter duplici materiæ organiſatæ loco ſeparatæ, tamen non eſt niſi unum & idem corpus humanum, in quantùm organa utriuſque materiæ ad eoſdem fines, ad eaſdem impreſſiones ipſius animæ convertentur, ſcilicet corpus humanum agit tantùm moraliter in animam rationalem; ergo, ſi eadem occaſio, ſi idem ſit influxus, erit idem numero corpus.

Ex his explicari poteſt quomodò ſimul & eodem inſtanti idem homo poſſit eſſe in pluribus locis, poſſit eſſe ſimul infans, vir, ſenex, Pigmæus, Gigas, poſſit ſimul fame premi, & eſſe ſatur, imò poſſit mori in uno loco & in altero vivere; ſed de his iterùm diſputabitur in Animaſticâ.

Quod ſpectat ad animam rationalem, carentem partibus quæ ſubſtantiæ ſint, ex hoc omnes hactenùs exiſtimaverant ipſam permanere eamdem numero individuam, donec recentiores duo, alter Batavus, alter Anglus, in contrarias euntes ſententias, aliud individuationis principium, tam formale quàm indicativum, admiſerunt.

Batavus, putà Langenherius, de quo ſuprà, ſic ratiocinatus eſt. Quid eſt anima rationalis? certè, ſi audiamus Carteſium cum ſuis, eſt ipſa cogitatio: porrò anima rationalis non eſt cogitatio quædam univerſalis; nimirùm, etiamſi univerſalia poſitivè

exiſterent, certè non ſunt ſine ſingularibus; ergo hæc cogitatio eſt ſingularis; ergo ego cogitans ſum talis cogitatio, ſum hæc cogitatio præſens; ergo, ſi cogitatio ſit altera, eſt alter cogitans; ergo anima non manet eadem numero individua.

Anglus autem doctiſſimus Locke, libro *De Intellectu*, noluit animam eſſe talem cogitationem, ſed contendit ipſam eſſe collectionem plurium cogitationum; unde manente eâdem cogitationum collectione, manet eadem anima numero individua: at, ſi non maneat eadem cogitationum collectio, ſi accedant diverſæ à prioribus cogitationes, anima fit altera; quapropter, ſi quis poſt ſomnium aliud omninò cogitet quàm id quod cogitabat antequàm dormiret, eſt alter homo, ſeu aliam habet animam.

Sed iſta quæ laudantur ab iis, quibus ſufficit ut opinio, ſi vera non eſt, nova ſit, manifeſtè falſa ſunt: ſit itaque

PRIMA PROPOSITIO.

Anima non eſt talis cogitatio.

Probatur: nam 1°. Anima res eſt ſeu ſubſtantia, cogitatio verò non eſt niſi modificatio, neque Carteſius cogitationem dixit eſſe rem cogitantem; Carteſius quippe diſcrimen poſuit inter rem, & rei modificationem; confuſio verò ſuorum eſt diſci-

pulorum opus, putà Rohaltii, Auctoris Inſtitutionis philoſophicæ, atque præſertim ipſius Regis, qui dixit cogitationem non eſſe niſi modum apparentem: ſed iſtà fuſiùs, cùm agam de animâ rationali.

2°. Batavus, ſi hoc argumento egiſſet contrà Carteſianos, ut inde arguiſſet eos fuiſſe in explicandâ principii cogitantis eſſentiâ deceptos, rectè omninò fuiſſet philoſophatus; argumentum quippe quod proponit adversùs ipſos eſt ad id probandum omninò efficax: ſed ipſe deceptus eſt cùm ab iis ſumpſit, quòd anima cogitatio ſit, quòd ſit talis cogitatio; quòd proinde alia ſit anima, ſi ſit alia cogitatio, cùm è contrario concludere debuiſſet animam non eſſe cogitationem, ſed eſſe ſubjectum & principium cogitationis.

SECUNDA PROPOSITIO.

Anima rationalis non eſt collectio plurium cogitationum.

Probatur: nam, ut anteà, anima rationalis eſt res, ſeu ſubſtantia: porrò res non eſt collectio accidentium, ut faſſi ſunt & fatentur omnes quotquot fuêre, & quotquot ſunt Philoſophi; ergo, &c.

Et certè dari debet ſubjectum hujuſce collectionis, id eſt, in quo omnes illæ cogitationes recipiantur & colligantur;

quod quidem ſubjectum debet eſſe aliud ab ipsâ collectione, quia nihil in ſe recipi poteſt, ſed in alio recipiatur neceſſe eſt : atqui ſubjectum illud eſt ipſa anima rationalis; ergo anima rationalis non eſt ipſa collectio.

Denique, ſi anima rationalis foret iſta collectio, quoties aliquæ cogitationes deſinerent, aut aliæ accederent, quoties plures deſinerent & plures accederent, ut fieri poteſt præſertim poſt ſomnium; Quid dicendum de anima rationali? ex veteribus pauciores manerent; permaneretne eadem anima? gigneretürne nova? Hæc aperiant hujuſce ſententiæ patroni & deffenſores.

TERTIA PROPOSITIO.

Anima rationalis eadem numero permanet, quæcumque fiat in cogitationibus ſuis mutatio.

Probatur : cùm enim ex unâ parte ſubſtantia ſit, ut ſolâ creatione producta fuit, ità ſolâ annihilatione deſinere poteſt, cùm aliunde ſit entitativè una, & careat partibus quæ ſubſtantiæ ſint, ut demonſtrabitur, eſt omninò indiviſibilis; ergo ſemper ſingularis & eadem numero individua permanet.

Dices : certitudo non eſt idem eſſe numero corpus humanum, quia Deus poteſt annihilare corpus præſens, & inſtanti im-

mediatè ſequenti aliud omninò ſimile producere ſubſtantialiter, ut priùs unitum eidem animæ rationali : atqui pariter poteſt Deus præſentem animam annihilare, & inſtanti immediatè ſequenti aliam animam omninò ſimilem creare unitam, ut prior erat, ſubſtantialiter noſtro corpori; ergò certitudo non eſt idem eſſe numero principium cogitans.

1°. Negari poteſt propoſitio major; certitudo quidem eſt non fore eamdem numero materiam, quia Deus poteſt annihilare corpus præſens, & inſtanti immediatè ſequenti aliud omninò ſimile producere : ſed illud corpus de novo creatum eſſet idem numero cum corpore priori annihilato; eſſet, inquam, idem, ut antea dictum eſt, ab eodem officio & in ordine morali, quia corpus humanum agit tantùm moraliter in animam rationalem; unde permanente eodem officio, idem permanet corpus humanum, neque hâc mutatione Deus nos falleret aut deciperet. Reverà corpus illud de novo productum, non eſt corpus genitum à parentibus; nec enim eſſet pars aliqua ſui corporis, ſeu à ſuo corpore deciſa, quia pars iſta deciſa à ſuo corpore non accepiſſet vim primigeniam ut poſſet nutritione augeri.

Quapropter ſic inſtitui debet argumentum; certitudo non eſt eamdem eſſe numero

materiam corporis humani, nec aliam eſſe omninò diſtinctam numero, quia Deus poteſt annihilare corpus præſens, & inſtanti immediatè ſequenti aliud omninò diſtinctum producere : atqui, &c. hoc poſito, concedo majorem : atqui, &c. diſtinguo minorem : Deus poteſt animam annihilare, & inſtanti immediatè ſequenti aliam omninò ſimilem creare; ſed aliunde habemus illud à Deo non fieri, concedo minorem : ſed non habemus illud non fieri à Deo, nego : ergo, &c. nego conſequentiam; nempe nos non eſſe certos permanere idem numero principium cogitans.

Et certè, ſi foret hodie aliud principium cogitans quod heri. Undenam principium cogitans hodiernum noſceret ea quæ cogitabantur ab heſterno; imò ea quæ cogitata fuêre ab annis decem, viginti, ſexaginta, &c? Quis nuntius hæc attulit hodierno? Quia, v. g. principium meum cogitans aliud eſt à principio cogitante Petri; neſcio quid cogitetur à Petro, nec Petrus ſcit quid à me cogitetur, niſi adſint quædam ſigna manifeſtativa meæ cogitationis : porro novi ego cogitans quid à me cogitatum ſit manè, quid heri, novi alia à me fuiſſe cogitata, à decem, quadraginta, ſexaginta annis & ultrà; ergo habeo me cogitantem eſſe rem eamdem numero.

Inſtabis : poſſet Deus principio cogitanti

producto de novo ea revelare quæ priùs cogitata ſunt à priore.

Nego propoſitionem; nam Deus non poteſt nos fallere, ſicut ipſe non poteſt falli: porrò falleret principium cogitans, ſi ipſe, quæ à me cogitata ſunt, manifeſtaret principio cogitanti de novo producto, ut principium illud cogitans ex hâc manifeſtatione colligeret ſe eſſe idem numero, quod anteà.

De Principio Individuationis effectivo.

Principium individuationis effectivum illud eſt quod producit ipſam ſingularitatem quæ ſuperaddita eſt gradui ſpecifico: porrò agens quod producit naturas, ſeu ſpecies, producit ipſas ſingularitates; unde difficultas erit aliquando ſub hoc titulo, de Cauſâ determinante ad individuum actionis; hæc enim difficultas de principio effectivo individuationis ſolvi non poteſt, niſi ſciatur quodnam ſit principium individuationis formale; ſit itaque

De Principio individuationis formali.

Nulla contentioſiùs agitata fuit quæſtio inter Philoſophos quàm præſens, in quâ alii alios expugnant, & nihil certi ex parte ſuî ſtabiliunt.

Principium individuationis formale definitur illud quod ſpeciem de ſe indifferentem ad plura individua, determinat ad hoc potiùs individuum quàm ad illud, ipſam intrinſecè ſpeciem afficiendo.

Thomiſtæ docent illud principium eſſe materiam ſignatam, ſeu veluti ſigillatam quantitate; nec enim opinantur ſpiritus completos, putà Angelos, numero tantùm diſtingui, ſed unumquemque eſſe ſpeciem diverſam per quam ab alio Angelo differt.

Alii putant ſubſiſtentiam in ſubſtantiâ, inhæſionem verò in accidentibus, eſſe illud individuationis principium.

Quidam è Veteribus, quorum ſententiam redivivam fecit doctiſſimus Locke, voluêre collectionem accidentium eſſe individuationis principium.

Alii exiſtentiam, tandem alii modum ſuperadditum ſpeciei, quem ſibi dicunt incognitum, aſſignant: ſed nulla eſt ex hiſce opinionibus quæ non poſſit difficultatibus premi; quod ut pateat, ſit

Prima Propositio.

Materia ſignata quantitate non eſt forma per quam res conſtituitur formaliter individua, & numero immultiplicabilis.

Probatur: nam in Angelis non eſt materia ſignata quantitate; ſic in tribus per-

ſonis divinis non datur eadem materia ſignata quantitate : atqui tres ſunt perſonæ divinæ, quod de fide certum eſt : ipſi Angeli qui ſunt ſingulares, non debent eſſe neceſſariò ſpecie diverſi ; ſed fieri poteſt ut ſint plura individua ejuſdem ſpeciei, id eſt, fieri poteſt ut Angeli ſint omninò inter ſe ſimiles ; præterea ipſi gradus ſpecifici qui forent diverſi ſunt ſingulares & individui ſine materiâ quantitate ſigillatâ : ergo materia ſignata quantitate non eſt forma per quam res conſtituitur formaliter individua & numero immultiplicabilis.

Et certè hæc quantitas eſt individua : atqui materia ſignata quantitate non poteſt eſſe forma per quam quantitas conſtituitur individua ; aliàs, quemadmodum quantitas faceret materiam individuam, ità materia faceret quantitatem individuam, quod eſt abſurdum ; ergo, &c.

Dices : materia principium eſt gradûs qui dicitur materialis ; porrò gradus numericus eſt gradus materialis ; ergo materia eſt principium radicale gradûs numerici, proindeque individuationis.

Diſtinguo majorem : materia eſt principium gradûs materialis, ſi ità diceretur quia fluit à materiâ, concedo majorem : qui ſic dicitur, quia omninò ſimilis eſt in omnibus entibus, nego majorem : atqui, &c. diſtinguo minorem : gradus numericus

eſt gradus materialis, ſic dictus, quia ſimilis eſt in omnibus entibus, quemadmodum materia ſimilis eſt in omnibus corporibus, concedo minorem: gradus numericus eſt gradus materialis, ſic dictus quaſi à materiâ flueret, nego minorem & conſequentiam.

Itaque omnia corpora ratione materiæ conveniunt inter ſe, nec à ſe invicem differunt: porrò Philoſophi materialia dixerunt ea quibus entia inter ſe conveniunt; hinc objectum commune pluribus diſciplinis dixerunt materiale: jam verò entia quælibet per gradus numericos inter ſe conveniunt, nec à ſe invicem differunt; ergo inde numerici gradus potuerunt dici materiales; ſed quæcumque ſumatur explicatio, hæc denominatio materialitatis nuſquam probabit gradum numericum eſſe à materiâ ſignatâ quantitate, aut alio quovis accidente.

SECUNDA PROPOSITIO.

Inſeitas ſubſtantiæ, & inalietas modificationum, non ſunt formæ per quas entia conſtituantur individua ſingularia.

Probatur: nam illæ modificationes non ſunt rationes per quas aliquid ſit unum numero, quibus poſitis, ſubſtantia non intelligitur una numero, neque modificatio;

atqui poſitis inſeitate & inalietate, neque ſubſtantia intelligitur una numero, neque modificatio intelligitur una numero; ſi quidem poſitâ inſeitate, intelligitur ſubſtantia *ut ſic*; poſitâ inalietate, intelligitur modificatio *ut ſic*: ergo inſeitas & inalietas non ſunt principium formale ſingularitatis ſeu individuationis ſubſtantiæ & modificationum.

TERTIA PROPOSITIO.

Accidentium collectio malè dicitur principium individuationis.

Probatur: nam accidens quodcumque aſſignabile eſt individuum; v. g. hæc albedo, hæc inſeitas; porrò accidentium collectio non eſt principium individuationis accidentis ſolitariè ſpectati, v. g. hujus albedinis, hujus inſeitatis; ergo accidentium collectio non eſt principium formale individuationis.

Deinde ipſum ſubjectum, cui inſunt accidentia, individuum eſt, id eſt, hoc unum numero: atqui non eſt individuum per accidentium collectionem; nam quod ſupponitur conſtitutum antecedenter ad collectionem accidentium, illud non eſt individuum per accidentium collectionem: atqui ſubjectum cui inſunt accidentia ſupponitur conſtitutum antecedenter ad acci-

dentium collectionem ; ſcilicet, juxtà mentem eorum quos impugnamus, accidens eò loci ſumitur ſtrictè pro eo quod poteſt adeſſe & abeſſe à ſubjecto ſine ſubjecti interitu : atqui ſubjectum illud, quod permanet cùm accidentia fiunt abſentia, conſtitutum eſt & unum numero, & dum præſentia ſunt accidentia, & dum abſunt, ipſius individuatio permanet ; ergo ſubjectum illud non eſt individuum, & unum numero per accidentium collectionem.

Quamobrem quæcumque fiat mutatio in ſubjecto ſeparatione, vel unione accidentium, ſubjectum ſive materia ſit, ſive ſpiritus ſit, ſemper manet idem numero, v.g. ex tritico fiat farina, ex farinâ maſſa, ex maſsâ panis, ex pane chylus, ex chylo ſanguis, erit certè eadem numero materia ſanguinis quæ tritici, licèt formæ omnes ſenſiles tritici receſſerint ; ſic manere debet principium cogitans idem numero, ut anteà dicebatur, licèt aliæ & diverſæ cogitationes aliis ſuccedant : igitur accidentium collectio non eſt forma per quam res conſtituitur formaliter individua, & numero immultiplicabilis.

QUARTA PROPOSITIO.

Entia non conſtituuntur individua à ſemetipſis ſine aliquo principio individuat-

tionis ſuperaddito gradui ſpecifico, v. g. Petrus non poteſt eſſe individuum naturæ humanæ ſine tali principio ſuperaddito.

Probatur: enimverò, ſicut nihil eſt album quod tale non ſit per albedinem, nihil eſt homo quod tale non ſit per humanitatem; in quantùm ſcilicet omnis effectus formalis habet formam propriam ſibi reſpondentem, cujus eſt effectus formalis, ità nihil poteſt eſſe individuum niſi per aliquam formam individuantem; ergo entia non conſtituuntur individua à ſemetipſis; ergo debet eſſe aliquod principium individuationis ſuperadditum gradui ſpecifico, quemadmodum debet eſſe aliquod principium ſpecificationis ſuperadditum gradui generico.

Illud autem principium dici debet gradus numericus, numerica diſtinctio; & cùm dicitur à plurimis differentia numerica, hoc omninò malè, quia debet gradus ille eſſe omninò ſimilis in quibuſlibet entibus.

QUINTA PROPOSITIO.

Petreitas non eſt ratio formalis individuationis Petri.

Probatur: hæc enim verba, *Petreitas*, *Pauleitas*, &c. demonſtrant quidem & denotant individua, ſed ipſam rationem formalem individuationis non exprimunt.

Dices : licet eas uſurpare voces , ità ut ſcrupuloſiùs ageret qui ab iiſdem vellet abſtinere , cùm ipſe Cicero eas finxerit , nimirùm in Epiſtolis ad Appium & Lentulum , amo, inquit, *Appietatem tuam, Lentuleitatem tuam.*

Reſpondeo hiſce vocibus aliud ſignificari quàm principium individuationis de quo eò loci quæſtio eſt ; nam ſciebat Cicero quid ſibi vellet cùm ſcripſit *tuam Appietatem*, neque nominabat formale principium individuationis, ſed ſingulares dotes Appii, ſingulares virtutes Lentuli, quemadmodum idem ſignificare volumus hiſce temporibus hoc nomine, *Petreitas*, hoc nomine, *Pauleitas.*

SEXTA PROPOSITIO.

Exiſtentia eſt forma per quam ſpecies conſtituuntur formaliter individuæ, ſeu exiſtentia eſt gradus ſuperadditus gradui ſpecifico per quem ens fit unum numero & immultiplicabile.

Probatur : nam ſi quæcumque ſingularia ſunt, ſingularia fiant per exiſtentiam, & hoc ipſo quòd exiſtant, exiſtentia dici debet gradus ſuperadditus gradui ſpecifico, conſtituens individuum, quâ ratione gradus ſpecificus conſtituit ſpeciem : atqui quæcumque ſingularia ſunt, ſingularia fiunt per ipſam exiſtentiam, & hoc ipſo quòd exiſ-

tant, unde receptum axioma, *exiſtentia ſingularium eſt*; ergo exiſtentia d ci debet gradus ſuperadditus gradui ſpecifico, conſtituens individuum, quâ ratione gradus ſpecificus conſtituit ſpeciem.

Et certè entia quæcumque quatenùs individua, ſunt inter ſe perfectè ſimilia: atqui ſola exiſtentia gradus eſt quo quæcumque ſint entia poſſint eſſe inter ſe omninò ſimilia, ſine ullo omninò diſcrimine; ergo ſola exiſtentia poteſt eſſe gradus ille numericus de quo quæſtio eſt.

Dices: exiſtentia non eſt ratio per quam ens formaliter conſtituitur ſingulare & unum numero, ſi ſit alter effectus formalis exiſtentiæ: atqui alter eſt effectus formalis exiſtentiæ, quo ſcilicet ens ponitur, ſi ſit modificatio extrà nihil ſuî, & ſi ſit ſubſtantia extrà nihil ſuî & ſubjecti; ergo exiſtentia non eſt forma per quam ens conſtituitur unum numero & immultiplicabile.

Nego minorem: reverà per exiſtentiam ens ſive ſubſtantia ſit, ſive ſit modificatio, eſt extrà nihil ſuî; ſed hic effectus non debet dici alter ab eo quo ens conſtituitur numero unum & immultiplicabile, quia, ut jam dixi, hoc ipſo quo ens fit extrà nihil, unum eſt numero & immultiplicabile; idem igitur eſt effectus formalis.

At, inquies, dixiſti univerſale exiſtere

poſitivè formaliter; ergo quæcumque exiſtunt ſingularia non ſunt.

Nego conſequentiam: quid enim aliud eſt univerſale quàm ſingulare, quod ſimile ſit alteri ſingulari, quod unum eſt unitate indiverſitatis cum altero ſingulari?

Quænam cauſæ conveniant Enti ut Ens eſt.

Occaſione datâ quæſtionis, *cur ſit ens* diſputavimus de principiis & cauſis; ſed hiſce poſitis, inquirendum nunc quænam enti *ut ſic* conveniant principia, quænam cauſæ.

Porrò hoc tanquam certum ſtatui debet; quæcumque ipſi conveniunt, ea convenire quibuſlibet & ſingulis inferioribus, juxtà illud axioma de quo plura dicta ſunt: *Quidquid convenit ſuperiori, convenit & inferiori, exceptâ tamen ipſius ſuperioritate & ejus appendicibus*; quo poſito,

Primò. Certum eſt ens *ut ſic* non agnoſcere cauſas propriè dictas, id eſt cauſam finalem, exemplarem, & efficientem, quia quæ contingentia ſunt, ea ſola agnoſcunt cauſas illas; ergo Deus v. g. cauſas illas non agnoſcit: ergo non conveniunt enti *ut ſic.*

Dices: Deus non agit ſine fine; ergo agnoſcit finem.

Diſtinguo antecedens: qui non diſtin-
guitur

guitur à ſemetipſo, concedo antecedens: qui diſtinguatur à ſemetipſo, nego antecedens: quia *propter ſemetipſum omnia operatus eſt Dominus.*

Urgebis: Deus inter agendum ſequitur exemplaria; ergo cauſam habet exemplarem.

Diſtinguo antecedens: exemplaria interna quæ ſint ideæ divinæ, concedo antecedens: externa & extrà ipſum poſita, nego antecedens: proindeque Deus habet cauſam exemplarem omnium creabilium, putà ideas ſuas; ſed non habet cauſam exemplarem ſuî, non habet exemplaria externa, à quibus dirigatur, & quæ imitetur inter agendum.

Secundò. Ens *ut ſic* habet cauſam materialem, & cauſam formalem metaphyſicas, v. g. genus & differentiam; quæ quidem cauſæ ſunt impropriè dictæ, neque ſunt niſi principia metaphyſicæ compoſitionis, quæ eſt perfecta ſimplicitas, quatenùs ab illâ differentiâ fluunt perfectiones cujuſlibet ordinis & lineæ, ut ampliùs demonſtrabitur in Theologiâ naturali.

Quale ſit Ens.

Ens habet proprietates, nam ens habet eſſentiam, quippe eſſentia eſt forma entis, ut exiſtentia eſt forma exiſtentis; quapropter ſicut nihil eſt exiſtens niſi per exiſten-

tiam, ità nihil eſt ens niſi per eſſentiam: porrò quod habet eſſentiam, habet proprietates, ſicut vice verſâ quod habet proprietates, habet eſſentiam: ſcilicet eſſentia eſt fons, ratio, origo proprietatum; ergo ens habet proprietates.

Cùm ens commune ſit iis quæcumque entia ſunt, certè ipſius proprietates debent pariter eſſe communes iis quæcumque entia ſunt; iis proinde quæ poſſibilia ſunt, ut poſſibilia ſunt.

Proprietates entis duplicis generis diſtinguunt Philoſophi, alias ſimplices, alias complexas.

Simplices, inquiunt, unico exprimuntur termino, v. g. veritas: complexæ verò pluribus terminis ſub disjunctione efferuntur; ut ens, vel eſt ſubſtantia, vel eſt modificatio, vel eſt neceſſariò exiſtens, vel eſt contingenter exiſtens.

Verùm quæcumque ſub disjunctione efferuntur & prædicantur, ſunt tantùm, vel ſpecies, vel differentiæ multiplicantes, quæ contrahunt genus & determinant ad aliquam ſpeciem, nec proinde inter proprietates recenſeri debent; alioquin ingens confuſio in rebus philoſophicis naſceretur.

Diximus in compendio Metaphyſices proprietates alias eſſe primarias, alias eſſe ſecundarias, earumque definitiones propoſuimus, ut inter ipſas ordo ſervaretur qui ſer-

vandus eſt; quapropter lege quæ dicta ſunt in introductione, ſub hoc titulo: de Quæſtione quale ſit ens.

Philoſophi tres numerant proprietates entis primarias, ut ipſi loquuntur, putà veritatem, unitatem, & bonitatem; ſed poſteà quærunt quinam ſit ordo inter eaſdem proprietates; quænam primum locum obtinere debeat, quænam ſecundum, quænàm tertium; atque exinde altercatio: ſed, ut dixi in compendio Metaphyſices, meminerint haſce proprietates ab ipſis dictas fuiſſe primarias; non quòd fluant ſimul & immediatè ab eſſentiâ, quia hoc fieri nequit, ſed quia hic ordo nobis incognitus eſt, ut tollatur altercatio, quæ nullius foret utilitatis.

Præter illas entis proprietates, duas alias quæ in rebus metaphyſicis ſunt maximi momenti, laudo, putà extenſionem & durationem, de quibus agendum eſt, ubi primùm actum fuerit de tribus aliis.

De Veritate.

Plura de veritate diximus in compendio Metaphyſices, quæ accuratè legenda ſunt; his ſequentia addimus dumtaxat de veritate entis metaphyſicâ; atque, licèt dixerimus ipſius veritatem metaphyſicam eſſe ipſius conformitatem cum ſuis principiis internis

& eſſentialibus, tamen ne dicatur aliquid à nobis quod probatum non fuerit, idem facimus ac ſi reverà dubitaremus de hâcce definitione; & ideò quærimus quid ſit veritas metaphyſica.

Quidam, ad quos accedere videntur Carteſiani, docent veritatem entis non eſſe niſi ipſius conformitatem cum intellectu divino & ideis divinis.

Alii diſtinguunt ens duplex, aliud increatum, aliud creatum: fatentur veritatem entis increati eſſe ipſius conformitatem cum ſuis principiis internis eſſentialibus, ſed conſtantiſſimè poſtulant veritatem entis creati eſſe ipſius conformitatem cum intellectu divino & ideis divinis.

Cæteri docent veritatem entis *ut ſic*; proindeque tum creati, tum increati, eſſe conformitatem ipſius cum principiis internis & eſſentialibus: pro quibus ſit

PROPOSITIO.

Veritas entis ut eſt ens, eſt conformitas ipſius cum principiis internis & eſſentialibus.

Probatur: nam veritas entis ut ens eſt, eſt conformitas ipſius cum principiis internis & eſſentialibus, ſi veritas cujuſlibet entis qualecumque ſit, ſit cujuſlibet entis conformitas cum ſuis eſſentialibus & internis principiis; atqui veritas cujuſlibet

entis, qualecumque ſit, v. g. veritas ipſius intellectûs divini, & ipſarum idearum divinarum, eſt eorum conformitas cum ſuis principiis internis & eſſentialibus, independenter ab ullâ causâ, ab ullo principio, ab ullâ origine; eſt enim neceſſaria æternæ & immenſæ veritatis, & eſt emanatio quarumlibet eſſentiarum; ergo veritas entis metaphyſica eſt ipſius conformitas cum ſuis principiis internis & eſſentialibus.

Quapropter non ſupponit conformitatem intellectûs divini, & idearum divinarum; neque enim eſſentiæ quorumlibet entium veræ ſunt, quatenùs ſunt conformes cum intellectu divino, & ideis divinis; neque pariter intellectus divinus verus eſt, & ideæ divinæ veræ ſunt, quatenùs præſupponant entia, ſeu poſſibilia, quia objecta actionum divinarum merè terminant actiones divinas, nec excitant, nec movent; igitur veritas entis ut ens eſt, & omnium ſpecierum, ſimul quidem eſt naturâ cum veritate idearum divinarum, & quemadmodum veritas entis *ut ſic*, & omnium ſpecierum, non præſupponit, neque cauſat ideas divinas ità ideæ divinæ non præſupponunt veritatem entium.

Hinc veritas entis non debet dici conformitas ipſius cum ideis divinis & intellectu divino, ut aſſerit prima ſententia; eâdem ratione veritas entis creati dici non

debet conformitas ipſius cum intellectu divino & ideis divinis : nam eſſentiæ ſunt poſſibiles à ſemetipſis, ſicque earumdem veritas, quatenùs quidquid convenit ſuperiori, convenit & inferiori; intellectus ſcilicet divinus non eſt cauſa veritatis, ſed eſt ſimul cum veritate.

Itaque hoc eſt diſcrimen inter intellectum divinum & intellectum humanum, quòd intellectus divinus omnium objectorum habeat repræſentationes, proindeque, ſi aliquid non cognoſceret, illud profectò non foret poſſibile : at intellectus humanus aliquas tantùm habet aliquorum objectorum perceptiones; ideò, licèt aliquid non cognoſcat, illud non debet cenſeri impoſſibile : immò tenemur plurima non modò poſſibilia, ſed etiam exiſtentia firmiſſimè credere, quorum non habemus perceptiones, v. g. Patrem æternum gignere Filium, Spiritum ſanctum ab utroque procedere, credere tres eſſe perſonas divinas, nec plures, exiſtere urbem Romam, Alexandrum viciſſe Darium, exiſtere ſolem.

Nec verum eſt quod olim aiebam, intellectum divinum, & intellectum humanum objectum poſſibile præſupponere; hoc enim verum eſt dumtaxat de intellectu humano, cujus objecta ſunt excitantia & moventia, non de intellectu divino, cujus objecta terminant quidem ideas divinas, ſed

eas non excitant, ut ampliùs patebit in Theologiâ naturali.

Dices: Scientia Dei practica eſt, & eſt cauſa rerum: hinc dicitur Deus fundaſſe cœlos in intellectu: atqui, niſi veritas entis ſit conformitas cum ideis divinis, jam ſcientia Dei non eſt practica, non eſt cauſa rerum; ergo, &c.

Diſtinguo majorem: eſt practica dirigendò, & eſt cauſa dirigens Deum in ſuis operibus, concedo majorem: eſt practica efficiendo, ſeu eſt cauſa efficiens rerum, nego majorem: atqui, &c. diſtinguo minorem: ſi veritas entis non ſit conformitas cum ideis divinis, jam ſcientia Dei non eſt practica efficiendo, ſeu non eſt cauſa efficiens rerum, concedo minorem: non eſt practica dirigendo, id eſt, non eſt dirigens Deum in ſuis operibus, nego minorem & conſequentiam: ſcilicet Deus conformiter ad ideas quas habet, decrevit ab æterno res quaſdam futuras, & quaſdam non futuras; & in tempore creavit futuras à ſuo decreto ad ſuarum idearum ſimilitudinem: ſed iſta fuſiùs cùm agam de ſcientiâ Dei.

De Unitate Entis.

Unum addam iis quæ à nobis dicta ſunt de unitate entis in compendio Metaphyſices; ſcilicet unitatem indiverſitatis eſſe poſſe

non modò inter ea quæ diſtincta ſunt, quæ inſeparabilia ſunt, ſed etiam inter ea quæ ſeparabilia ſunt, imò quæ ſeparata ſunt; v. g. eſt vera unitas indiverſitatis inter animalitatem Petri & animalitatem Bucephali: quapropter unitas indiviſibilitatis addit aliquid unitati indiverſitatis, cùm dicat inſeparabilitatem, eamque omninò poſtulet.

De Bonitate Entis.

Lege quæ à nobis dicta ſunt in compendio Metaphyſices.

De Extenſione & Duratione.

Legi poſſunt in introductione, ſub titulo de Quantitate, quæ à nobis dicta ſunt de extenſione & duratione, de quibus ſermo erit in pleriſque locis.

Extenſio definita eſt amplitudo permanens, cujus partes ſimul manentes & exiſtentes, ſunt aliæ extrà alias.

Definiri poteſt breviùs poſitio partium extenſionis extrà partes extenſionis, cujus tres ſunt dimenſiones, longitudo, latitudo, & profunditas, ſi finita ſit.

Cùm extenſio cujuſlibet entis ſit formalitas, ipſius partes non ſunt niſi formalitates, quæ ſint ipſæ extenſiones.

Duratio eſt quantitas continua ſucceſſiva:

definitur amplitudo partium ſucceſſivè fluentium; quæ quidem amplitudo nihil aliud eſt quàm permanentia entis in eſſe ſuo.

Contendimus utramque quantitatem, tum permanentem, tum ſucceſſivam, eſſe duas proprietates entis ut eſt ens; atque proinde eſſe gradus genericos omnium & ſingulorum entium quæ exiſtunt, atque ex hoc capite pendere noſtram Metaphyſicam univerſam.

Inter perceptiones omnium clariſſimas certè ſuum locum tenent extenſio & duratio; neque enim eſt homo tam ſtupidus & tam hebes qui ignoret ſpatium eſſe, eſſe tempus; utrumque enim clariſſimè percipitur, vel ab iis à quibus negatur: itaque ſit

PRIMA PROPOSITIO.

Extenſio eſt proprietas Entis ut eſt ens.

Probatur: nam extenſio eſt proprietas entis ut eſt ens, ſi nullum ſit ens quod non ſit, aut locus, aut in loco: atqui nullum eſt ens quod non ſit, aut locus, aut in loco, & hoc manifeſtè concipitur, vel ab iis à quibus negatur, v. g. à Carteſio, qui ea de ſpatio dixit; quæ innuunt illud, ratione modi cogitandi, differre à corpore; hoc, vel ab ipſis Thomiſtis, qui extenſionem virtualem in ſpiritibus, vel in ipſo Deo ad-

mittunt, hoc ab iis qui ſpatia ultramundana, ultrà cœlos concipiunt; ergo, juxtà regulam generalem & infallibilem totius philoſophicæ certitudinis, aſſero extenſionem eſſe proprietatem entis ut eſt ens.

SECUNDA PROPOSITIO.

Duratio pariter eſt proprietas entis ut eſt ens.

Probatur: nam duratio eſt proprietas entis ut eſt ens, ſi nihil poteſt ſupponi exiſtens quod non permaneat in eſſe ſuo: atqui nihil ſupponi poteſt exiſtens, quod non permaneat in eſſe ſuo: nam, ſi nullum aſſignabile ſit inſtans quod non ſit ſucceſſivum, nihil ſupponi poteſt exiſtens quod non permaneat in eſſe ſuo: atqui nullum eſt inſtans aſſignabile, quod non ſit ſucceſſivum; ergo nullum eſt exiſtens quod non permaneat in eſſe ſuo; ergo duratio entis ut eſt ens, eſt ipſius proprietas.

Hoc pariter manifeſtè percipitur vel ab iis à quibus negatur, qui, ut admisêre extenſionem virtualem, ità admittunt durationem virtualem, quia nullum ens intelligi poteſt exiſtens, adeòque in eſſe ſuo permanens, niſi concipiatur partium ſucceſſio: unde adverſariorum doctrina ad ſummum explicaret quid ipſis videatur de entibus, ut ſunt in ordine ad ſemetipſos,

non autem de entibus, ut ſunt in ſeipſis. Quid eſt Deus? Spiritus eſt in ordine ad ipſos neceſſariò exiſtens, intelligens, volens, immenſus, æternus; ut autem in ſe eſt, eſt actus puriſſimus ſine duratione, ſine extenſione: ſed qualis eſt hæc duratio, qualis eſt hæc extenſio, quantùm diſtat utraque à duratione rerum creatarum, & ab earumdem extenſione, imò quantùm diſtat ab extenſione, quam Spinoſiſtæ videntur tribuere ſuæ ſubſtantiæ, exponetur in Theologiâ naturali, necnon cùm agam de variis entium ſpeciebus, & de ipsâ materiâ.

Nunc cùm Spinoſiſtæ fundamenta ſuæ Metaphyſices poſuerint longè diverſa ab iis quæ à nobis hactenùs poſita ſunt in noſtrâ Ontologiâ, operæ prœtium eſt ut non progrediar ulteriùs, niſi poſtquam recenſuerim hæc fundamenta, & ea devellerim ut totum ædificium cujuſlibet Religionis, vel naturalis, everſivum, & ad humanæ naturæ dedecus natum, monſtrum nempe anteà nuſquam viſum, radicitùs extirpetur.

Dogma Spinoſæ.

Dogma Spinoſæ viſum eſt, & ipſi ejus auctori, & ejus aſſeclis ità abhorrere ab omni veriſimilitudine & à communi hominum ſenſu, ut ſi nudè proponeretur vocibus ad certum determinatis ſenſum, vix poſſet

ſtolidiſſimis perſuaderi : hinc utuntur vocibus æquivocationum plenis, ſermonemque popularem cum Philoſophico malignè permiſcent, ut faciliùs incautos in hoc erroris monſtrum abducant.

Nos imitati Chirurgos totum ulcus aperiemus, ut tota ſanies effluat, id eſt, vitia tum doctrinæ, tum methodi quâ pervenitur ad hanc infamem doctrinam, demonſtrabimus.

Quapropter hinc ſupponimus Spinoſiſtam, qui viam quâ Spinoſiſta factus eſt methodicè proponit : debet autem ſemetipſum alloqui, & apud ſe recogitare, quænam tandem ſibi certa ſunt, ut ea aſſerat ; quænam erronea ipſi videantur, ut ea repellat ; quænam tandem dubia, ut ea proponat ; atque ego interim quâ proportione vitia in ipſius ſermone deprehendero, innumera autem deprehendam, hæc judicio cenſorio notabo.

Spinoſiſta.

Certus ſum ex ſenſu intimo me cogitantem exiſtere ; notum enim mihi eſt illud entymema, quod inſtar axiomatis habeo : *Ego cogito ; ergo exiſto cogitans.*

Judicium Cenſorium.

Ne confundantur judiciorum motiva, tria in hoc entymemate diſtingui debent, antecedens, conſequens & conſequentia: duo priora, *ego cogito, ego exiſto cogitans*, ex intimo ſenſu certa ſunt; ſed conſequentia *ergo* non conſtat ex intimo ſenſu, verùm ex ipsâ perceptione, quia nimirùm percipio fieri non poſſe ut qui cogitat non exiſtat.

En duo motiva, putà ſenſus intimi & perceptio, quæ nuſquam confundi debent; ſenſus quidem intimi motiva ſunt judiciorum de entibus, ut ſunt in ordine ad nos; perceptio verò ex attentione & reflexione nata, putà intuitus ipſius objecti, motivum eſt judiciorum de entibus, ut in ſe ſunt; ex perceptione verò habent hæc judicia quòd ſint evidenter certa.

Spinoſiſta.

Quo ſenſu mihi conſtat de meâ exiſtentiâ, eodem mihi conſtat cum eâdem evidentiâ res alias à me plures exiſtere: non ſum ego ſolus homo qui cogitem, alios intueor, qui pariter cogitant, & qui ſuas cogitationes vocibus mihi ſignificant; nec pariter ſolus ſum qui ſentiam; eamdem reperio proprietatem in pluribus, præter homines,

ſubjectis : forſan eorum ſenſus comites habent cogitationes, ſaltem voce donantur, quâ ipſum exprimant ut ab ipſis hominibus exprimitur ; ſed hæc expreſſio à me nequit integrè intelligi : hinc ignoro ſeriem illarum cogitationum. Denique ſolus non ſum qui ſim extenſus, intueor corpora extenſa ſicut extenſus ſum, & hæc corpora nullo ſenſu videntur prædita ; unde concludo ipſa cogitationibus carere.

Judicium Cenſorium.

Nihil hîc tribuo Spinoſiſtis, quod ab ipſis non ſtatuatur : hæc errorum ſentina ipſis neceſſaria eſt, ut profiteantur univerſum unicam eſſe ſubſtantiam cum ſuis modis & accidentibus, & ut eos qui Philoſophiæ limen nequidem ſalutarunt, ad ſuas partes trahant.

1°. Si Spinoſiſta philoſophicè ageret, non diceret, eodem ſenſu quo mihi conſtat de meâ exiſtentiâ, ſed diceret de exiſtentiâ meî cogitantis ; nam hâc voce *meâ* ſubdolè ſumit exiſtentiam totalem ejus qui, & cogitat, & extenſus eſt ; exiſtentia verò meî cogitantis mihi quidem conſtat ex intimo ſenſu ; exiſtentia verò meî extenſi mihi non conſtat ex intimo ſenſu, ſed ex ſolis relationibus & teſtimoniis, quæ conſequuntur ſenſus intimos : unde illius judicii, *ego cogitans*

ſum extenſus, motivum, nec ſunt intimi ſenſus, nec ipſa perceptio, ſed ſolæ relationes & teſtimonia quæ conſequuntur ſenſus intimos.

2°. Cùm addit, *non ſum ego ſolus qui cogitem*, ſupponit quidem ſe eſſe hominem, ſed nondum ſcit : hoc autem probandum foret, non verò ſupponendum ; atque hoc probato, quid inde ſequeretur ? Hominem rem eſſe totalem, quæ reſultat ex re cogitante & re extensâ ſimul unitis.

3°. Cùm ex intimo ſenſu non habeat Spinoſiſta ſe eſſe extenſum, à fortiori, non habet ab eodem ſenſu intimo, quòd exiſtant alii homines; nec enim aliorum cogitationes ex ſenſu intimo nobis innoteſcunt, ſed illud prudenter judicatur ex organorum ſimilitudine, atque præſertim ex cogitationum ſignificatione.

4°. Paradoxum eſt ad hæc uſque tempora inauditum, opinionem de ſenſationibus belluarum eſſe ex eodem ſenſu intimo natam, quo mihi conſtat me cogitare, & cum eâdem evidentiâ cognitam. Popularis eſt iſte ſermo, & accommodatus ad captum vulgi, quod dubitanti utrùm exiſtat corpus noſtrum, manum ſuam porrigit tangendam, cuique judicia nixa ſolis ſenſuum teſtimoniis certiora videntur mathematicis axiomatibus ; applaudet ſanè Spinoſiſtis, ipſiſque favebit cum mulierculis, quæ ut

canum ſuorumque felium patronos habent eos qui ſic opinantur, ſicque loquuntur.

Spinoſiſta.

Ex ſupradictis obſervationibus, de quibus tam certus ſum quàm de meâ exiſtentiâ, quippe nituntur ſenſu, quo mihi conſtat me exiſtere, concludo dari entia extenſa quæ in tres claſſes poſſunt diſtribui; alia nempe quæ evidenter putantur cogitantia; alia quæ ità ſentiunt, ut conjici poſſit eadem cogitare, ſine tamen affirmatione; alia denique quæ nullatenùs cogitant.

Judicium Cenſorium.

1°. Non ſine causâ ſenſus intimus iterùm invocatur à Spinoſiſtâ tanquam motivum illorum judiciorum, quia, ſi non adeſſet ſenſus intimus, hæc judicia ipſi forent probanda: ſi probarentur autem, & certitudo planè diverſa apertè conſtaret in ipſis judiciis, & diverſitas in entibus per judicia enuntiatis, & manifeſtè pateret rem cogitantem non eſſe rem extenſam extenſione diviſibili; quod quidem unum totius ſyſtematis Spinoſæ certa pernicies eſt & ruina: hoc autem ne contingat, recurrunt Spinoſiſtæ ad ſenſum intimum tanquam motivum eorumdem judiciorum, ut ipſa confundant.

ex quâ confuſione alia ipſis commoda naſcuntur.

2°. Ex prædictis obſervationibus id unum ſequebatur, tres eſſe entium ſpecies; alia quæ ſentiunt & cogitant, quæ putantur à Spinosâ extenſa extenſione diviſibili; alia quæ ſentiunt, & extenſa hâc extenſione ab eodem putantur; alia denique merè extenſâ hâc extenſione diviſibili, atque deſtituta ſenſu & cogitationibus; id unum, inquam, ſequebatur, unde homo dici poterat res totalis reſultans ex re extensâ extenſione diviſibili, & ex re ſentiente ſimul & cogitante; bellua verò, in hypoteſi Spinoſæ, res pariter totalis reſultans ex re ſic extenſa, & ex re quæ ſentit, & forſan cogitat: ſic mineralia & metalla dici poterant res extenſæ per partes quæ ſint res, extrà partes quæ ſint res: hæc autem, quæ manifeſta ſunt, excludunt Spinoſiſtæ; ſola confuſa poſtulant & admittunt, hâc nempe viâ nondum ſcitur utrùm entia quæ ab ipſis res vocantur ſint ſubſtantiæ, ſint modificationes: ſed ut integrum ſe ſervet Philoſophiæ candidatus, meminerit ſenſus intimos, cogitationes, extenſiones, poſtulare ſubjecta quibus inſint, inhæreant & inexiſtant: unde ſemper quærendum ſupereſt utrùm ſint compatibiles in eodem ſubjecto.

3°. Dum ſupponit Spinoſa dari entia extenſa extenſione diviſibili, quæ ſentiunt,

quæ cogitant, philoſophicè non agit; nam hæc propoſitio eſt evidenter falſa, ut à nobis demonſtrabitur infrà.

Spinoſiſta.

Experientiâ compertum habeo tertiam ſpeciem extenſorum quæ ſenſu & cogitationibus deſtituta ſunt, eſſe generaliorem duabus prioribus; non modò, quia omnia corpora extenſa ſunt, ſed quia entia quorum diſtinctio petitur à ſenſu & cogitatione tandem pereunt, fiuntque merè & ſimpliciter extenſa.

Judicium Cenſorium.

En Spinoſæ ſcopus, en finis philoſophantis, ut tandem habeat ſe cogitantem, qui incœpit eſſe, defiturum. Reverà experientiâ compertum habet ſe tandem moriturum, & remanſuram eſſe rem extenſam ſenſibus obviam, ſed rem ipſam cogitantem eſſe defituram; hoc nullâ ſanè experientiâ poteſt haberi compertum.

Illud addam, rem cogitantem eſſe planè diverſam à re merè extensâ extenſione diviſibili, quia nimirùm cogitatio & extenſio diviſibilis, ſunt abſolutè incompatibiles, ut poſteà demonſtrabo.

Digitized by Google

Spinoſiſta.

Ergo cum certitudine concipio dari rem aliquam in meipſo, & in entibus primæ & ſecundæ ſpeciei, diſtinctam ab extenſione, & illud ipſum eſſe principium ſenſuum intimorum & cogitationum. Scio prætereà illud principium diſtinctivum vocari vitam, & eſſe fundamentum quod locum dedit ſubdiviſioni corporum in viventia & non viventia.

Judicium Cenſorium.

Patet ex his, ſicut ex præcedentibus; atque conſtabit ex dicendis, voces apud Spinoſiſtas nullum ſenſum determinatum habere: enimverò vita quæ dedit locum ſubdiviſioni corporum in viventia & non viventia, non eſt principium ſenſuum intimorum & cogitationum; nam corpora eatenùs viventia dicuntur, quatenùs vegetant per intùs ſuſceptionem, ut loquuntur: ſic corpus humanum, corpus belluinum, arbores & plantæ, viventia dicuntur, quatenùs vegetant, & reducuntur in ſpeciem non viventium, ubi primùm vegetare deſinunt: hinc pars corporis cenſetur mortua dum vegetare deſinit: hinc homo, brutum, cenſentur vivere, quamdiu res cogitans, res ſentiens, uniuntur rei extenſæ vegetanti: at hujuſce unionis ſolutione non

ideò perit res ipſa cogitans, & concludendum erit dari in meipſo rem aliam diſtinctam à vitâ, quæ ſit principium ſenſuum intimorum & cogitationum, ſicut concluſum eſt dari rem aliam diſtinctam ab extenſione.

Spinoſiſta.

Si velim inquirere quid ſit vita; in quo ſita ſit, id quod ipſam in me producit, unde herba, gramen, fructus, &c. quæ non vivunt, ipſam tamen ſervant apud me, dum inde nutrior, tot difficultates mihi occurrunt, atque meæ cogitationes ità confuſæ ſunt, ut hæc ſingula ſint abyſſus à quo expedire me nequeo, niſi meæ cogitationes fiant magis præciſæ.

Judicium Cenſorium.

Hactenùs Spinoſiſta obſervavit: 1°. In ſe ipſo dari extenſionem, quâ corpus eſt; quæ quidem extenſio, quatenùs extenſio, non eſt principium ſenſuum intimorum & cogitationum; alioqui omnia corpora ſentirent & cogitarent.

2°. Dari vitam, quâ dicitur vivens: vitam autem eſſe illud principium; ergo arbores quæ vegetant, & vitam habent, ſentirent & cogitarent.

3°. Impudentiſſimè mentitur Spinoſa,

& nequiter ſe humiliat, cùm ait à ſe neſciri quid ſit vita, in quo ſita ſit, quomodò conſervetur, &c. nam vita quæ tribuitur rebus diviſibiliter extenſis, eſt, ex omnium conſenſu, certa motûs quantitas variè determinatâ in partibus organicis corporum, quæ viventia dicuntur: hic autem motus eſt à causâ movente applicatâ mobili, causâ, inquam, aliâ ab ipſis rebus diviſibiliter extenſis. Quis ignorat hanc vitam poſitam eſſe in fluxu perpetuo partium quæ recedunt, & partium quæ de novo accedunt? Hæc quæ ruſticos non latent, ſunt Spinoſiſtæ abyſſus, quia non audet apertè fateri vitam corporis poſitam eſſe in continuo ſanguinis & liquorum circuitu, vitam non eſſe niſi certos motus ſpirituum quos animales Phyſici vocant: hæc autem vita nedùm ſit principium intimorum ſenſuum & cogitationum, habet ab ipsâ re cogitante, tanquam à causâ ſaltem occaſionali illorum motuum, illarumque determinationum, quòd conſervetur: confuſio in re tàm apertâ ſignum eſt Spinoſiſtam velle ſibi parare alia adminicula quibus ſumat ut conceſſa, ut fieri ſolet, ea quæ nequit probare.

Spinoſiſta.

Omnium proprietatum quas novi, ſimplicior & cæteris generalior, eſt exiſtentia.

Judicium Cenſorium.

Errat Spinoſiſta : ens idem eſt ac poſſibile ; poſſibilitas ergo, ſeu capacitas exiſtendi, eſt omnium prima ſimplicior & generalior cæteris : unde dici poteſt, poſſibile, vel eſt exiſtens actu, vel non eſt exiſtens actu.

Spinoſiſta.

Quia ratiocinari non poſſem de exiſtentiâ eam concipiendo ligatam quibuſdam ſubjectis, & dependentem ab ipſis, niſi eadem ſubjecta anteà cognoſcerem, à quâ conſideratione abſtinere volo : conſidero exiſtentiam, non ut ſimplicem proprietatem, ſed totis viribus laboro ut concipiam ideam univerſalem quæ complectatur id omne quod exiſtit, & hâc viâ ideam entis abſtractivè ſumpti formo ſine ullâ attentione ad id quod eſt ſpeciale, nequidem ad meam exiſtentiam : porrò mihi ſufficit ut habeam hanc ideam univerſalem dari aliquid quod ſit exiſtens ; & hoc ipſum eſt quod à me vocatur ens in communi, & abſtractivè ſumptum, cujus proprietates examini ſubjiciendæ ſunt, antequam proprietates aliarum rerum examini ſubjiciam.

Judicium Cenſorium.

Exiſtentiæ notio ità lucida eſt, ut nihil ſit clarius quo definiatur; ergo nec definitionem poſtulat, nec à fortiori ratiocinium: hæc lux apparuit cùm certitudo illarum propoſitionum, *ego cogito*, *ego ſum cogitans*, ex intimo ſenſu nobis conſtitit; ergo non concedenda ſunt quæ Spinoſiſta poſtulat, neque audiri debet, cùm aſſerit ſe conſiderare exiſtentiam, non ut ſimplicem proprietatem; aliter enim conſiderari nequit. Quid ſibi vult per hæc verba, *concipere ideam univerſalem*? Quid eſt idea univerſalis quæ complectatur id omne quod exiſtit? Nam hæc idea, vel complectitur in ſe id omne quod exiſtit, vel ſub ſe complectitur. Si ſub ſe complectitur omnia quæ exiſtunt, eſt idea entis abſtractivè ſumpti, id eſt, entis quod abſtrahit & præſcindit ab omnibus, quia nec ea includit, nec ea excludit.

Si complectitur in ſe id omne quod exiſtit, en Anaxagoræ Panſpermia, atque hæc ipſa idea prorsùs impoſſibilis eſt: attamen Spinoſiſta contendit hoc unum ſupponendum eſſe, dari aliquid quod ſit exiſtens, ut habeat hanc ideam generalem quam dicit ideam entis abſtractivè ſumpti, quæ non eſſet niſi idea entis collectivè ſumpti.

Si Spinoſiſta philoſophicè ageret, grada-

tim ab uno perveniret ad aliud hoc modo: Ens, ut eſt ens, eſt ipſum poſſibile; quod eſt poſſibile, eſt neceſſariò poſſibile, & ipſius proprietates communes ſunt cuilibet poſſibili: quod autem poſſibile eſt, non eſt ideò neceſſariò exiſtens, non eſt ideò contingenter exiſtens, ſed eſt, vel neceſſariò exiſtens, vel contingenter exiſtens; abſtrahit ergo, & præſcindit, & à neceſſitate exiſtendi, & à contingentiâ, atque demonſtraret, ut à nobis demonſtratur, haſce propoſitiones: *Ens, ut eſt ens, eſt neceſſariò exiſtens*; *ens, ut eſt ens, eſt contingenter exiſtens*, eſſe falſas; nam, ſi prima vera foret, omnia neceſſariò exiſterent; ſi ſecunda, nullum ens neceſſarium foret, ſeu nullum ens exiſteret.

Jam verò entis collectivè ſumpti examinare proprietates, eſt ejuſdem generis ac examinare proprietates ſingulorum entium; unde in Scyllam incidit Spinoſiſta cupiens vitare Carybdim.

Spinoſiſta.

Prima proprietas quam deprehendo in ente quod ſuppoſui exiſtens, & quod à me dictum eſt ens generatim & abſtractivè ſumptum, eſt exiſtendi neceſſitas; ens enim non eſſet, niſi exiſteret.

Judicium

Judicium Cenſorium.

Ens illud quod poſtulatur exiſtens ſimpliciter, non poſtulatur neceſſariò exiſtens; alioqui poſtularetur id quod probandum eſt : fortaſſe illud ens poſtulatum non foret ex eorum genere quæ neceſſariò exiſtunt; ergo non deprehenderetur in ipſo neceſſitas exiſtendi ; ergo nondum probatum eſt dari aliquid neceſſariò exiſtens.

Spinoſiſta.

Obſervo id omne quod cadit ſub meos ſenſus, tandem perire, ſaltem quantùm ad formam : porrò cùm exiſtere deſinat, cùm à meo ſenſu habeam me incœpiſſe, meritò concludo cætera entia ſpecialia, præter ipſum ens neceſſariò exiſtens, non exiſtere neceſſariò, hæc enim proprietas eſt eſſentialis enti abſoluto; igitur perfectè concipio dari rem aliam ab iis quæ ſub meos cadunt ſenſus, quam quidem eò perfectiùs percipio, quia eam concipere non poſſum, niſi ut exiſtentem.

Judicium Cenſorium.

Primò. Homo cenſetur cadere ſub noſtros ſenſus; homo tandem interit ſolutione unionis inter rem cogitantem, & rem ex-

tenſam extenſione diviſibili : res verò cogitans eſt ipſa hòminis forma quæ ex hâc ſolutione non debet ideò perire.

Secundò. Obſervatio Spinoſæ reſtringi debet ad id quod extenſum eſt extenſione diviſibili, quod non perit, niſi quantùm ad formam.

Tertiò. Non habeo à meo ſenſu quòd incœperim, vel ſim deſiturus; nam melior meî pars, putà *ego cogitans*, potuit exiſtere antequam rei extenſæ unita fuerit : habeo tamen compertum ipſam debuiſſe incipere, ſed id habeo à ratione, quia demonſtratur contingens, non autem ab ipſo ſenſu.

Quartò. Quantùm ſpectat ad ens, illud quod vocat abſolutum, nondum probavit ipſius exiſtentiam, nondum ſcitur utrùm ſit ſubſtantia, ac ſi ſubſtantia ſit, debet habere ſuas modificationes, & attributa, quæ neceſſariò pariter exiſtant.

Spinoſiſta.

Entium ſpecialium, quæ ſub meos ſenſus cadunt, variæ affectiones mechanicæ mihi non innoteſcunt; ſed obſervo ſenſibiliter materiam unius, vel levi mutatione quæ fit in ipſius formis, fieri vulgò materiam alterius.

Judicium Cenſorium.

Illud planè verum eſt, dummodò intelligatur illud ſolum quod eſt ſenſile, non autem id quod eſt ſenſili unitum, v. g. ipſius corporis viventis, putà humani, materia tranſmutatur, & fit materia alterius corporis : ſed res ipſa cogitans materiæ cujuſlibet expers non tranſmutatur in aliam rem, ſed deſtructo corpori manet ſuperſtes, vel addicta ſuppliciis æternis in vindictam ſcelerum, vel Deo in æternum fruitura.

Spinoſiſta.

Ex hâc reflexione dubitarem utrùm hæc entia ſpecialia ſint entia vera, niſi diſtinctè conciperem hoc ipſis competere quamdiu exiſtunt, & non amitti niſi cùm deſinunt: ſed concipere non poſſum ens pertinere ad materiam, licèt ipſius diſpoſitio varia præbeat hiſce entibus ſpecialibus exiſtentiam, quia ipſam ſeparare non poſſum ab iiſdem entibus, neque ipſam concipere, niſi ipſam ſpoliem ſuâ univerſalitate, & determinem ad exiſtentiam ſpecialem.

Judicium Cenſorium.

Si hæc non legiſſem, certè nuſquam mihi potuiſſem perſuadere negari materiam eſſe

rem extenſam, eamque diviſibilem in partes homogeneas quæ pariter materia ſint; certè non modò eſt ens, ſed eſt ſubſtantia, cùm ipſa ſit ens in ſe, id eſt, cùm non poſtulet ſubjectum cui ipſa inhæreat, ſed ipſi inhæreant omnes mechanicæ affectiones ex quibus naſcuntur tot entium ſpecies diviſibiliter extenſorum, ità ut nihil certius ſit, ut ampliùs patebit.

Nullius verò ponderis eſt ratio quam affert Spinoſiſta: ipſam, inquit, ſeparare non poſſum à ſuis affectionibus; nempe materia, ut cætera entia, ſuam habet eſſentiam, putà quòd ſit ſubſtantia, cujus partes extrà partes pariter ſunt materia.

Ex hâc pluralitate partium quæ ſubſtantiæ ſunt, fluunt diviſibilitas, & mobilitas, quas diviſione & motu ſequuntur affectiones contingentes, ità ut ſit indifferens ad ſingulas diſtributivè ſumptas; ſic tamen, ut aliquibus ex collectione tandem afficiatur: illæ verò affectiones exiſtere nequeunt à materiâ ſeparatæ: ipſa verò ab ipſis ſucceſſivè ſpolietur, dum aliis afficitur; ſic ipſa concipitur, nec ſuâ ſpoliatur univerſalitate. Si quem Philoſophiæ guſtum poſſet habere Spinoſiſta, intelligeret univerſalia non exiſtere niſi in ſingularibus, eaque per exiſtentiam determinata non fraudari ſuâ univerſalitate.

Spinoſiſta.

Quanquam ex hoc duas deduco concluſiones certas & meâ experientiâ nixas: Primam nempè, *id omne quod concipitur ut neceſſariò exiſtens, exiſtere in ſe & à ſe: alteram, id quod non exiſtit neceſſariò, exiſtere in alio, & ab alio, neque poſſe concipi niſi ab alio.*

Judicium Cenſorium.

Lectores ſuos ut pecora campi habeat neceſſe eſt Spinoſiſta, qui hæc non modò aſſerit, ſed vult prætereà perſuadere hæc eadem ſuâ niti experientiâ, quaſi verò hæc objecta poſſet experientia attingere; non adducit autem experientiam ſuam, niſi quia deſunt motiva illarum aſſertionum: ipſa materia de quâ modò loquebatur, quæ non concipitur ut neceſſariò exiſtens, non exiſtit in alio cui inſit & inhæreat, ſed ipſa ſubjectum eſt cui inſunt & inhærent omnes mechanicæ affectiones, ut modò Spinoſiſta fatebatur: mihi cogitanti, ſeu potiùs, meis cogitationibus nondum aſſignatum eſt ſubjectum cui inſint & inhæreant; nec enim poſſunt inhærere corporibus vel viventibus, unde ſubjectum illud debet eſſe planè diverſum à re extensâ diviſibiliter: imò non poterit in poſterum aſſignari, niſi ſit res ipſa cogitans planè

diverſa à re extenſa extenſione diviſibili.

Præterea plurima ſunt quæ concipiuntur ut neceſſariò exiſtentia, v. g. æterna duratio, extenſio immenſa, neceſſariò immobilis, & indiviſibilis, atque generatim loquendo, quæcumque attributa ſubſtantiæ neceſſariò exiſtentis, quæ tamen non exiſtunt in ſe; nec enim ſubſtantiæ ſunt, nec exiſtunt à ſe, quia fluunt ab eſſentiâ earum origine.

Spinoſiſta.

Eorum quæ ſuam exiſtentiam habent ab alio tanquam à causâ, duæ ſunt ſpecies: alia imitantur naturam entis neceſſariò exiſtentis, quatenùs videntur ex ſenſu exiſtere à ſemeptipſis, atque ſola ratio contrarium detegit: alia manifeſtè ſunt in alio, nec ſeparari poſſunt à ſuo ſubjecto: homo, v. g. arbor, &c. entia ſunt primæ ſpeciei; figura, color, &c. ſecundæ.

Judicium Cenſorium.

1°. Quòd entia primæ ſpeciei videantur exiſtere à ſemetipſis, illud ex ſenſu conſtare non poteſt.

2°. Nuſquam viſa ſunt exiſtere à ſemetipſis, ſed viſa ſunt exiſtere in ſemetipſis; nec enim hæc entia alteri inſunt, ſed in ſe ſunt; non inhærent, ſed ſubſiſtunt,

atque ipſis inhærent entia ſecundæ ſpeciei: nemo ipſis tribuit aſeitatem, ſed ſolam inſeitatem, atque; cùm inſeitatem ab ipſis detrahere Spinoſiſta non poſſit, ut eadem excluderet à notione ſubſtantiæ, inſeitati adjunxit aſeitatem, ut defectu aſeitatis, ea ab hâc notione excluderet.

Spinoſiſta.

Ens eſt nomen generale quod complectitur id omne quod eſt, & id omne quod poteſt exiſtere: ſed quia diſtinctè cognoſco entia ſingula non exiſtere eodem modo, cùm aliud ſit neceſſarium, & alia plura minimè neceſſaria, atque inter hæc alia habere videantur exiſtentiam diſtinctam, quæ poteſt vocari ſubjectiva, quia ſubjectum eſt aliis entibus quæ nuſquam habent exiſtentiam ſeparatam.

Judicium Cenſorium.

Exiſtentia ſimilis eſt in omnibus entibus, quia communis eſt omnibus; nec enim entia per exiſtentiam differunt, ſed per ſolas eſſentias entium: exiſtentia quævis diſtincta eſt; nihil enim eſt exiſtens niſi per ſuam exiſtentiam, quemadmodum nihil eſt ens niſi per ſuam eſſentiam; exiſtentiæ notio adeò lucida eſt, ut abſtrahat ab aliâ

quâvis affectione : quapropter quòd neceſſaria ſit, quòd contingens, quòd ſit ſeparabilis, quòd ſit inſeparabilis, illud à ſolâ oritur eſſentia entis, cujus eſt exiſtentia; ergo quo titulo exiſtentiam dicere poteſt ſubjectivam, id eſt, quæ ſubjectum ſit eorum entium quæ nuſquam habent exiſtentiam ſeparatam?

Spinoſiſta.

Id omne quod eſt, vel eſt in ſe, vel eſt à ſe; vel eſt diſtinctè in alio, & ab alio, vel eſt in alio & ab alio ſine diſtinctione: quod eſt in ſe & à ſe, ſubſtantiam voco; quod eſt diſtinctè in alio & ab alio, voco modum ſubſtantiæ, ſive ens modificatum, quod tamen eſt modificatio: tandem quod eſt in alio & ab alio ſine diſtinctione, voco accidens : hæc autem entis diviſio perfecta eſt, quia non datur ultrà.

Judicium Cenſorium.

Illa diviſio ex dolo & fraude manifeſtè confecta eſt, cùm in quolibet membro diviſionis duas conjungit eſſentias quæ ſolâ ſubdiviſione debuiſſent proponi, ut ſciretur utrùm una poſtulet aliam, v. g. utrùm inſeitas poſtulet aſeitatem, utrùm inalietas poſtulet abalietatem; nam, ſi una pro-

prietas alteram non poſtulet hâc diviſione, tanquam conceſſum ſumit id quod erat probandum.

Itaque ſic Spinoſiſtæ debent procedere: omne quod eſt, vel eſt in ſe, vel eſt in alio: tunc enim exhauritur latitudo entis: omne quod eſt in ſe, vel eſt à ſe, vel eſt ab alio.

Quod eſt in alio, vel eſt in alio eſſentialiter, vel eſt in alio contingenter.

Hæc clara ſunt, & juxtà Dialecticæ ſeverioris regulas, diviſiones adæquatæ ſunt; nihil ſupponitur. Quæcumque aſſeruntur, inconcuſſa ſunt: ſupponit autem Spinoſiſta totum ſuum ſyſtema, id eſt, ſupponit tanquam certum, non eſſe Creatorem cœli & terræ, neque Factorem, nos cogitantes deſituros, virtutem non eſſe remunerandam, ſcelera non eſſe punienda, & veritatem non eſſe manifeſtandam.

Spinoſiſta.

Egomet exiſto, ſed contingenter; nam ſentio me incœpiſſe, & me deſiturum; ergo ab alio exiſtentiam habeo; atque inde concludo me eſſe ens modificatum, aut modificationem entis determinatam ad certam formam & ad certam durationem: ſentio meam exiſtentiam & à quâvis aliâ ſeparatam.

Judicium Cenſorium.

Quæ hucuſque à Spinoſâ dicta ſunt, aſtruunt quidem entia cætera præter ſubſtantiam neceſſariò exiſtentem, & ejus attributa, eſſe contingentia, & ſuam exiſtentiam habere ab hâc ſubſtantiâ; unde defectu aſeitatis excluditur ab ipſis exiſtendi neceſſitas, quod quidem omnes confitentur, ſed hucuſque nihil allatum eſt à Spinoſiſtis quod probet ea non eſſe entia in ſemetipſis; nihil proinde quòd ex defectu inſeitatis à notione ſubſtantiæ eâdem excludantur; quod tamen demonſtrandum erat, non ſupponendum.

Porrò nedum demonſtraverit hæc entia non eſſe in ſeipſis quæ de materiâ dixit Spinoſiſta, aſtruunt ipſam eſſe in ſe, & quod addit de ſuis entibus modificatis; nempe hæc entia habere exiſtentiam effectivam, & ſeparatam à quâcumque aliâ: aſtruunt ipſâ pariter eſſe entia in ſe, quia hoc ipſo quòd habeant exiſtentiam effectivam, & ſeparatam à quâcumque aliâ, ſequitur eadem non eſſe entia in alio, & non eſſe modificationes & contradictoria: videtur loqui, cùm ait illud ens modificatum eſſe ſubſtantiæ ſuæ modum, aut ipſius modificationem.

Quotuplex ſit Ens.

Cùm diſputavi de diſtinctione entium, &c. ſpecies entis, ut ens eſt, attuli in exercitatione; atque probavi modos, rationes, formalitates, accidentia, &c. quæ ſunt eò loci ſynonimæ voces, eſſe reverà entia; enimverò, ſi entia non ſunt, quare ens dicitur à Carteſio, vel res, vel modus; à S. Thomâ vel res, vel ratio; à Scoto, vel ſubſtantia, vel ſubjectum, vel forma; à Commentatoribus, vel ſubſtantia, vel accidens; à Barbaris, vel ens, ut *id quod*, vel ens, ut *id quo*.

Et certè ſi modi, rationes & cætera ſynonima entia, non ſunt antecedenter ad quamlibet mentis operam; ſi non ſint entis ſpecies, jam ens multiplicari non poterit; nam multiplicari non poteſt, niſi ſint differentiæ multiplicantes poſitivè diverſæ, ſi illæ rationes non ſunt reverà entia; ergo rectè concludebat Langenherius ens reverà multiplicari non poſſe; ergo reverà unum eſt ens: illud autem unum mea cogitatio eſt, cujus intimè conſcius ſum; ergo illud unum metaphyſicè certum eſt mihi cogitanti, me reverà cogitare.

Quid ad hæc adverſarii noſtri? Reſpondent rationes illas reverà non eſſe nihil; non eſſe tamen entia, ſed eſſe entium modos; ergo juxtà ipſos medium datur inter

herius, Cartheſianos & Thomiſtas, ipſoſque debellabat, cùm ex eorum principiis concludebat ens non poſſe reverà multiplicari: ridebat meritò; me præſente, definitionem quam D. Regis de animâ tradidit, & quam aliquando expendemus, hanc ſcilicet; *anima rationalis eſt cogitatio per ſe ſubſiſtens, quæ ſit ſubjectum omnium cogitandi modorum.*

Nam 1°. Cùm dicitur, cogitatio, hæc vox modificationem ſignificat, non rem, ſeu ſubſtantiam; cùm dicitur, per ſe ſubſiſtens, adeſt ſubſtantia; cùm additur, quæ ſit ſubjectum, ſed non eſt in rei veritate ſubjectum, nihil eſt recipiendum modorum omnium, ſed non ſunt in rei veritate modi.

Ad hæc attendant Thomiſtæ, attendant Carteſiani, & videant hoc argumento inextricabili ſe eſſe planè ſuperatos quod ego à multis annis intellexeram, quod & in ſcriptis, & in diſputationibus publicis objeceram, antequam Langenherius Batavus ad nos veniſſet; quid ergo ipſi præſtandum erat? Hoc argumento debebat Carteſianos, & alios arguere, & ſtatuere nobiſcum modos ſeu rationes eſſe entia poſitiva quæ poſitivè differant à ſubjectis, quæ poſitivè inter ſe diſtinguantur & antecedenter ad quamlibet mentis operam.

Philoſophi omnes (egomet) non modò multiplicant ens, ut ens eſt, ſed etiam divi-

dunt, atque utuntur particulâ disjunctivâ; nempe cùm dicunt: ens, vel eſt res, vel eſt ratio: tamen obſervatum à me fuit illud eſſe minùs accuratum; nec enim ulla res poteſt eſſe ſine modificatione aliquâ; ſic pariter nulla modificatio poteſt exiſtere ſine ullâ re: quapropter, ut accuratè, quod Philoſophum decet, loquar, multiplicationem exponam, diviſionem verò rejiciam: quapropter, nedum utar particulâ disjunctivâ, ut contrà adhibeam particulam copulativam: hoc modo ens eſt & res & ratio: unde veræ ſunt duæ propoſitiones, *res eſt ens, ratio eſt ens*; ergo ens multiplex; ergo res & ratio ſunt entia.

Hîc obſervandum eſt Spinoſam, qui omnia fermè Philoſophiæ principia negavit, admittere duas ſpecies entis, putà rem ſive ſubſtantiam & modificationem, licèt tres primò nominaverit, & quartam admiſerit, ut conſtitit ſuprà.

Quæri debet eò loci utrùm multiplicatio entis in rem & rationem ſit adæquata.

Epicurus & Gaſſendiſtæ hanc eſſe adæquatam negant; nam præter Deum & atomos Gaſſendus admittit ſpatium indefinitè expanſum in quo moveantur: hoc autem ſpatium, nec eſt ſubſtantia, nec eſt modificatio; ſic tempus quod ſucceſſivum eſt, nec eſt res, nec eſt modificatio; ergo datur aliquod ens quod neque res ſit, neque mo-

dificatio ſit; proindeque juxtà eum multiplicatio entis in rem & rationem adæquata non eſt.

Hîc autem agitur de re graviſſimi momenti in rebus philoſophicis, & cujus affirmatio & negatio conſtituunt in illis rebus inſigne diſcrimen; nempe nemo eſt qui non percipiat ſpatium illud proinde eſſe poſitivum : percipitur prætereà repugnare terminum in ſpatio, ultrà quem non ſit aliud ſpatium; illud proinde eſſe neceſſariò immenſum; percipitur illud non poſſe dividi, non poſſe moveri, non poſſe annihilari, non potuiſſe creari, uno verbo, ipſum eſſe neceſſariò æternum.

Jam verò, ſive dicatur ſubſtantia, ſive dicatur modificatio, hæc modificatio arguit ſubſtantiam quæ ſit neceſſariò in immenſum extenſa, quæ non poſſit dividi, quæ ſit immobilis, quæ produci non potuit, quæ non poſſit annihilari, uno verbo, quæ ſit neceſſariò æterna.

Ex alterâ parte, ſi negantur ea quæ percipiuntur de ſpatio, & in ſpatio, jam nulla erit certitudinis philoſophicæ ratio ultima quæ ſit infallibilis : unde opinionum diverſitas, imò oppoſitio; nonnulli enim ſunt, præſertim Thomiſtæ & Carteſiani, qui conſtantiſſimè negant ea quæ de ſpatio & in ſpatio percipiuntur, quique fidei catholicæ favere ſibi videntur : contrà quos & ipſos Gaſſendiſtas ſit

PRIMA PROPOSITIO.

Multiplicatio entis in rem & rationem eſt adæquata.

Probatur : nam adæquata eſt, ſi omne quod ſupponi poteſt exiſtens, ſit aut res, aut modificatio : atqui omne quod poteſt ſupponi exiſtens, eſt ens, aut res, aut modificatio; nam omne quod ſupponi poteſt exiſtens, vel eſt in ſe, vel eſt in alio, ſeu vel requirit ſubjectum cui inſit, inhæreat & inexiſtat, vel non requirit : non poteſt dari medium inter hæc duo; ſi requirit, modificatio eſt, cujus differentia conſtitutiva dicitur ideò inalietas : ſi non requirit, res eſt ſeu ſubſtantia, cujus differentia conſtitutiva eſt inſeitas; ergo multiplicatio entis in rem & rationem, eſt adæquata.

SECUNDA PROPOSITIO.

Spatium eſt extenſio rei extenſæ, tempus eſt duratio rei durantis : unde demonſtrabitur dari ſubſtantiam quæ ſit ens poſitivum, quæ ſit neceſſariò immenſa, quæ ſit indiviſibilis, quæ ſit immobilis, quæ non poſſit annihilari, quæ non potuit creari; uno verbo, quæ ſit neceſſariò æterna; demonſtrabitur, inquam, tum in Somatologiâ, tum in Theologiâ naturali.

Cùm autem hanc ſententiam ſequimur, 1°. Ultima ratio philoſophicæ certitudinis

in judiciis noſtris de entibus, ut in ſe ſunt, illæſa manet & infallibilis.

2°. Nedum dogmati Spinoſiſtarum faveamus, qui negant dari poſſe plures ſubſtantias, ut contrà hæc ſententia ſuppeditet argumentum efficax & inſuperabile contrà illud Spinoſæ dogma nefandum.

3°. Hæc via infinita propemodùm ſuppeditat argumenta contrà conſequentias à principiis Carteſianorum deductas, quibus videtur ſtatui mundi æternitas neceſſaria, impoſſibilitas creandi materiam, n ſi creetur tota; proindeque ipſius extenſio neceſſariò immenſa, quibus materia ſtatuitur in rei veritate immobilis, indiviſibilis, &c.

Quamobrem non minori alacritate præſentem ſententiam tuemur, quàm eam maturo examini ſubjecimus, antequàm in lucem prodiret qualis à nobis proponitur.

Dices : Hæc ſententia pugnat in ipſis terminis, ſi omne quod extenſum eſt diviſibile ſit ; atqui omne quod extenſum eſt, eſt diviſibile, ergo hæc ſententia pugnat in ipſis terminis.

Diſtinguo majorem : ſi omne quod extenſum eſt & carens partibus quæ ſubſtantiæ ſint, ſit diviſibile, concedo majorem : ſi omne quod extenſum eſt per partes quæ ſubſtantiæ ſint, extrà partes quæ ſubſtantiæ ſint, ſit diviſibile, nego majorem : atqui, &c. diſtinguo minorem : omne quod ex-

tenſum eſt per partes quæ ſubſtantiæ ſint, extrà partes quæ ſubſtantiæ ſint, eſt diviſibile, concedo minorem : omne quod extenſum eſt per partes dumtaxat extenſionis, extrà partes extenſionis eſt diviſibile, nego minorem : ergo, &c. nego conſequentiam.

Itaque quidquid Thomiſtæ & Carteſiani ſuis ſenſibus attigerunt, illud idem ipſis viſum eſt diviſibile : ſed illud idem partes habebat & habet quæ ſubſtantiæ ſint, extrà partes quæ ſubſtantiæ ſint : petiêre diviſibilitatem ab extenſione, quæ petenda eſt ab hâc pluralitate partium quæ ſubſtantiæ ſint, non autem ab ipsâ extenſione; unde non modò concludunt id omne quod eſt diviſibile eſſe extenſum, verùm etiam id omne quod eſt extenſum eſſe diviſibile; ità ut extenſionem, quæ eſt gradus genericus cujuſlibet entis, Carteſius crediderit & docuerit eſſe gradum materiæ ſpecificum & differentialem; ità ut quidam è ſuis diſcipulis, vel celebriores, docuerint ipſam extenſionem eſſe materiam ipſam, materiam & extenſionem eſſe ſynonimas voces : ſed hæc omnia fuſiùs refellentur tum in Theologiâ naturali, tum in Somathologiâ, ex quibus conſtabit duas eſſe extenſionis ſpecies; aliam quæ ſit mobilis & diviſibilis, ortam ab infinitudine partium quæ ſubſtantiæ ſint, quæ quidem infinitudo materiam conſtituit;

aliam quæ ſit indiviſibilis, quia eſt ſubſtantiæ extenſio, quæ caret partibus quæ ſubſtantiæ ſint.

Utrùm Ens ſit genus univocum reſpectu ſubſtantiæ & modificationis.

Alii negant, alii affirmant: pro quibus ſit

PROPOSITIO.

Ens eſt genus tranſcendentale & univocum reſpectu ſubſtantiæ & modificationis.

Probatur: nam illud eſt genus tranſcendentale & univocum reſpectu ſubſtantiæ & modificationis, quod omnia complectitur ſub ſe, ità ut ratio ipſius nomine ſignificata, ſit planè ſimilis in omnibus: atqui ens, ut ens eſt, omnia complectitur ſub ſe, & ratio ipſius nomine ſignificata, putà capacitas exiſtendi, ſimilis eſt in omnibus, omnia enim ſimiliter poſſibilia ſunt; ergo ens, ut eſt ens, eſt genus tranſcendentale & univocum reſpectu ſubſtantiæ & modificationis.

Objectionum Solutio.

Objices 1°. Quod includitur in differentiis ſuî diviſivis, ab illis non præſcindit: ſed ens includitur in differentiis ſuî diviſivis, ergo ab illis non præſcindit.

Nego majorem : nam ex eo quòd ens includatur in differentiis multiplicantibus, reverà ſequitur quòd ipſæ non præſcindant ab ente, ſeu abſtrahant : ſed nullatenùs ſequitur quòd ipſum non præſcindat ab iis ut ſunt differentiæ multiplicantes: ſic animal præſcindit ab homine, licèt in homine includatur animalitas. Miror plures è noſtris in hâc occaſione tam turpiter fuiſſe deceptos qui majorem hanc probaverunt; forſan quia ſine examine admiſerunt quod dixit Magiſter Barbay art. unico, cap. 3. ubi de genere loquitur, in quo poſtquam dixit genus non includere formaliter differentias ſuî multiplicativas, ut ſunt ſuî multiplicativæ, quod ego conſtanter poſtulo, vult probare ipſum non includi in iiſdem differentiis : tunc enim promiſcuè ſumit includere & includi, quæ duo tamen maximè differunt.

Inſtabis : ex conceſſis, ens includitur in ſuis differentiis: ſed genus non includitur in differentiis diviſivis; ergo ens non eſt genus.

Diſtinguo minorem : genus ſubalternum & infimum non includuntur in differentiis multiplicantibus, concedo minorem : quia hæc genera non complectuntur ſub ſe omnia genera ; genus tranſcendentale, nego minorem; ergo, &c. diſtinguo conſequens : ens non eſt genus ſubalternum aut infimum,

concedo conſequentiam : tranſcendentale, nego conſequentiam.

Urgebis : genus tranſcendentale dici non poteſt in concreto de differentiis multiplicantibus : atqui ens de illis dicitur, nam inſeitas eſt ens, inalietas eſt ens; ergo, &c.

Nego majorem : quæ vera foret, ſi ageretur de generibus ſubalterno & infimo, quia nimirùm hæc duo genera non conveniunt omnibus : at nihil eſt quod non ſit ens, & cui non conveniat exiſtendi capacitas.

Premes : ergo differentiæ generis eſſent ſpecies generis, quod abſurdum eſt.

Reſpondeo hoc quidem abſurdum eſſe in generibus ſubalternis & infimis, v. g. rationalitas non eſt animal : ſed hoc non eſt abſurdum in genere tranſcendentali, quod enim concipitur non eſt abſurdum : atqui hoc concipitur; ergo abſurdum non eſt, v. g. inalietas eſt ens, inſeitas eſt ens.

Inſiſtes : differentia generis non debet tribui alteri differentiæ oppoſitæ, v. g. dici non poteſt, *rationalitas eſt irrationalitas* : atqui tribueretur, quippe dici poſſet, inſeitas eſt ens in alio; ergo, &c. major vera foret, ſi ageretur de generibus ſubalterno & infimo : at evidentiſſimè falſa eſt, quia agitur de genere tranſcendentali; nam concipitur inſeitatem eſſe ens in alio, nec eſſe ſubſtantiam; ergo eſt modificatio.

Probatur major : ſi inſeitati conveniret inalietas, hæc inalietas foret ens in alio, proindeque inalietati conveniret alia inalietas, & ſic in infinitum : ſed abſurdus eſt ille progreſſus in infinitum; ergo propoſitio major vera eſt.

Nego minorem : nam ille progreſſus in infinitum concipitur; ergo non eſt abſurdus; ergo datur, nimirùm datur in partibus materiæ, in partibus extenſionis, quidni & in illis formalitatibus?

Objicies 2°. Ens includit capacitatem exiſtendi : ſed capacitas exiſtendi eſt modificatio; ergo ens includit modificationem.

Diſtinguo minorem : eſt modificatio, prout genus eſt capacitas exiſtendi, concedo minorem : prout modificatio eſt ſpecies entis, nego minorem : proindeque ens includit modificationem tanquam genus capacitatis exiſtendi, non verò tanquam ſpeciem ſuam : unde dici poteſt, ens habet modificationem : hoc autem univocum eſt, & genus tum in ſubſtantiâ, tum in modificatione; in ſubſtantiâ quidem, quia ſubſtantia habet modificationem; in modificatione verò, quia modificatio habet ſuam modificationem.

Inſtabis : ſi ens includeret modificationem, ut genus modificationis ſuî conſtitutivæ, putà ut genus capacitatis exiſtendi, includeret inalietatem; ſi includeret inalie-

tatem, includeret differentiam ſuî multiplicativam: hanc autem non includit, quia ab eâ præſcindit; ergo incommoda ex omni parte, ſi ens dicatur genus tranſcendentale, & univocum reſpectu ſubſtantiæ & modificationis.

Diſtinguo majorem: includeret inalietatem ut differentiam conſtitutivam modificationis, prout hæc modificatiò genus eſt capacitatis exiſtendi, concedo majorem: ſi ens includeret modificationem, ut genus capacitatis exiſtendi, includeret inalietatem, ut differentiam ſuî multiplicativam, nego majorem: atqui, &c. diſtinguo minorem: atqui non includit inalietatem, ut differentiam ſuî multiplicativam, quia ab eâ præſcindit, quatenùs eſt differentia ſuî multiplicativa, concedo minorem: eam non includit ut differentiam conſtitutivam modificationis, prout modificatio genus eſt capacitatis exiſtendi, nego minorem: ergo, &c. nego conſequentiam.

At, inquies, modificatio, ut genus eſt capacitatis exiſtendi, eſt ipſa ſpecies entis; ex aliâ parte inalietas, ut eſt differentia conſtitutiva modificationis, prout modificatio eſt genus capacitatis exiſtendi, eſt ipſa differentia multiplicativa entis; ergo ſemper verum erit dicere quòd ens includat in ſuo conceptu modificationem, quæ eſt una è ſuis ſpeciebus, & inalietatem, quæ eſt differentia ſuî multiplicativa.

Diſtinguo conſequens: verè dicitur quòd ens includat in ſuo conceptu modificationem, quæ eſt una è ſuis ſpeciebus, & inalietatem, quæ eſt differentia ſuî multiplicativa, ſpectatas ſub alio reſpectu, & ut alia munia obeunt, concedo conſequentiam: includat ſub illo reſpectu, id eſt, modificationem, ut eſt una è ſuis ſpeciebus, & inalietatem, ut eſt differentia ſuî multiplicativa, nego conſequentiam: hoc autem eſt commune & univocum ipſi ſubſtantiæ & modificationi.

Primò. Subſtantia includit modificationem, quæ eſt ſpecies entis, ſed eam includit ut genus inſeitatis; includit pariter inalietatem, quæ eſt differentia multiplicativa entis, ſed eam includit ut eſt differentia conſtitutiva modificationis; quippe ſubſtantia includit inſeitatem; inſeitas autem eſt modificatio, & modificatio conſtituitur per inalietatem.

Secundò. Modificatio includit modificationem, quæ eſt ſpecies entis, ſed eam includit ut genus inalietatis; includit pariter inalietatem, quæ eſt differentia multiplicativa entis, ſed eam includit ut eſt differentia conſtitutiva modificationis, nam modificatio includit inalietatem; inalietas autem eſt modificatio, & modificatio conſtituitur per inalietatem.

Urgebis: hoc poſito, una ſpecies generis

includeret

includeret aliam : abſurdum conſequens ; ergo & antecedens.

Diſtinguo majorem : hoc poſito , una ſpecies generis ſubalterni includeret aliam, nego majorem : una ſpecies generis tranſcendentalis includeret aliam , ſubdiſtinguo : includeret aliam ut genus differentiæ ſuî conſtitutivæ , concedo majorem : præcisè ut ſuî ſpeciem , nego majorem.

Porrò , abſurdum eſt unam ſpeciem generis ſubalterni , aut infimi , continere aliam ſub quocumque reſpectu ; abſurdum etiam eſt unam ſpeciem generis tranſcendentalis continere aliam ut ſpeciem ſui generis : ſed non eſt abſurdum unam ſpeciem generis tranſcendentalis, putà ſubſtantiam, continere aliam , ut eſt genus differentiæ ſuî conſtitutivæ : nam hæc abſurda non ſunt , quæ concipiuntur : atqui hæc omnia concipiuntur , concipiuntur quippe illæ propoſitiones : *Ens eſt poſſibile ; poſſibile habet poſſibilitatem ; poſſibilitas eſt modificatio ; modificatio eſt genus poſſibilitatis ; inalietas eſt differentia conſtitutiva modificationis ; ens eſt & ſubſtantia & modificatio ; inſeitas & inalietas ſunt differentiæ multiplicativæ entis : inſeitas eſt conſtutiva ſubſtantiæ ; inſeitas eſt modificatio ; modificatio eſt genus inſeitatis ; modificatio eſt ens in alio ; inalietas eſt modificatio ; modificatio genus eſt inalietatis :* jam verò quidni dicatur iſtud quod concipitur , cùm

quidquid concipitur, illud ſit certiſſimum, & affirmari poſſit ſine ullâ errandi formidine.

Objicies 3°. Si ens foret genus tranſcendentale, foret ſpecies: atqui ens non eſt ſpecies; ergo, &c.

Diſtinguo majorem: foret ſpecies, prout ſpecies eſt totum conſtans ex genere & differentiâ, concedo majorem: prout ſpecies eſt quid ſubjicibile, nego majorem: porrò ens non eſt ſpecies ſubjicibilis, quia convenit omnibus, ſed ens eſt totum conſtans ex genere & differentiâ, nam ens habet eſſentiam; quippe forma entis eſt eſſentia, ut exiſtentia eſt forma exiſtentis; albedo forma albi, humanitas hominis: unde, ſicut nihil exiſtit niſi per exiſtentiam, nihil album eſt niſi per albedinem, nihil homo eſt niſi per humanitatem, ità nihil eſt ens niſi per eſſentiam. Porrò quod habet eſſentiam, habet eſſentiæ partes; nec enim eſſentiæ ſunt ſine partibus, ut ipſi fatentur adverſarii: porrò eſſentiæ partes duæ ſunt, genus & differentia; hæc ſtrictior, latior illa; ergo ens conſtat ex genere & differentiâ.

Si ipſi adverſarii attenderent ad ſuammet doctrinam, hæc utique docerent. Admittunt tres proprietates entis *ut ſic*; veritatem, bonitatem, unitatem; admittunt proprietatem attributum eſſe reciprocum,

neceſſarium, fluens ab eſſentia; admittunt nullam eſſe eſſentiam ſine genere & differentiâ, & dubitant poſteà utrùm admittant in ipſo ente *ut ſic* genus & differentiam.

At, inquient, repugnat in terminis aliquid conſtare ex genere & differentiâ, & non eſſe ſubjicibile; nam quod conſtat ex genere & differentiâ agnoſcit genus ſuprà ſe: ſed quod agnoſcit genus ſuprà ſe eſt ſubjicibile; ergo quod conſtat ex genere & differentiâ eſt ſubjicibile.

Nego propoſitionem: ad cujus probationem, concedo majorem, & diſtinguo minorem: quod agnoſcit genus ſuprà ſe, ſi illud genus non ſit ipſum ens, eſt ſubjicibile, concedo minorem: ſi illud genus ſit ipſum ens, nego minorem: proindeque ens *ut ſic*, conſtans ex genere & differentiâ, eſſet ſubjicibile, ſi genus illud eſſet aliud quàm ens: quemadmodum homo ex genere & differentiâ conſtans, eſt ſubjicibilis, quia genus hominis eſt quid aliud quàm homo: ſed profectò non eſt ſubjicibile, quia genus illud non eſt niſi ipſum ens.

Contrà ſolutionem, genus tranſcendentale ſubjicitur generi *ut ſic*; ergo ſpecies eſt ſubjicibilis.

Diſtinguo majorem: ſi genus *ut ſic* non ſit ens quod eſt genus tranſcendentale, con-

tere, quas dicunt attributa : ſed iſta apud Spinoſiſtas non ſunt niſi voces quas notiones dicunt, quibus ſubſtantia poſſit concipi, & quæ in rei veritate nihil ſunt.

2°. Modificationes, quæ pariter eſſe nequeunt ſine ſubjecto cui inſunt, ſed ſubjectum ſine ipſis poteſt exiſtere, quas accidentia appellant.

Hæc non ità malè; duplex enim eſt modificationis ſpecies, alia eſſentialis, alia contingens.

Eſſentialis modificatio quadruplex eſt, putà genus, differentia, ſpecies, proprietas, ſumpta in abſtracto, de quibus actum fuit in exercitatione. Hæc quatuor dicantur attributa per me licet; ſed nomine attributi intelligatur modificatio eſſentialis, ſive ſit gradus genericus qui dicitur pars eſſentiæ latior, ſive ſit gradus differentialis qui dicitur pars eſſentiæ ſtrictior; ſive ſit tota eſſentia, ſive totum reſultans ex genere & differentiâ, ſive ſit proprietas, id eſt, gradus fluens ab eſſentiâ.

Hactenùs hancce modificationis diviſionem eſſe adæquatam, ita ut nulla poſſet afferri modificatio, quæ differret à modificatione priùs definitâ, & à duabus illis ſpeciebus, Philoſophi docuerant.

Sed Spinoſiſtæ tertiam modificationis ſpeciem admisêre, quam modificationis nomine donaverunt, quam tamen alio nomine

dicunt *ens modificatum* ; quaſi verò ſit aliquod ens in quo gradus eſſentiales ſuprà memorati non ſint ; quaſi verò quodlibet ens, ſive ſubſtantia ſit, ſive modificatio ſit, non ſit modificatum.

Ut illud aſſerant, duo de hoc ente modificato ſtatuunt. 1°. Ne credatur quòd ſit ens à ſe, ſtatuunt ipſum non habere exiſtentiam à ſe, ſed eam habere ab ente abſoluto acceptam.

2°. Ut ſuprà vidimus, illud ens modificatum definiunt *ens quod eſt diſtinctè in alio, & per aliud* : hæc autem verba diſtinctè in alio & per aliud idem ſignificant ac habere exiſtentiam ſeparatam à quâvis aliâ exiſtentiâ, quæ quidem exiſtentia effectiva eſt, & ab ipſis dicitur ſubjectiva, qua- [illegible] ſubjecti, ut accidentia recipiantur in ente modificato.

Hæc blaterant, & alia longè plura quæ recenſuimus, ut aſſerant mineralia, metalla, plantas, animalia, homines, non eſſe niſi modos hujuſce ſubſtantiæ, quos cohoneſtavêre nomine entium modificatorum ; eâ tamen conditione, ut remaneant ipſius modificationes.

Hæc ob oculos ponere, refutare eſt : hæc autem ut aſſerant, eò dementiæ veniunt, ut materiam, quæ varia ſuarum partium diſpoſitione conſtituit varias corporum extenſorum ſpecies, quæ præbet, ut aiunt ipſi,

exiſtentiam entibus merè extenſis, non modò ſubſtantiæ, ſed etiam entis nomine indignam eſſe voluerint : ſed lege quæ à nobis ſuprà dicta ſunt.

Ex his ſequitur nullum exiſtens concipi poſſe quod non habeat exiſtentiam ſibi propriam, quâ vel exiſtat in ſe, vel exiſtat in alio tanquam ſubjecto cui inſit & inhæreat : exiſtentiam verò, quantumvis propria ſit & diſtincta, entis quod inhæret alteri, nunquam eſſe ſeparatam, aut ſeparabilem à ſubjecto cui eſſentialiter ineſt & inhæret.

De Subſtantiâ.

Philoſophi ducem Ariſtotelem ſecuti, putà Arabes, rem ſeu ſubſtantiam definierunt *ens per ſe ſubſiſtens*; quâ definitione poſitâ, perſeitas habita eſt ut differentia entis multiplicativa & conſtitutiva rei ſeu ſubſtantiæ.

Philoſophi noſtrates dederunt ipſimet hanc definitionem ſubſtantiæ unanimi fermè conſenſu : ſed tandem deprehenderunt poſſe homines convertere hanc definitionem in pravum uſum, ut reverà factum eſt : cùm aliam inquirere debuiſſent, eam retinuerunt, atque, ut averteretur abuſus, huicce voci determinatum ſenſum dederunt : unde datâ hâc definitione, *ſubſtantia eſt ens per ſe ſubſiſtens*, addiderunt, id eſt, *independens à ſubjecto inhæſionis*; unde ipſa

perſeitas nihil aliud erat niſi independentia à ſubjecto inhæſionis : ſed ipſa vox *perſeitas* etymologiâ ſuâ alium indicat ſenſum ; quod adeò verum eſt, ut egomet cum aliis ſequentem objectionem mihi propoſuerim.

Dices : ſolus Deus per ſe ſubſiſtit ; ergo ſubſtantia *ut ſic* definiri non debet *ens per ſe ſubſiſtens.*

Diſtinguebam antecedens : ſolus Deus per ſe ſubſiſtit, hoc ſenſu quòd nullam ſuî cauſam agnoſcat, concedo : hoc ſenſu quòd ſolus non dependeat à ſubjecto inhæſionis, nego, proindeque diſtinguo conſequens: non debet definiri *ens per ſe ſubſiſtens*, id eſt, ens quod excludat cauſam ſuî, concedo : id eſt, independens à ſubjecto inhæſionis, nego.

Hæc libenter non legebam, ſed tandem obſervatum à me fuit ipſam definitionem accuratè retineri, & explicationem facilè negligi, atque præſertim temporibus noſtris, quibus creationis poſſibilitas facta eſt ampla diſputationum ſeges : differentiam ſubſtantiæ quæſivi, quæ lucidiùs ſubſtantiæ naturam aperiret, & inſeitatem detexi. Quid Spinoſiſtæ? huic voci adjunxêre aſeitatem, quâ voce apertè ſumunt unicam eſſe ſubſtantiam, quæ ab ipſis definitur *ens in ſe & à ſe*; & ſubſtantiæ nomine ſpoliant cætera, quæcumque ſint, entia, ſive vege-

tent, ſive ſentiant, ſive cogitent, ità ut unius vocis, putà *aſeitas*, additione Univerſum non ſit niſi hæc ſubſtantia numero una cum ſuis modis.

Igitur ſubſtantia à me definita eſt *ens in ſe*; tunc enim intelligitur quòd illud ens non ſit in alio cui inhæreat & inexiſtat; & certè inſeitas meliùs intelligitur differentia multiplicativa entis, & conſtitutiva rei, quàm perſeitas; quemadmodum inalietas eſt pariter multiplicativa entis, & conſtitutiva modificationis.

Proprietas eſt ſubſtantiæ, quam laudat Ariſtoteles, quòd ipſi nihil ſit contrarium; proindeque quæcumque ſubſtantia incorruptibilis eſt ab intrinſeco, eſt proinde ingenerabilis, ut fuſiùs docebitur; adeòque ſolâ creatione naſci poteſt, ſolâ annihilatione poteſt deſtrui; varias quidem pati poteſt & patitur modificationes & determinationes; ſed ratione ſuî incorruptibilitatem ſervat, quod quidem obſervatione dignum eſt.

Quotuplex ſit Subſtantia.

Epicurus, Lucretius, plures admisêre ſubſtantias, ſed homogeneas, id eſt, ejuſdem ſpeciei; corpuſcula nimirùm ſolida infinitis configurationibus donata, ſed inſectilia, quia unumquodque unica eſt ſub-

ſtantia, quæ moverentur in ſpatio, quod ſpatium nec eſt res, nec eſt modificatio: quæ quidem corpuſcula poſt varios itus & reditus ità coaluerunt, ut tandem mundum hunc aſpectabilem, opus nempe fortuitum, effecerint.

Eamdem doctrinam tenuit Gaſſendus, ſed emendatam, in hoc præſertim quòd aliam admiſerit ſubſtantiam, quæ creavit ipſas atomos, quapropter ſpecie multiplicem.

Ariſtoteles plures admiſit ſubſtantias pariter homogeneas, purà materiam extenſam, ſed cujus partes extrà partes ſunt totidem ſubſtantiæ, quæ proinde ſunt diviſibiles: unde extenſio atomorum dicitur indiviſibilis, quia quælibet atomus ſupponitur unica ſubſtantia; extenſio verò materiæ dicitur diviſibilis, quia quælibet materiæ pars eſt ſubſtantia.

Quæſtio eſt utrùm Ariſtoteles admiſerit ſubſtantiam ſpecie aliam à materiâ: plura ſunt argumenta, quibus demonſtratur aliam ſpecie ab ipſo non fuiſſe admiſſam; atque, cùm ipſa materia ſecundùm ſe & ratione ſuî ſit merè paſſiva, finxiſſe formam quamdam, quam ipſius diſcipuli dixêre *ſubſtantialem*, quæ foret principium motûs & ipſarum impreſſionum, atque cogitationum, quam dicebat actum primum corporis certis organis donati; ſic Democritus in ſuis

atomis admittebat principium motûs, quod nuſquam explicuit.

Noſtrates tamen Philoſophi facti tandem Ariſtotelis diſcipuli admittebant, & ſemper admiſerunt ſubſtantiam ſpecie multiplicem, putà ſpiritalem & corpoream : ſed ante tempora Carteſii hæc ſubſtantiæ diviſio erat mera hypotheſis, neque in ipſorum mentem veniebat ut inquirerent quo pacto illud poſſet demonſtrari, v. g. non quærebatur utrùm anima rationalis eſſet ſubſtantia à corpore diverſa : ſed, hoc ſuppoſito, quærebatur utrùm ipſa foret immortalis, id eſt, utrùm foret corpori ſuperſtes ; atque, dum ventum erat ad illud punctum, quòd exercebat functiones ſpiritales, demonſtratio completa cenſebatur.

Unde dum Carteſius ſuâ uſus methodo diſcrimen illud inquiſivit, & ipſum demonſtraſſe ſibi viſus eſt, atque juris publici fecit, tantus gentis philoſophicæ fuit applauſus, ut id unum deſiderari viſum fuerit; nempe quod laxiori & liberiore argumentatione proſecutus fuerat, hoc contractiore & Geometrarum more ob oculos poneret, quod quidem poſtulanti Merſennio conceſſit : inde tot Elogia vel Epitaphia, marmori inciſa, ejus memoriæ conſecrata ſunt, tanquam homini, qui corpus & ſpiritum ſubſtantias eſſe ſpecie diverſas demonſtraverat; nonnullis tamen reclamantibus, unde

nata eſt altercatio inter Philoſophos utrùm rationes Carteſianæ valerent, & intentum probarent; plurimis, ut fieri ſolet, novum philoſophandi genus impensè laudantibus; aliis, quos inter viri magni nominis, contradicentibus.

At res peragebatur ſine fundamenti Religionis vel naturalis periculo; ſcilicet utraque pars fatebatur, ii præſertim qui Platonem cum ſanctis Patribus divinum vocant, corpus & ſpiritum eſſe reverà ſubſtantias ſpecie diverſas, donec Spinoſa Carteſio, Ariſtoteli & omnibus aliis Philoſophis apertè refragatus, dogma prius expoſitum, in lucem emiſerit, quo perſuadere vult ſubſtantiam numero unicam cum ſuis attributis, modis & accidentibus, eſſe ipſum univerſum: unde, quæ in ipsâ ſubſtantiâ reponi non poſſunt, reponit in ipſius modis, quos vocat entia modificata, quæ tamen ipſa ſunt modificationes; unde, quæ ſunt merè extenſa ut foſſilia, mineralia, metalla, plantæ, ſint entia modificata; quæ ſunt extenſa ſimul & ſenſitiva, qualia ſunt omne brutorum genus, ſint pariter entia modificata: denique entia extenſa ſimul ſenſitiva & cogitantia ſunt tertia ſpecies entium modificatorum. Cætera quæ de hoc ſyſtemate ſuprà dicta ſunt, lege: vitia quæ ex iis ſcaturiunt innumera, juxtà uſum ſcholæ, refellam, poſtquam

examini ſubjecero utrùm Carteſius reverà demonſtraverit corpus & ſpiritum eſſe ſubſtantias ſpecie diverſas.

Utrùm Carteſius reverà demonſtraverit ſpiritum & corpus eſſe ſubſtantias ſpecie diverſas.

Hanc demonſtrationem in ſuis meditationibus præſertim aſſequi conatus eſt Carteſius; nimirùm meditatione ſecundâ ideam claram & diſtinctam principii cogitantis ſibi videtur proponere, & obſervat faciliùs ſpiritum concipi quàm corpus; in ſequentibus illud diſcrimen identidem tentat quod, meditatione ſextâ, totis viribus aperire conatur hâc ferè ratione, « quia novi ea omnia, quæ clarè & diſtinctè concipiuntur, » poſſe produci à Deo talia qualia conci» piuntur, ſufficit, ſi clarè & diſtinctè rem » unam concipiam ſine alterâ, ut certus » ſim rem unam eſſe diverſam ab alterâ : » itaque, dum ex unâ parte habeo claram » & diſtinctam ideam meî, quatenùs ſum » dumtaxat res cogitans, & non extenſa, » & dum ex alterâ habeo ideam diſtinc» tam corporis, quatenùs eſt tantùm res » extenſa & minimè cogitans, certum eſt » animam meam, quâ ſum id quod ſum, » eſſe planè & reverà diſtinctam à meo » corpore.

Quid ad hæc Arnaldus? ut major hujuſce argumenti ſit vera, idea non modò debet eſſe clara & diſtincta, ſed debet eſſe integra vel in principiis ipſius Carteſii, qui in ſuis reſponſis ad primas objectiones, ſolam diſtinctionem formalem ſufficere fatetur, ut una res diſtinctè & ſeparatim ab aliâ concipiatur; unde ibidem hæc addit Carteſius: ſed concipio integrè quid ſit corpus (id eſt, concipio corpus ut rem completam) dum judico id unum ipſum eſſe rem extenſam, figuratam, mobilem, &c. licèt de ipſo negem quæ pertinent ad naturam ſpiritûs: ex alterâ parte concipio ſpiritum eſſe rem completam, quæ dubitat, quæ intelligit, quæ vult, &c. licèt de ipſo negem quæcumque pertinent ad corpus; debuit ergo probari à Carteſio hanc corporis & hanc ſpiritûs ideas eſſe completas & integras.

Carteſius in ſuis reſponſis ad hanc Arnaldi objectionem fatetur ſolum Deum habere poſſe rerum ideas integras proindeque non poſſe dari rei notitiam, quæ ſit integra, ſed ſufficere ut idea ità diſtincta ſit, ut per eam noſcamus rem eſſe completam: res autem completa, inquit, nihil aliud eſt quàm ipſa ſubſtantia donata formis, aut attributis ſufficientibus, ut cognoſcatur ipſam eſſe ſubſtantiam; ſed hoc poſito, ruit planè demonſtratio Carteſiana, niſi certitudo

habeatur eſſe in ipsâ ſubſtantiâ formas & attributa, quæ ſufficiant ut completa ſit.

Aliâ viâ Henricus More Anglus in univerſitate Cantabrigienſi Profeſſor, demonſtrationem Carteſianam impugnat : Deus eſt res extenſa, inquit, nempe eſt omnipræſens, & univerſam mundi machinam, ſingulaſque ejus particulas intimè occupat; quomodò enim motum imprimeret materiæ, niſi proximè quaſi attingeret materiam : Deus igitur ſuo modo extenditur atque expanditur.

Sic ipſi reſpondet Carteſius : *Ego verò non ſoleo quidem de nominibus diſputare, atque ideò, ſi ex eo quòd Deus ſit ubique, dicat aliquis eum eſſe quodammodo extenſum, per me licet*; ubi negat de Deo, de Angelis, extenſionem, quam corpori tribuit in partes diviſibilem.

Alterâ epiſtolâ datâ ad Carteſium ipſe More ſic ipſum urget : *per veram extenſionem intelligis quam tangibilitas & impenetrabilitas comitatur; hanc etiam ipſam nego in Deo, in mente, in Angelo, tamen aſſero aliam eſſe extenſionem æque veram, quæ in Angelis, menteque humanâ, ut terminos, ità & figuram habet, cùm Deus, quantùm mens humana capit, ſit totus ubique, integrâque ſuâ eſſentiâ omnibus ſpatiis ſpatiorumque punctis adſit; non eſſet ideò diviſibilis : unde præſentiam ſeu amplitudinem, ut ipſe vocas,*

divinam, menſurabilem agnoſcam, Deum autem ipſum diviſibilem nullo modo.

Ipſe exiſtimo immane quantùm differre divinam amplitudinem & corpoream; divina ſub ſenſum cadere non poteſt, corporea poteſt; divina increata & independens, corporea creata & dependens; hæc craſſa & impenetrabilis, illa penetrabilis, per omnia pervadens, ex totalis & integræ eſſentiæ repetitione ubiquitariâ.

Carteſius ſic reſpondet: *nullam intelligo nec in Deo, nec in Angelis, vel in mente noſtrâ, extenſionem ſubſtantiæ, ſed potentiæ duntaxat, ità ſcilicet ut poſſit Angelus potentiam ſuam exercere, nunc in majorem, nunc in minorem ſubſtantiæ corporeæ partem: quòd autem quis extenſionem, quæ ſolius potentiæ eſt, tribuat ſubſtantiæ, ejus præjudicii eſſe puto; quod quidem ſic aliis verbis exprimit: puto Deum, ratione ſuæ potentiæ, ubique eſſe: ratione autem ſuæ eſſentiæ nullam planè habere relationem ad locum.*

Idem More reſponſum dedit: *puto implicare contradictionem quòd potentia mentis ſit extenſa, cùm mens ipſa non ſit extenſa ullo modo; cùm enim potentia mentis ſit modus mentis intrinſecus, non eſt extrà mentem ipſam, concedis Deum ubique eſſe ratione potentiæ, non ratione eſſentiæ, quaſi potentia divina, quæ Dei modus eſt, extrà Deum eſſet ſita; potentia nempe divina attingit*

materiam, & modo aliquo reali unitur cum ea, ac proinde extenditur, nec tamen intereà ſeparatur ab ipſâ divinâ eſſentiâ.

Tandem reſponſionem ad Morum, ſed inchoatam, paraverat Carteſius, in quâ ſunt hæc verba: *dixi Deum extenſum ratione potentiæ, quòd ſcilicet illa potentia ſe exerat, vel exerere poſſit in re extensâ, certumque eſt Dei eſſentiam debere ubique eſſe præſentem, ut ejus potentia ibi poſſit ſe exerere; ſed nego illam ibi eſſe per modum rei extenſæ; hoc eſt, eo modo quo paulò ante rem extenſam deſcripſi.*

Hæc ex Arnaldo & Philoſopho Anglo præmiſi, antequam meam ſententiam aperirem & demonſtrationem Carteſii in formâ proponerem, ut intelligerent omnes non negaſſe ſpiritibus quamlibet extenſionem, v. g. extenſionem totius ſubſtantiæ, ſed tantùm tribuiſſe corpori extenſionem diviſibilem quâ ſubſtantia partes habet quæ ſubſtantiæ ſint extrà partes quæ ſubſtantiæ ſint, ex quâ potuiſſet demonſtrare Carteſius corpus & ſpiritum eſſe res duas, duas ſubſtantias, ut patebit.

Has dedit definitiones Carteſius.

Spiritus ſubſtantia ſit cui immediatè ineſt cogitatio.

Corpus ſubſtantia ſit, cui immediatè ineſt extenſio cum cæteris ejus appendicibus.

Hiſce definitionibus addidit axioma:

duæ res diſtinguuntur, ſi una poſſit exiſtere ſeorſim ab aliâ. His poſitis, poſuit hanc propoſitionem; *ſpiritus & corpus ſunt duæ res diſtinctæ.*

Demonstratio.

Quidquid clarè concipitur à Deo, fieri poteſt ut concipitur: atqui clarè concipitur ſpiritus, id eſt, ſubſtantia cogitans, ſine corpore, id eſt, ſubſtantiâ extensâ; & aliunde tam clarè concipi poteſt corpus ſine ſpiritu, ut quiſque fatetur; ergo ſaltem, Deo volente, ſpiritus poteſt eſſe ſine corpore, & corpus ſine ſpiritu.

Refellitur Carteſius.

Ut illud accuratè fiat, 1°. Poſtulo cum Carteſio cogitationem non eſſe rem ipſam cogitantem, ut Carteſiani recentiores docent, & unam cogitationem non eſſe ſubjectum alterius cogitationis, ſed eſſe ipſius ſpeciem.

2°. Subſtantiam non cognoſci immediatè per ſemetipſam; ſed eatenùs cognoſci, quâtenùs ipſius modificationes cognoſcuntur: utrumque poſtulatum patet ex reſponſione ab ipſo factâ tertiis objectionibus.

His poſitis, ſic argumentor: eatenùs Carteſius poteſt concipere corpus & ſpiritum

eſſe duas res diverſas, quatenùs ex conceptu cogitationis & extenſionis colligi poſſet corpus & ſpiritum eſſe res diverſas: atqui ex conceptu cogitationis & extenſionis colligi non poteſt corpus & ſpiritum eſſe res diverſas; nam, ut ex conceptu modificationum colligatur res eſſe diverſas, non ſufficit quòd modificationes concipiantur diverſæ, quia nimirùm diverſæ formalitates poſſunt eſſe in unâ eâdemque re; ſed præterea concipi debent incompatibiles: atqui, licèt cogitationem & extenſionem diverſas conceperit Carteſius, in quantùm alia eſt perceptio cogitationis, alia extenſionis, tamen nuſquam concepit ipſas incompatibiles.

Nam 1°. Nullibi dixit ipſas ſic à ſe con-[illegible]. hoc unum dixit, nullam eſſe affinitatem inter extenſionem & cogitationem: verùm aliud eſt modificationes eſſe incompatibiles, aliud eſt non eſſe affines.

2°. Quî concepiſſet extenſionem & cogitationem incompatibiles, ipſe, qui diligenter inquiſivit qualis foret animæ ſedes in cerebro, quale domicilium; qui unam negavit Deo extenſionem, quæ foret ſpecies ſimilis extenſioni corporum, qui timebat ne ex hâc extenſione Deus foret in partes diſcerptibilis & diviſibilis, atque ſic de aliis ſpiritibus; igitur ex conceptu modificationum extenſionis & cogitationis non potuit Carteſius colligere corpus & ſpiritum eſſe res

diverſas, cùm extenſio generatim ſit genus corporis & ſpiritûs : extenſio verò diviſibilis differentia corporis, quia eatenùs hæc extenſio diviſibilis eſt, quatenùs corpus eſt ſubſtantia entitativè infinita, cujus partes poſitæ aliæ extrà alias, ſunt totidem ſubſtantiæ : eſt autem indiviſibilis in ſpiritibus, quatenùs ſpiritus eſt ſubſtantia entitativè una, id eſt, carens partibus quæ ſubſtantiæ ſint.

Et certè, ſi attentiùs meditemur rationes Carteſianas, facilè deprehendetur ſophiſma; nimirùm ſupponit ſemper corpus & ſpiritum eſſe duas res, & ad id unum tendit, ut probet res illas eſſe diverſas : porrò cardo difficultatis in ſolâ diverſitate poſitus non eſt, ſed in ipsâ pluralitate & diſtinctione; dicunt quippe adverſarii, corpus & ſpiritum unam eamdemque rem eſſe; proindeque ſupponi non debet res eſſe duas, ſed probari quod à Carteſio probatum non fuit; ſanè ſi darent adverſarii corpus & ſpiritum res eſſe duas, nihil faciliùs probatu eſſet ex diverſitate perceptionum extenſionis & cogitationis, quàm ipſa rerum diverſitas.

Denique inſpiciamus ipſas rationes Carteſii; en propoſitio minor: *clarè concipitur ſpiritus, id eſt, ſubſtantia cogitans, ſine corpore, id eſt, ſine ſubſtantiâ extensâ.*

1°. Vides ſpiritum & corpus ſumi tanquam duas res.

2°. Eatenùs concipitur ſpiritus, quatenùs concipitur cogitatio : eatenùs concipitur corpus, quatenùs concipitur extenſio : porrò poteſt quidem inadæquatè concipi res cogitans, licèt non concipiatur extenſa : verùm exinde non ſéquitur rem cogitantem aliam eſſe à re extensâ : quapropter vox illa *ſine* æquivoca eſt, vel eſt excluſiva, vel præciſiva ; ſi ſumatur à Carteſio præciſivè, non benè ſequitur diſtinctio rerum, ſed abſtractio : ſi ſumatur excluſivè, abſolutè negatur minor, nec uſquam à Carteſio probata fuit.

Idem dicas de particulis *tantùm* & *non* in hâc phraſi : *ergo quia ex unâ parte habeo claram & diſtinctam ideam meî, quatenùs ſum dumtaxat res cogitans & non extenſa* ; ſcilicet pernego concipi poſſe rem cogitantem, ità ut in ipſius ideâ ſit excluſio extenſionis, quæ genus eſt rei cogitantis, & eſt ipſius proprietas, quatenùs eſt indiviſibilis.

Dices : poſſum ideam claram & diſtinctam habere meî cogitantis, etiam negato quòd ullum exiſtat corpus, exiſtat ulla extenſio ; ergo poteſt concipi res cogitans cum excluſione extenſionis.

Concedo antecedens : nam quidni poſſit inadæquatè concipi res cogitans, & poſteà negari exiſtentia extenſionis, licèt extenſio exiſtat cum cogitatione in unâ eâdemque

re? ut benè, ſic malè aliquid poteſt negari.

Diſtinguo conſequens : poteſt concipi res cogitans cum excluſione extenſionis per judicium, concedo : cum excluſione per perceptionem, nego. Equidem, ut modò dicebam, poteſt concipi res cogitans, ſi concipiatur cogitatio; & quia poteſt concipi cogitatio, non conceptâ extenſione, certè conceptâ inadæquatè re cogitante, poterit per judicium excludi ab ipſâ extenſio : ſed an benè, an malè excluditur, en difficultas, quia, dum concipitur res cogitans, nunquam extenſio percipi poteſt ab ipſâ excluſa : itaque perceptio rei cogitantis omittat extenſionem, hoc fortè fieri poteſt, ſed excludat, ſi deprehendiſſet Carteſius, alicubi dixiſſet.

Præterea, ſi advertimus ad reſponſiones Carteſianas, quamlibet extenſionem ſpirituum non negabat; ſed propriè negabat illis ineſſe extenſionem ſubſtantiæ materialis, cujus partes ſunt totidem ſubſtantiæ extrà ſe poſitæ.

Dices iterùm : ad diſtinctionem realem ſufficit quòd duæ res concipiantur ſeorſim ut completæ : atqui ſpiritus & corpus concipiuntur ſeorſim ut duæ res completæ; ergo diſtinguuntur realiter : ſic Carteſius in reſponſione ad objectiones doctiſſimi Arnaldi.

Reverà ſic Carteſius loquitur; ſed nuſ-

quam probavit ſpiritum & corpus eſſe duas res compleras, quia nuſquam probavit incompatibilitatem extenſionis cum ſubſtantiâ cogitante, & cogitationis cum ſubſtantiâ extensâ : quapropter iſta reſponſio effugium potiùs eſt quàm difficultatis ſolutio, quo Gentiles uti potuerant ut plures Deos admitterent; quid enim eſt juſtum, niſi ſubſtantia quæ juſta eſt? quid miſericors, niſi ſubſtantia quæ eſt miſericors? Admitte in ſubjecto quæcumque pertinent ad juſtitiam, & in miſericorde, quæcumque pertinent ad miſericordiam : nega de juſto, quæcumque pertinent ad miſericors, & de miſericorde, quæcumque pertinent ad juſtum; ideòne miſericors & juſtum futuræ ſunt duæ res completæ? requiritur; ergo non modò requiritur diverſitas formalitatum, ut conſtituantur duæ res, ſed ipſarum incompatibilitas, non modò ſimul, ſed etiam ſucceſſivè.

Hîc mihi liceat obſervare potuiſſe Carteſium argumentum efficax proponere, quo demonſtraviſſet corpus & ſpiritum ſubſtantias eſſe ſpecie diverſas, ſi ab extenſione diviſibili, qualis eſt in corporibus, & à cogitatione, proceſſiſſet, non autem ab extenſione generatim ſumptâ; hoc modo nimirùm : corpus & ſpiritus ſunt duæ ſubſtantiæ ſpecie diverſæ, ſi ſunt modificationes eſſentiales corpori & ſpiritui, quæ ſint incom-

patibiles : atqui ſunt modificationes eſſentiales corpori & ſpiritui planè incompatibiles ; nam corpus extenſum eſt extenſione diviſib li, & ſpiritus eſt ſubſtantia cogitans : atqui extenſio diviſibilis & cogitatio ſunt prorsùs incompatibiles ; nam eatenùs extenſio corporis diviſibilis eſt, quatenùs corpus habet partes quæ ſubſtantiæ ſint, extrà partes quæ ſubſtantiæ ſint ; & eatenùs ſpiritus cogitat, quatenùs eſt ſubſtantia entitativè una, quæ caret partibus, quæ ſubſtantiæ ſint : unde cogitatio eſt ab unâ & indiviſibili ſubſtantiâ : atqui modificatio, quæ eſt ab unâ & indiviſibili ſubſtantiâ, ſociari nequit, & eſſe in ſubſtantiâ entitativè multiplici ; unde ſubſtantia entitativè infinita eſt omninò diſtincta à ſubſtantiâ entitativè unâ ; ergo ex extenſione diviſibili & cogitatione ſequitur rem quæ extenſa eſt hâc extenſione, & rem quæ cogitat, eſſe duas res ſpecie diverſas.

Refelluntur alii Recentiores.

Carteſii diſcipuli obſervarunt demonſtrationem ab ipſo datam maximas pati difficultates. Agnoverunt tandem ſubſtantias non poſſe colligi diverſas ex ſolâ diverſitate modificationum, ſed ipſas eſſe debere incompatibiles ; nuſquam autem probari poſſe extenſionem & cogitationem, ſumptas ut modificationes,

modificationes, eſſe incompatibiles; adeòque aliquatenùs à Carteſio declinantes non diſtinxêre cum ipſo inter ſubſtantiam cogitantem & cogitationem, inter rem extenſam & extenſionem; ſumpſerunt extenſionem eſſe corpus ipſum, & cogitationem eſſe ſpiritum: unde facilis fuit demonſtratio diverſitatis inter corpus & ſpiritum, hoc modo: ideæ, quæ in nobis ſunt perfectiſſimæ, ſunt idea cogitationis, & idea extenſionis: diverſæ ſunt autem; ergo earum objecta, ut in ſe ſunt, ſunt diverſa: ſed objecta ſunt extenſio & cogitatio, ergo cogitatio & extenſio ſunt entia diverſa: jam verò extenſio corpus eſt, & cogitatio, ſpiritus.

At quàm infeliciter ab ipſis ſumptum fuerit extenſionem eſſe corpus, & cogitationem eſſe ſpiritum, aliquandò videbitur, & manifeſta fiet aſtutia, quâ uſus eſt clariſſimus Regis, ut hæc duo tanquam Philoſophiæ fundamenta haberentur.

Liceat impræſentiarum inquirere an armis Carteſianorum expugnari poſſit Spinoſæ dogma nequiſſimum: clariſſimus Jacquelotius, & venerabilis amicus, è florentiſſimâ & ſanctiſſima Patrum Benedictorum familiâ, multa certè ingenioſa, egregia, multa ad perſuadendum utilia, ſcripſerunt, ſed, eorum pace dixerim, nimis addictos carteſianis principiis propoſuiſſe argumenta,

quæ non ſunt planè efficacia: Amici pace dixerim me impatienter tuliſſe in præfatione ſui libri indicium præjudicii manifeſtius quàm par ſit in viro quem omnes ut metaphyſicum ſuſpiciunt. Legit ipſe librum adversùs Spinoſam ſcriptum, in quo Auctor fatetur ſpiritus eſſe extenſos: quid tunc amicus? librum claudit & protinùs judicat doctrinam hanc non eſſe minùs noxiam quàm ſit Spinoſæ Atheiſmus: hoc, inquam, impatienter tuli; & tamen non ſine jucunditate & attentione librum Amici ſemel & iterùm legi: neſcio quis ſit ille liber de quo loquitur, Auctorem non novi, ſed hoc poſſum aſſerere ſine oſtentatione; poſſe nimirùm hanc opinionem teneri, ſpiritus eſſe extenſos; nec inde ſequi aliquid ſive moribus, ſive fidei, ſive rationi noxium: ſit

Noſtra Sententia.

Hîc breviter in memoriam revoco quæ ſuprà à nobis dicta ſunt, tum de ipſâ ſubſtantiâ in ſe præcisè ſpectatâ, tum de variis ſpeciebus entium quas agnovit Spinoſa: itaque eadem quæ priùs dicta ſunt ad uſum ſcholæ accommodata: ſic propono.

PRIMA PROPOSITIO.

Hæc ſubſtantiæ definitio, *ſubſtantia eſt ens in ſe*, perfecta & completa eſt.

Probatur : nam illa definitio completa & perfecta eſt, quæ conſtat ex genere proximo, & ex differentiâ, quæ proximè genus contrahit: atqui hæc definitio conſtat ex genere proximo, & ex differentiâ, quæ proximè genus contrahit; ens enim genus eſt; inſeitas, quæ ipſum contrahit, differentia eſt; ratio enim entis communis eſt omnibus; per inſeitatem verò ſubſtantia differt à modificationibus, quæcumque ſint; ergo hæc definitio ſubſtantiæ completa eſt & perfecta.

Et certè hæc definitio completa eſt & perfecta, quâ natura ſubſtantiæ intelligitur integra: atqui hâc definitione natura ſubſtantiæ intelligitur integra; intelligitur enim quòd ſubſtantia nuſquam inhæreat, & inexiſtat alteri tanquam ſubjecto inhæſionis; & cùm ſubſtantia ſit, id eſt, *ſtans ſub, jacens ſub*, quòd ſubſtantiæ inſint, inhæreant & inexiſtant modificationes; ergo hæc definitio completa & perfecta eſt.

COROLLARIUM.

Non debuit igitur addi huic definitioni quòd ſubſtantia ſit prætereà ens à ſe; atque hæc vox *aſeitas* non fuit addita, ut clariùs innoteſceret quid ſit ſubſtantia, ſed ut Spinoſiſtæ à notione ſubſtantiæ excluderent entia, quæ modificata dixerunt; quæ ſem-

per habita fuerunt, ex quo extiterunt Philoſophi, ut ſubſtantiæ, & res propriè dictæ; quatenùs nimirùm entia ſunt in ſemetipſis, id eſt, quæ nuſquam inſint & inhæreant alteri tanquam ſubjecto inhæſionis; quod adeò verum eſt, ut Spinoſiſtæ fateantur hæc entia imitari naturam entis abſoluti, id eſt, neceſſariò exiſtentis; non quia, ut aiunt aſtutè, videntur eſſe à ſemetipſis, ſed quia ſemper viſa ſunt in ſemetipſis, id eſt, minimè inhærentia; ſcilicet ex quo extitêre Philoſophi, nuſquam quæſitum eſt utrùm exiſterent vel non in ſemetipſis, ſed probatum ſemper fuit ea non exiſtere à ſemetipſis.

SECUNDA PROPOSITIO.

Entia, quæ Spinoſa dixit modificata, putà merè extenſa, extenſa ſimul & ſenſitiva, extenſa ſenſitiva & cogitantia, ſunt veræ ſubſtantiæ & propriè dictæ.

Probatur: nam entia illa ſunt veræ ſubſtantiæ & propriè dictæ, quæ ſunt in ſemetipſis, nec alteri inhærent: atqui, ipſo Spinosâ fatente, hæc entia ſunt in ſemetipſis, nec alteri inhærent tanquam ſubjecto inhæſionis; nam hæc entia, juxtà Spinoſam ipſum, exiſtentiam habent diſtinctam & ſeparatam ab exiſtentiâ ejus, in quo dicuntur eſſe, exiſtunt in ſemetipſis, nec inhærent alteri, aut inexiſtunt; exiſtentia,

quippe inhærentium, diſtincta licèt, nuſquam poteſt eſſe ſeparata ab exiſtentiâ rei cui inſunt & inhærent; ergo hæc entia ſunt veræ ſubſtantiæ.

Et certè ſi hæc entia inhærere nequeunt ſubſtantiæ Spinoſiſtarum, certè nihil eſt cui inhærere poſſint: atqui hæc entia nuſquam poſſunt inhærere ſubſtantiæ Spinoſiſtarum, quæ ità una eſt, ut totum dici non poſſit, quatenùs non eſt totum, ſi non ſint partes; partes autem eſſe nequeunt in ſubſtantiâ Spinoſiſtarum; partes, inquam, vel metaphyſicæ; à fortiori, partes quæ habent exiſtentiam ſeparatam ab alio quocumque; quæ quidem propoſitio minor eſt ipſius Spinoſæ.

Prætereà ſibimet contradicit Spinoſa cùm ex unâ parte hæc entia dixit ſubſtantiæ modos, & modificationes, neque tamen eſſe poſſe in re modificatâ, hoc nuſquam auditum eſt, hoc nuſquam perceptum fuit.

Denique hæc entia, quatenùs extenſa ſunt, non ſunt niſi materia variis affectionibus mechanicis affecta & diſpoſita; quæ quidem materia ingenerabilis, eſt incorruptibilis, eademque ſemper manet, quæcumque fiat alteratio, mutatio, corruptio in ipſius formis; quod quidem fatetur ipſe Spinoſa: unde intelliguntur in extenſis duæ entium ſpecies, ſcilicet affectiones mechanicæ, quæ ipſi materiæ inſunt, necnon

materia, quæ quidem ſubjectum eſt illarum affectionum, nec ipſa alteri inhæret; ſed in ſe eſt; ergo ipſa entia extenſa, quæ non ſunt niſi materia hiſce diſpoſitionibus affecta non inhærent.

Quid ad hæc Spinoſiſta? Non poſſum fateri ens pertinere ad materiam, licèt varia partium ejus diſpoſitio ipſi præbeat exiſtentiam, quia ipſam ſeparare non poſſum ab iiſdem affectionibus, quas entia nominat, neque ipſam concipere, niſi eam ſuâ univerſalitate ſpoliem, eam videlicet determinando ad exiſtentiam ſpecialem: ſed contrà eum ſit

TERTIA PROPOSITIO.

Quidquid concipitur eſt intelligibile; quidquid eſt intelligibile eſt verum; quidquid eſt verum eſt ens: atqui materia extenſorum concipitur ab ipſo Auctore; ergo eorum materia eſt ens.

Et certè varia diſpoſitio partium materiæ eſt in ipſis materiæ partibus, ſed non ſunt in nihilo; ergo ipſa materia eſt ens.

Præterea nihili nulla eſt virtus, nulla proprietas, nulla affectio, adſunt affectiones; aliunde entia vera, putà extenſa, naſcuntur & ex illis diſpoſitionibus, & ab ipsâ materiâ tanquam ſubjecto; adſunt pariter proprietates, nempe diviſibilitas, mobilitas,

quæ quidem proprietates non modò arguunt materiam eſſe ens, ſed eſſe ſubſtantiam cujus partes ſint totidem ſubſtantiæ.

Itaque modificationes aliæ ſunt eſſentiales, aliæ ſunt contingentes; ens quodcumque exiſtere nequit ſeparatum à ſuis modificationibus eſſentialibus: poteſt autem exiſtere ſeparatum à contingentibus; modificationes eſſentiales poſſunt in ente percipi; contingentes autem in ipſo non percipiuntur niſi ut ſunt poſſibiles, licèt enti inſint & inexiſtant: porrò materia concipi poteſt, ut cætera entia, ſine ſuis modificationibus contingentibus; ſed, ut cætera entia, concipi non poteſt ſine ſuis modificationibus eſſentialibus; concipitur quidem ut ſubſtantia entitativè infinita, ſive ut ſubſtantia cujus partes ſunt totidem ſubſtantiæ, proindeque diviſibilis & mobilis, capax omnium formarum, ſed ad quaſlibet diſtributivè ſumptas indifferens; ità tamen, ut aliquæ ex collectione ipſi ſemper adſint & inhæreant; atque in hoc præcisè poſita eſt ipſius univerſalitas: ſic ſumpta concipitur; ſic ſumpta univerſalis eſt, nec ſuâ univerſalitate ſpoliatur, neque determinatur ad exiſtentiam ſpecialem, niſi cùm aliæ affectiones accedunt partium tranſpoſitione, additione, detractione; ipſa verò ſemper manet ut ſubjectum omnium illarum affectionum; ergo adeſt altera ſubſtantia ſpecie

diverſa à ſubſtantiâ Spinoſæ; ergo infinitæ ſubſtantiæ, ſed homogeneæ, quæ ſubjecta ſint illarum proprietatum, & affectionum mechanicarum.

Enimverò dari debet ſubjectum diviſibilitatis, ſubjectum mobilitatis, ſeu cui inhæreant diviſibilitas & mobilitas, quod ſit proinde diviſibile & mobile: atqui ſubſtantia Spinoſiſtarum non poſſe eſſe tale ſubjectum, nec ipſa entia modificata, cùm ipſa ſint illud ipſum ſubjectum diviſibile & mobile, & veſtitum cæteris affectionibus mechanicis vel contingentibus.

At, inquiet aliquis, quæcumque hactenùs dicta ſunt, non obſtant quominùs hæc entia modificata ſint in alio, putà, juxtà cæteros Philoſophos, in Deo.

Diſtinguo propoſitionem: non obſtant quominùs ſint in alio tanquam in loco, concedo: tanquam in ſubjecto inhæſionis, cui inſint, nego: porrò de hoc uno præcisè agitur: agetur aliquando de loco, tum in Theologiâ naturali, tum in Somaticâ.

QUARTA PROPOSITIO.

Entia modificata, quatenùs ſunt extenſa ſimul & cogitantia, non habent ab ipsâ extenſione materiæ quòd cogitent.

Probatur: ſed quid probatione opus eſt? hoc ipſum fatentur Spinoſiſtæ, quorum unus

ſic loquitur. *Percipio igitur certiſſimè dari in me, & in entibus primæ & ſecundæ ſpeciei, rem aliquam diſtinctam ab extenſione, & hoc ipſum eſſe principium ſenſuum & cogitationum;* ſed addit, *novi præterea illud principium eſſe vitam:* unde alia entia ſunt vel viventia, vel non viventia: ſed contrà hanc additionem ſit

QUINTA PROPOSITIO.

Vita, quæ dicitur dediſſe locum ſubdiviſioni corporum in viventia & non viventia, non eſt principium ſenſuum intimorum & cogitationum.

Probatur: nam actus ortus à certâ quantitate motûs in partibus organicis, cujus functio tota poſita eſt in eo quòd corpus merè vegetet, generetur, nutriatur, augeatur, alteretur, tandem corrumpatur, non eſt principium ſenſuum intimorum & cogitationum: atqui vita actus eſt ortus à certâ quantitate motûs in partibus organicis, cujus functio tota poſita eſt in eo quòd corpus merè vegetet, ſive corpus illud vegetans ſit unitum rei ſentienti, ut in belluis; rei ſentienti & cogitanti, ut in hominibus, ſive non ſit unitum, ut in mineralibus, metallis, arboribus; ergo vita non eſt principium ſenſuum intimorum & cogitationum.

I v

Quid ad hæc Spinoſiſtæ? humiliter confitentur ſe neſcire quid ſit vita; quid ergo aſſerunt cùm dicunt ipſam eſſe principium ſenſuum intimorum & cogitationum? attamen ex hoc fonte pendet tota Philoſophiæ Spinoſiſtarum fortuna; nempe nos ſentientes & cogitantes eſſe deſituros quo uno aſſeclas ſibi fecêre eos, qui, cùm profeſſi fuerint Religionem, ſentiunt conſcientiæ reclamantis remorſus, quòd ejuſdem religionis præcépta neque ſecuti fuerint, nec velint.

Utut eſt, cùm ſemel Spinoſiſtæ fatentur eſſe in entibus modificatis primæ & ſecundæ ſpeciei rem diſtinctam ab extenſione, certum eſt ſenſus intimos & cogitationes non inhærere iiſdem entibus, ut ſunt extenſa; ergo in iiſdem entibus aliud dari debet cui inſint & inhæreant, quòd ſit unitum rei extenſæ; ergo entia modificata primæ & ſecundæ ſpeciei ſunt res totales, quæ reſultant ex re extensâ extenſione diviſibili, & ex re: quæ ſit vel merè ſentiens; ſic brutum in illo ſyſtemate, vel ſentiens ſimul, & cogitans; ſic homo.

Jam verò, dum res extenſa vegetans, putà corpus noſtrum, tandem corrumpitur, res ipſa, putà materia, ſemper permanet, quia hæc corruptio nihil aliud eſt quàm ipſa tranſpoſitio partium materiæ; ſolvitur quidem unio inter corpus & rem ipſam

ſentientem & cogitantem : at, cùm ſola vegetatio pereat, & permaneat res ipſa, quæ vegetabat, putà corpus noſtrum : peritne ſolutione hujuſce unionis res ipſa ſentiens ſimul & cogitans? cùm enim res ſentiens & cogitans diſpar ſit à materiâ ejuſque modificationibus, quodnam eſt ſignum ſufficiens ut aſſeratur non ſentientes & cogitantes deſituros, ſufficiens, ut ex hoc uno de alterâ vitâ deſperemus? ipſa res extenſa permanet; quidni permaneat res ſentiens & cogitans?

Hæc ſufficiunt ut intelligamus Spinoſam, cùm dixit mineralia, metalla, arbores, belluas & homines, non eſſe ſubſtantias, ſed ſubſtantiæ ſuæ modos, mutaſſe ſola nomina, non res ipſas : hæc enim ſunt mera nugamenta, & aberrantis rationis deliria; quid eſt enim modus exiſtentiam habens non modò diſtinctam, ſed ſeparatam? hoc nuſquam auditum nec lectum fuerat ante ipſius tempora.

Utrùm ſubſtantia Spinoſiſtarum ſit extenſa ſimul & cogitans.

Spinoſa ſuam ſubſtantiam, quam priùs dixerat *ens in ſe* & *à ſe*, definivit *extenſam* & *cogitantem*; non quòd ſic eam concipiat, ut modò videbitur, ſed quòd omnis realitas quæ eſt in entibus modificatis debeat eſſe in hâc ſubſtantiâ, vel ſecundùm

ſuum eſſe formale, vel ſecundùm aliquid eminentius in eodem genere.

Jam verò cogitatio & extenſio vel diviſibilis, ſunt in ipſis entibus; ergo ſint in ſubſtantiâ neceſſe eſt: reverà cùm una non ſit altera, nec cogitatio ſit extenſio, ſpectatæ in ordine ad ſe ſunt incompatibiles, ſed ſpectatæ in ordine ad idem ſubjectum, ſunt compatibiles.

At quomodò ſunt in hâc ſubſtantiâ, quæ ità ſimplex eſt, ut non modò excludat à ſe partes phyſicas aut diviſibiles, ſed etiam partes metaphyſicas, & omninò indiviſibiles; excludit enim à ſe quamlibet quantitatem ſive diſcretam, putà numerum, ſive continuam, ſive permanentem, ut extenſionem, ſive ſucceſſivam; id enim omne in quo pl uralitas eſt, ab ipsâ excluditur: quomodò, inquam, ſunt eædem quantitates in hâc ſubſtantiâ;

En difficultas quam vix ſuperabilem Spinoſiſtæ confitentur, atque, ut ab hâc ſe liberent, ut aliqua de ſuâ ſubſtantiâ poſſint exhibere nova, præter ſubſtantiam, præter entia modificata & accidentia, putà quaſdam notiones, quas attributa dicunt, ſine quibus nulla foret hujuſce ſubſtantiæ perceptio; hæc attributa ſunt duratio, extenſio, ſed præſertim perfecta ſimplicitas de quâ ſuprà.

His poſitis, ſic ab hoc laqueo expedire ſe conantur: ipſa ſubſtantia eſt ipſum ens

generale & univerſum, abſtractivè ſumptum ab entibus modificatis & accidentibus, cujus proinde attributa non ſunt niſi generalia; v. g. ſubſtantia non eſt cogitans niſi generatim, & abſtrahendo à tali & tali cogitatione, proindeque à multiplicitate cogitationum, & hæc cogitatio generalis eſt verum ſubſtantiæ attributum; cogitationes verò ſpeciales tales & tales ſunt varii cogitandi modi, ſunt attributa entium modificatorum.

Idem dicunt Spinoſiſtæ de extenſione ſubſtantiæ: extenſa eſt extenſione generali; extenſio autem illa generalis caret partibus, quia infinita eſt; quod ut intelligatur, ſi tamen intelligi poteſt.

1°. Infinitum dicunt illud cui nihil addi poteſt, quæ notio falſa eſt niſi addatur, ità ut additum non faciat infinitum aut majus, aut diuturnius.

2°. Obſervant, id quod à nobis infinitum dicitur, eſſe reverà finitum & à nobis non poſſe concipi infinitum; ſcilicet varia extenſorum membra alia aliis addita, qualiacumque ſint, nuſquam poſſe facere extenſionem infinitam, hoc autem illud eſſe, quod infinitum vocamus; hæc ſint mentis ruſticæ opera, certè non ſunt opera mentis philoſophantis: dum percipitur aliquid eſſe hujuſce naturæ, ut concipiatur repugnare terminum ultrà quem non ſit

illud ens, illud infinitum dicimus; ſic duratio finita, quæcumque ſit, hora, dies, ſæculum; hoc ipſo quòd terminetur, quia concipitur repugnare terminum ultrà quem non ſit duratio, durationem dari infinitam concludimus, idemque de extenſione aſſerimus.

Ut autem confirment quæ de cogitatione & extenſione à ſe dicta ſunt, proponunt ſimul fundamentum generale illarum aſſertionum: ſubſtantia, inquiunt, eſt ens ipſum generale; ergo exiſtentia generalis, cæteras ſub ſe complectens, eſt verum attributum ſubſtantiæ; varii autem modi exiſtendi ſunt entium modificatorum.

Sed Spinoſiſtæ planè cæcutiunt: quapropter contra eos ſit

PROPOSITIO.

Subſtantia Spinoſæ eſt mera Chimera.

Probatur: nam 1°. Subſtantia Spinoſæ admittit in ſe pluralitatem entium, putà inſeitatem & aſeitatem, quæ ſunt modificationes omninò diverſæ, ut patet ex ipsâ definitione, quâ dicitur ens in ſe, & ens à ſe: atqui ex alterâ parte, eadem ſubſtantia excludit pluralitatem non rerum modò, ſed modificationum; ergo hæc ſubſtantia non eſt ſubſtantia.

Et certè nulla eſt ſubſtantia ſine proprie-

ratibus, quæ ſunt modificationes eſſentiales: atqui ſubſtantia Spinoſæ non agnoſcit niſi vocibus proprietates, ſeu modificationes eſſentiales quæ reverà fluant à gradu ſpecifico ſubſtantiam contrahente; ergo ſubſtantia Spinoſæ reverà ſubſtantia non eſt.

2°. Non eſt ſubſtantia cogitans; nam ſubſtantia Spinoſæ non cogitat niſi cogitatione generali & abſtrahente à quibuſlibet ſpeciebus cogitationum: atqui non datur ſubſtantia cogitans cogitatione merè generali, quæ abſtrahat à quibuſlibet cogitationum ſpeciebus; nam ſubſtantia, cujus primum attributum eſt exiſtendi neceſſitas, mera chimera eſt, ſi non habeat varias perceptiones, v. g. omnium figurarum mathematicarum, quæ ſunt in ipſius immenſitate, omnium formalitatum metaphyſicarum eſſentialium, infinitas entium poſſibilitates, &c. atqui, fatente Spinosâ, ipſius ſubſtantia nec habet, nec habere poteſt omnes illas perceptiones; ergo mera chimera eſt.

3°. Non eſt ſubſtantia extenſa; vel, ſi ſupponatur, dico eam non eſſe extenſam niſi extenſione generali; nam hæc extenſio generalis nuſquam poteſt concipi ſine numero partium quæ ſint extenſiones; neque enim poteſt dari illa extenſio abſtrahens à pluralitate & numero partium, quaſcumque quærant voces Spinoſiſtæ, quæcumque

quærant adminicula; unde purum ſpectrum eſt Spinoſæ ſubſtantia, quæ ſit extenſa.

COROLLARIUM.

Sequitur non dari in hoc ſyſtemate ſubjectum extenſionis indiviſibilis, & hoc gratis conceſſo, quòd ipſa ſubſtantia ſit ſubjectum extenſionis indiviſibilis: tunc entia modificata quæ forent ſubjecta diviſionis, nuſquam poſſent fieri modi hujuſce ſubſtantiæ; nuſquam poſſunt ſupponi modi ſubſtantiæ indiviſibilis; nam modi ſunt modificationes ſubſtantiæ, & ipſi ſubſtantiæ inhærent, atque inexiſtunt: porrò modi diviſibiles non poſſunt inhærere ſubſtantiæ indiviſibili, nam modi diviſibiles non poſſunt fieri indiviſibiles: atqui, ſi inhærerent ſubſtantiæ indiviſibili, fieri indiviſibiles; inhærerent enim penetrativè huicce ſubſtantiæ, quod repugnat in ipſis terminis; ergo vel conceſſo quòd ſubſtantia Spinoſæ ſit extenſa extenſione diviſibili, non daretur ſubjectum diviſibile, cui ineſſe poſſet extenſio diviſibilis, ſed aliam rationem hujuſce principii fundamentalem, diviſibilitatem nempe extenſionis non poſſe repeti niſi à pluralitate partium, quæ ſubſtantiæ ſint; quæ ratio ſola integrum Philoſophiæ Spinoſiſtarum corpus, ſi tamen dicipoteſt Philoſophia, diruit & evertit.

Interim redimus ad quæſtiones à Metaphyſicis tradi ſolitas de aliis ſubſtantiæ ſpeciebus.

Subſtantia duplex diſtinguitur ; alia univerſalis, alia ſingularis.

Subſtantia univerſalis definitur *una apta dici de multis* : hæc autem vel eſt una apta dici de multis, ſine ſuî diviſione, vel eſt una apta dici de multis cum ſuî diviſione.

Res una apta dici de multis ſine ſuî diviſione, putà Deus, qui dicitur & de Patre, & de Filio, & de Spiritu ſancto; nam catholicè & in rei veritate dicitur : Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus ſanctus eſt Deus ; at ſine ullâ diviſione, quia eſſentia divina ſine ſuî diviſione tota eſt in Patre, tota in Filio, tota in Spiritu ſancto: unde non modò tres perſonæ ſunt inter ſe inſeparabiles, & quid unum unitate inſeparabilitatis ; ſunt prætereà, quia eſſentia divina immenſa eſt, quid unum unitate circumince ſſionis, quâ Pater totus eſt in Filio, Filius totus eſt in Patre, utraque perſona tota in Spiritu ſancto ; ipſe verò totus in Patre & Filio.

Res una apta dici de multis, cùm ſuî diviſione, putà homo; cùm enim dicitur, Petrus eſt homo, Paulus eſt homo, intelligitur quidem quòd tota eſſentia hominis ſit in tribus perſonis, ſed diviſa; hoc enim ipſo quòd eſſentia hominis ſit contingens,

ſequitur quòd ipſius individua neceſſariò non exiſtant, quòd reſpondere poſſent diverſis tempor bus, diverſis locis, nec enim poſſunt eſſe æterna, nec immenſa: ergo natura humana, ſic cæteræ naturæ contingentes non poſſunt eſſe quid unum unitate indivisibilitatis, nec quid unum unitate circuminſeſſionis; unde ſi in divinis perſonæ non confunduntur, nec ſubſtantia ſeparatur, aliud omninò eſt in rebus creatis quoad ſubſtantiæ ſeparationem.

Hîc obſervandum res illas univerſales non exiſtere poſitivè ſive in divinis, ſive in creatis, ſed formas univerſales eatenùs exiſtere, quatenùs ſunt in ſingularibus; nam præter Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, non datur quarta res, ut contendebat Abbas Joachim, habens divinitatem: ſic in creatis, præter individua, non datur res habens humanitatem.

Subſtantia ſingularis prout ſingularitas, opponitur univerſalitati, ità eſt numero una, ut nòn ſit apta dici de multis, v. g hæc manus, Michaël, &c.

Subſtantia ſingularis duplex eſt; alia partialis, alia totalis.

Suuſtantia partialis ea eſt quæ venit in compoſitionem alterius, cujus perfectiones non continet, & à quo per unionem perficitur, v. g. corpus noſtrum eſt ſubſtantia partialis, quia venit in compoſitionem

hominis cum animâ rationali à quâ perficitur, & cujus perfectiones non continet.

Subſtantia totalis ea eſt quæ non adjungitur alteri à quo perficiatur; ſic Alexander, Gabriel.

Subſtantiam ſingularem totalem vocant individuum; ſic Baïardus eſt individuum naturæ equinæ, Olibrius naturæ humanæ, Michaël naturæ angelicæ, Spiritus ſanctus naturæ divinæ; agendum ergo eſt

De Individuo.

Individuum aliquando ſumitur latè, aliquando ſumitur ſtrictè.

Latè ſumptum eſt quodlibet ens unum numero: eo ſenſu hæc albedo dici poteſt individuum; eo ſenſu individuatio nihil aliud eſt quàm unitas numerica.

De individuatione ſic ſumptâ loquebar, cùm diſputavi de principio individuationis.

Individuum ſtrictè eſt ſubſtantia ſingularis, totalis, ſingularis, id eſt, ut ſuprà, quæ ità una eſt, ut non ſit apta dici de multis; loquor jam de individuo ſic ſumpto.

Triplicem ipſi tribuunt incommunicabilitatem Philoſophi: nempe incommunicabilitatem alteri tanquam ſubjecto inhæſionis; incommunicabilitatem alteri tanquam inferiori, & incommunicabilitatem alteri tanquam toti; Petrus, v. g. habet, in-

quiunt, hanc triplicem incommunicabil tatem.

Primò quidem habet incommunicabilitatem alteri tanquam ſubjecto inhæſionis; nam illud eſt incommunicabile alteri tanquam ſubjecto inhæſionis, quod non poteſt inhærere, ſed eſt quid per ſe ſubſiſtens: atqui Petrus non poteſt alteri inhærere, ſed eſt quid per ſe ſubſiſtens; nec enim eſt albedo, aut alia formalitas, ſed eſt res; ergo Petrus habet, &c. Hoc primum benè.

Deinde Petrus habet incommunicabilitatem alteri tanquam inferiori; nam illud eſt incommunicabile alteri tanquam inferiori, quod nihil agnoſcit ſe inferius: atqui Petrus nihil agnoſcit ſe inferius; eſt quippe ità numero unus, ut non poſſit dici de multis; ergo Petrus habet incommunicabilitatem alteri tanquam inferiori: hoc alterum benè.

Denique Petrus habet incommunicabilitatem alteri tanquam toti; illud enim habet incommunicabilitatem alteri tanquam toti, quod eſt totum ſubſiſtens ſeorſim à quovis alio: atqui, ut videre eſt, Petrus eſt totum ſubſiſtens ſeorſim à quovis alio; ergo Petrus habet incommunicabilitatem alteri, &c.

Hoc ultimum non ſatis accuratè dictum à Philoſophis; ſcilicet ut aliquid habeat incommunicabilitatem alteri tanquam toti,

non ſufficit quòd ſit totum ſubſiſtens ſeorſim à quovis alio: ſed requiritur ut illud quod totum eſt ſubſiſtens ſeorſim à quovis alio, non poſſit adjungi alteri à quo perficiatur: porrò Petrus ipſe, qui jam totum eſt ſubſiſtens ſeorſim à quovis alio, poteſt adjungi alteri à quo perficiatur, ut certius ex ſequentibus fiet; ergo Petrus non habet incommunicabilitatem alteri tanquam toti, ſed habet duntaxat incommunicationem.

Quapropter ad individuum ſtrictè ſumptum requiruntur quidem & incommunicabilitas alteri tanquam ſubjecto inhæſionis, & incommunicabilitas alteri tanquam inferiori: ſed rigorosè loquendo, non requiritur incommunicabilitas alteri tanquam toti; ſufficit, abſolutè loquendo, incommunicatio; enimverò diſtingui debet inter illud quod eſt individuum, ſeu hypoſtaſis eſſentialiter, quales ſunt tres perſonæ divinæ, & illud quod non eſt individuum ſeu hypoſtaſis, niſi Deo volente & ordinante, qualia ſunt ſuppoſita creata. Ad individuum eſſentialiter requiritur quidem incommunicabilitas alteri tanquam toti: ſed ad individuum, Deo liberè volente, ſufficit incommunicatio.

Nihil eſt præter individuum, quod duplicem illam habeat incommunicabilitatem, & incommunicationem alteri tanquam toti; nam quod eſt communic-

bile, vel alteri tanquam ſubjecto, vel alteri tanquam inferiori, vel denique communicatur alteri tanquam toti, illud non habet duplicem illam incommunicabilitatem, nec habet incommunicationem alteri tanquam toti: atqui omne quod eſt præter individuum, vel eſt communicabile alteri tanquam ſubjecto inhæſionis, vel alteri tanquam inferiori; vel communicatur alteri tanquam toti: nam quod eſt præter individuum, vel eſt accidens, vel eſt ſubſtantia univerſalis, vel eſt ſubſtantia ſingularis partialis: atqui accidens communicabile eſt alteri tanquam ſubjecto inhæſionis; ſubſtantia univerſalis communicabilis eſt alteri tanquam inferiori: denique ſubſtantia ſingularis partialis communicatur alteri tanquam toti.

Primò quidem, accidens communicabile eſt alteri tanquam ſubjecto inhæſionis; nam quod eſt eſſentialiter determinatio, affectio ſubjecto inhærens, illud eſt communicabile alteri tanquam ſubjecto inhæſionis: atqui accidens eſt eſſentialiter determinatio, affectio ſubjecto inhærens; ergo accidens eſt communicabile, &c.

Deinde ſubſtantia univerſalis communicabilis eſt alteri tanquam inferiori; nam illud eſt communicabile alteri tanquam inferiori, quod contrahitur & determinatur, vel per differentias dividentes, vel per gra-

dus numericos: atqui ſubſtantia univerſalis contrahitur & determinatur, vel per differentias dividentes, v. g. animal per rationalitatem & irrationalitatem, vel per gradus numericos: v. g. homo per Petreïtatem, Pauleïtatem; ergo ſubſtantia univerſalis communicabilis, &c.

Denique ſubſtantia ſingularis partialis communicatur alteri tanquam toti; nam illud communicatur alteri tanquam toti, quod ſubſiſtit in alio tanquam in toto, cujus eſt pars; atqui ſubſtantia ſingularis partialis ſubſiſtit in alio tanquam in toto cujus eſt pars: v. g. manus, caput, &c. ergo ſubſtantia ſingularis partialis communicatur, &c.

Quamobrem nihil eſt præter individuum quod habeat incommunicabilitatem, & alteri tanquam ſubjecto inhæſionis, & alteri tanquam inferiori, & incommunicationem alteri tanquam toti.

Individuum dicitur à Græcis ἀμέριστον; à Latinis autem ſubſiſtentia ſeu ſuppoſitum dicitur quidem hypoſtaſis, ſubſiſtentia, ſuppoſitum; quia ipſum eſt individuum, quod propriè ſubeſt, & ſubjicitur cæteris omnibus, & univerſalibus, & accidentibus, ſeu denominationibus.

Primò quidem ipſum eſt individuum, quod ſubjicitur univerſalibus, ut videre eſt in arbore Porphyrianâ, cujus extre-

mum locum obtinet Petrus; & , ut probari poteſt hâc ratione, ind viduum id ipſum eſt quod ſubjicitur univerſalibus, ſi in propoſitionibus individua ſint ſubjectum, & univerſalia ſint attributum, neque fieri poſſit ut univerſalia ſint ſubjectum, dum individua ſunt attributum : atqui in propoſitionibus individua ſunt ſubjectum, & univerſalia ſunt attributum; neque fieri poteſt ut, dum individua ſunt attributum, univerſalia ſint ſubjectum, v. g. dici poteſt, *Petrus eſt homo*; nec dici poteſt, *homo eſt Petrus*; ergo ipſum eſt individuum, quod propriè ſubeſt & ſubjicitur univerſalibus.

Deinde verò ipſum eſt individuum quod ſupponitur & ſubjicitur accidentibus : nam quod recipit accidentia, quod eſt totum, cui accidentia inſunt, & quod ab accidentibus denominatur, illud propriè ſubjicitur accidentibus : atqui individuum recipit accidentia, totum eſt, cui accidentia inſunt, & quod ab accidentibus denominatur : Petrus, v. g. totum eſt illud cui inſunt ſanitas, ſcientia, calor, &c. totum eſt quod propriè denominatur ſanum, ſciens, calidum, &c. quia *denominationes*, ex recepto axiomate, *ſunt ſuppòſitorum, non partium*; igitur individuum propriè ſupponitur, & ſubjicitur accidentibus; adeòque individuum meritò vocatur à Græcis ἄτομον & à Latinis ſubſiſtentia, ſeu ſuppoſitum.

Individuum

Individuum etiam dicitur terminus ultimus ſubſtantiæ; quia, ſi ab univerſalibus procedamus ad compoſitionem totius ſubſtantiæ, v. g. ab ente procedamus ad compoſitionem Petri, ipſum eſt individuum, quod invenitur ultimò completum & terminatum, v. g. ratio entis, ſubſtantiæ, corporis, ſpiritûs percipientis, imaginantis, ſentientis, proindeque hominis; & quælibet accidentia confluunt in Petro, & ità terminantur in eo ut Petrus non ſit in alio, vel tanquam in ſubjecto inhæſionis, vel tanquam in inferiori, vel tanquam in toto, cujus ſit pars; igitur individuum meritò dicitur ultimus ſubſtantiæ terminus.

Individuum ſimpliciter vocatur hypoſtaſis, ſuppoſitum, ſubſiſtentia, ſi ſit naturæ minimè percipientis: v. g. hic lapis dicirur ſuppoſitum; hic vermis dicitur ſuppoſitum; hic equus dicitur ſuppoſitum, &c.

Si verò ſit individuum naturæ percipientis, non tantùm vocatur hypoſtaſis, ſuppoſitum, ſed perſona: v. g. Pater æternus eſt perſona, Gabriel eſt perſona, Joannes eſt perſona: hinc perſona rectè definitur à Boëtio *individua naturæ rationalis ſubſtantia*: dicitur *individua*, quia incommunicabilis eſt alteri tanquam ſubjecto inhæſionis, alteri tanquam inferiori; nec communicatur alteri tanquam toti: dicitur *naturæ rationalis*,

quia ſola ſubſtantia percipiens meritò dicitur rationis capax.

De Subſiſtentiâ.

Hæc vox maximè æquivoca eſt, varioſque ſenſus patitur : cùm ſubſtantia definiebatur ens, ſive univerſale, ſive ſingulare, ſive partiale, ſive totale, per ſe ſubſiſtens, id eſt, independens à ſubjecto inhæſionis; ideò ſubſiſtentia ſumi poterat pro perſeitate, id eſt, pro independentiâ à ſubjecto inhæſionis, & tunc erat differentia entis diviſiva, & conſtitutiva ſubſtantiæ, oppoſita nempe inalietati, quâ conſtituebatur modificatio, atque ſubſiſtentia ſic ſumpta ſeparari non poterat à ſubſtantiâ, ſed in noſtrâ ſententia, in quâ ſubſtantia definita eſt, *ens in ſe*, nulla æquivocatio timenda eſt, nec ſubſiſtentia dici poterit de re univerſali, neque de re ſingulari partiali : ſed dumtaxat de re ſingulari totali : quæcumque autem æquivocationem tollunt ſine ullâ læſione veritatis, mihi planè arrident.

Subſiſtentia apud antiquos Patres nomen eſt concretum, non abſtractum, ſcilicet Latini Patres per ſubſiſtentiam intelligebant quod Græci per hypoſtaſim, ut patet ex epiſt. S. Hyeronimi ad Damaſum Romanum Pontificem : porrò conſtantiſſimum

eſt Græcos Patres per hypoſtaſim intellexiſſe ſuppoſitum ipſum.

Quanquam Scholaſtici ferè omnes, præſertim recentiores, nomen *ſubſiſtentia*, abſ-ſtractum, non concretum volunt, non intelligunt per illud, ſuppoſitum ipſum, ſed id quo ſuppoſitum ipſum eſt ſubſtantia ſingularis totalis.

Nos autem, licèt quæſtio ſit de nomine, malumus ſequi veteres, & nomine *ſubſiſtentia* intelligere ſuppoſitum ipſum : forma itaque ſuppoſiti dicatur ſubſiſtentialitas, ſuppoſitalitas.

Magnam circà hanc vocem S. Hyeronimus paſſus eſt difficultatem. Poſtulabatur ab eo ut tres admitteret ſubſiſtentias : ſubſiſtentiæ nomine credebat intelligi ſubſtantiam ; hinc, quia fidem Nicænam tenebat, tres ſubſiſtentias in naturâ divinâ admittere nolebat, ne cogeretur admittere tres ſubſtantias, quæ quidem maximè obſervari debent; nec enim, cùm non ſeparabat ſubſiſtentiam à ſubſtantiâ, idem ſentiebat cum Arianis, Sabellianis, qui pariter non diſtinguebant inter ſubſiſtentiam & ſubſtantiam; urgebatur tamen ab Epiſcopis Catholicis, qui ſubſiſtentiarum nomine perſonas intelligebat, ut tres admitteret ſubſiſtentias.

Quid tùm S. Doctor ? Epiſtolam ſcripſit duplicem ad Damaſum Romanum Pontificem, ut ab ipſo acciperet quid in tali caſu

faciendum. Has legant Fratres noſtri ab Eccleſiæ gremio divulſi, & agnoſcent quæ tùm erat ſententia Catholicorum de dignitate & poteſtate Romanorum Pontificum: verùm iſta ad Theologos.

Eſt in rebus theologicis magni momenti propoſita quæſtio de ſubſiſtentiâ, & pertinet ad duo præcipua Chriſtianæ Religionis myſteria, Trinitatem nimirùm & Incarnationem. Ut illud intelligatur, Catholica fides docet in myſterio Trinitatis unam eſſe naturam ſubſtantialem, & tres ſubſiſtentias, ſeu hypoſtaſes: docet eadem fides in myſterio Incarnationis duas eſſe naturas ſubſtantiales, & unicam hypoſtaſim, ſeu ſubſiſtentiam.

Porrò in hiſce duobus fidei articulis graviter lapſi ſunt Antiqui, & magni nominis Hæretici, Sabelliani, Ariani, Neſtoriani, Eutychiani, apud quos omnes conſtantiſſimum erat iſtud principium, *natura & perſona ſunt unum & idem atque ſolis vocibus differunt*, ex quo oppoſitas inferebant concluſiones.

Sic enim Sabelliani contrà Trinitatem: *Natura ſubſtantialis & ſubſiſtentia ſunt unum & idem: atqui juxtà fidem eſt unica natura divina; ergo eſt unica perſona divina.*

Sic Ariani ex oppoſito, *natura ſubſtantialis & ſubſiſtentia ſunt unum & idem: ſed de fide eſt tres eſſe perſonas; ergo tres eſſe debent natura.*

Sic Neſtoriani contrà myſterium Incarnationis, *natura ſubſtantialis & ſubſiſtentia ſunt unum & idem : atqui juxtà fidem duæ ſunt naturæ in Chriſto ; ergo ſunt duæ perſonæ.*

Sic denique Eutychiani ex oppoſito, *natura ſubſtantialis & ſubſiſtentia ſunt unum & idem : ſed eſt unica perſona in Chriſto juxtà fidem ; ergo eſt unica natura.*

Philoſophi ſumus, ideòque has Hæreſes auctoritate non expugnamus ; ſed ratione ſolâ demonſtrabimus falſiſſimum eſſe principium iſtud Hæreticorum, *naturam ſubſtantialem & ſubſiſtentiam eſſe unum & idem.*

Sed antequàm ad noſtrum ſyſtema accedamus, priùs exponenda ſunt Thomiſtarum & Scotiſtarum placita. Sic itaque

Thomiſtarum Opinio explicatur & refellitur.

Duo ſentiunt de propoſitâ quæſtione multi è Thomiſtis : primum eſt ſubſiſtentiam in abſtracto ſumptam, ſeu ſubſiſtentialitatem, & exiſtentiam ſubſtantialem, eſſe unum & idem, atque ſolis differre vocibus : alterum eſt ſubſiſtentialitatem diſtingui actu ex naturâ rei, à natura ſubſtantiali.

Cùm Thomiſtæ dicunt ſubſiſtentiam diſtingui actu, ex naturâ rei, à naturâ ſubſtantiali, eorum ſententia longiſſimè differt ab erroribus Hæreticorum : quapropter in

Chriſto catholicè profitentur adversùs Neſtorianos unicam eſſe Verbi ſubſiſtentiam, & adversùs Eutichianos duas naturas ſubſtantiales, divinam & humanam.

Contrà Sabellianos tres in divinis admittunt perſonas. Denique contrà Arianos unicam naturam, quæ in tribus perſonis ſubſiſtat, confitentur.

Quod ſpectat ad primum de ſubſiſtentialitate, ſive ſuppoſitalitate, & exiſtentiâ ſubſtantiali, hallucinantur & refelluntur.

1°. Ex ipſis Thomiſtis, ea pluſquàm vocibus differunt, quæ diverſas habent definitiones, diverſoſque conceptus : ſed exiſtentia ſubſtantialis & ſubſiſtentialitas diverſas habent definitiones, diverſoſque conceptus ; ſiquidem exiſtentia ſubſtantialis eſt id, quo ſubſtantia eſt formaliter extrà nihil; ſubſiſtentialitas autem eſt id, quo ſubſtantia conſtituitur hypoſtaſis, ſive ſuppoſitum : atqui definitiones illæ diverſæ ſunt, conceptus illi diverſi ſunt ; ergo ſubſiſtentialitas & exiſtentia ſubſtantialis differunt pluſquàm vocibus ; ergo ſaltem juxtà Thomiſtas diſtinguntur ratione ratiocinatâ : quæ verò, ut oſtendimus, ratione diſtinguntur, ea poſitivè formaliter diſtinguntur ; ergo, &c.

2°. Illa actu poſitivè differunt, quorum ubi unum eſt, ideò non eſt alterum : atqui ubi eſt exiſtentia ſubſtantialis, non ideò eſt ſubſtantialitas ; nam multa ſunt quæ ha-

bent exiſtentiam ſubſtantialem, nec tamen habent ſubſiſtentialitatem: v. g. in divinis, juxtà melioris notæ Theologos, natura divina exiſtentiam habet ſubſtantialem, ut natura eſt, neque tamen habet ſubſiſtentialitatem, ut eſt natura; alioquin forent quatuor perſonæ in divinis: jam verò apud nos pedes, caput, &c. exiſtentias habent ſubſtantiales; alia eſt enim exiſtentia pedis, alia capitis; neque tamen habent ſubſtantialitates, quia pes non eſt perſona, caput non eſt perſona, ſed perſonæ pars; ergo exiſtentia ſubſtantialis & ſubſiſtentialitas poſitivè differunt.

Dices: unica eſt exiſtentia in Chriſto Domino.

Diſtinguo: unica eſt exiſtentia totalis, quæ complectatur tot exiſtentias partiales, quot ſunt in ipſo poſitivè diſtincta, concedo: quæ non complectatur tot exiſtentias partiales, quot ſunt poſitivè diſtincta, nego.

Probatur: ſi humanitas Chriſti propriam haberet exiſtentiam, Virgo beatiſſima tantùm genuiſſet hominem, non Deum, proindeque non poſſet dici θεότοκος id eſt, Dei-para, ſed θεοφόρος id eſt, Deifera; quod quidem damnavit in Neſtorio ſynodus œcumenica Epheſina; ergo humanitas Chriſti propriam non habet exiſtentiam.

Nego majorem : nam, ut Virgo beatiſſima ſit verè mater Dei, non requiritur quòd generatione attingat exiſtentiam Verbi, ſed ſufficit quòd generet hominem hypoſtaticè unitum verbo, ſicut is pater eſt, hæc mater eſt hominis, qui materiam ſubminiſtrant ad efficiendum corpus humanum, licèt non crearint animam rationalem, non crearint materiam; imò licèt, ut docebitur, non produxerint motum requiſitum, ſed, quia ſubminiſtrarunt & diſpoſuerunt materiam, ex quâ confectum eſt corpus unitum ſubſtantialiter animæ rationali; ità Maria propriè mater eſt Dei; licèt non attigerit exiſtentiam Verbi divini, ſed ſufficit quòd, operante Spiritu Sancto, miniſtraverit & diſpoſuerit materiam ex quâ confectum eſt Chriſti corpus, quod unitur hypoſtaticè Verbo divino.

Explicatur Scotiſtarum Sententia.

Scotiſtæ cum cæteris docent ſubſtantiam diſtingui à ſubſiſtentialitate, ità ut ſubſiſtentialitas ſuperaddat aliquid ſubſtantiæ creatæ : quidnam verò illud eſt quod ſuperaddit? duplicem, inquiunt, negationem, aliam actualis communicationis, aliam communicationis aptitudinalis alteri tanquam ſuppoſito : hinc Petrus ſuppoſitum eſt, quia nec unitur, nec uniri poſtulat

alteri tanquam ſuppoſito : at humanitas Chriſti non habet ſubſiſtentialitatem, quia unitur alteri ſuppoſito, & anima rationalis ſeparata caret etiam ſubſiſtentialitate, quia, licèt non uniatur corpori, poſtulat tamen ipſi uniri.

Ad hancce ſententiam, quam proximè accedit noſtra; ſed aliter à Scotiſtis, aliter à nobis exponitur : ſua dicant Scotiſtæ; noſtra dicemus : ſic itaque

Noſtra demonſtratur Sententia.

Ut illud accuratiùs fiat, inquiri debet quæ ſit ratio formalis conſtitutiva hypoſtaſeos, ſive ſuppoſiti; quo demonſtrato, facilè patebit quid ſubſiſtentia ſuperaddat ſubſtantiæ : facilè ſolventur plures difficultates, quæ ſolent proponi in præſenti negotio.

Miſſis aliorum opinionibus, ne longior fiat hæc diſſertatio, ſit

CONCLUSIO.

Ratio formalis conſtitutiva hypoſtaſeos eſt totalitas modificans ſubſtantiam, quæ non ſit communis pluribus.

Probatur : hypoſtaſis enim eſt ens : ens autem, vel eſt ſubſtantia, vel eſt accidens : hypoſtaſis non eſt accidens, quia ſeorſim exſtit in ſe, non in alio : hinc, ſi quæras,

vel à puero, utrùm albedo, virtus, ſcientia, &c. ſint perſonæ, reponet has formalitates perſonas non eſſe, ſed eſſe alicujus perſonæ modificationes; ergo hypoſtaſis eſt ſubſtantia: ſubſtantia autem, vel eſt communis pluribus, ſeu univerſalis, vel non eſt communis: hypoſtaſis non eſt ſubſtantia communis, v. g. natura humana non eſt perſona, ſed eſt alicujus perſonæ natura; igitur hypoſtaſis eſt ſubſtantia minimè communis pluribus: porrò hæc ſubſtantia minimè communis, vel eſt partialis, vel eſt totalis: hypoſtaſis non eſt ſubſtantia partialis, v. g. manus, pedes, oculi, non ſunt perſonæ, ſed perſonarum partes; igitur hypoſtaſis eſt ſubſtantia minimè communis pluribus, quæ ſit totalis; proindeque totalitas modificans naturam, ſeu ſubſtantiam, quæ non ſit communis pluribus, eſt ratio formalis conſtitutiva hypoſtaſeos, ſubſtantiæ, ſuppoſiti, perſonæ, individui.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. Natura humana in Chriſto eſt ſubſtantia minimè communis pluribus & totalis, non tamen eſt hypoſtaſis, ſeu perſona; ergo ratio formalis conſtitutiva hypoſtaſeos non eſt totalitas, &c. quòd minimè communis ſit, fatentur omnes, quòd verò ſit totalis, ſic demonſtro: illud eſt

ſubſtantia totalis, quod habet omnes ſuas partes, tum eſſentiales, tum integrantes; phyſicas & metaphyſicas: atqui omnes illas partes habet natura humana in Chriſto, ergo eſt totalis; ergo foret perſona, & conſequenter duæ forent in Chriſto perſonæ, quod eſt contrà fidem.

Diſtinguo majorem probationis: illud eſt ſubſtantia totalis, quod habet omnes ſuas partes, nec adjungitur alteri, à quo perficiatur, concedo: ſi adjungatur alteri, à quo perficiatur, nego: porrò natura humana in Chriſto omnes ſuas habet partes, ſed adjungitur alteri, à quo perficitur; proindeque nego conſequentiam.

Itaque, ut aliquid ſit ſubſtantia totalis, debet habere omnes ſuas perfectiones, ſed non debet habere plures, id eſt, non debet jungi alteri, à quo perficiatur, v.g. ut numerus ternarius ſit totalis, debet habere tres unitates, non plures, quia, ſi non habeat tres, ergo non eſt ternarius: ſi habeat plures, ergo ternarius totalis non eſt, ſed eſt pars alterius, putà quaternarii, quinarii, &c. qui cenſeri debebunt totales & completi.

Idem poteſt exemplo aquæ explicari: unus aquæ ſcyphus ſeorſim ab alio quovis conſideratus eſt una aqua totalis, & ultimò terminata, quia ſuas omnes habet partes requiſitas ad aquæ ſcyphum integrum; &

prætereà ſcyphus non eſt adjunctus alteri aquæ tanquam pars ejuſdem; ſi verò ſcyphus totus, quantus eſt ſine ullâ imminutione ſuarum partium, adjiciatur alteri aquæ, tum deſinet eſſe aqua totalis & completa, & fiet alterius aquæ pars. *Totalitas*, inquit egregiè Magiſter Barbay, * *& integritas rerum finitarum, duobus modis poteſt perire, nimirùm detractione & additione, ut patet in innumeris; nam omne totum finitum ſuam totalitatem perdit, non ſolùm per detractionem alicujus quod ei ineſſe deberet, ſed etiam per adjectionem alicujus quo melius & perfectius fiat; ſic aqua, quæ ſola totum erat, addita Oceano, totum eſſe deſinit, & fit pars.*

Idem patet in arboribus quæ inſeruntur, imò & in ipſis artefactis; arbor enim totalis ante inſertionem, inſertione factâ, non eſt totalis, ſed partialis ex eo quòd alteri arbori fuerit adjuncta.

Quæ omnia hîc dicta ſunt, poſſunt rectè accommodari ad myſterium ſanctæ Incarnationis; nam in Chriſto Domino juxtà fidem ſunt duæ naturæ, & una perſonalitas: porrò, ſi ratio formalis conſtitutiva hypoſtaſeos, ſeu perſonæ, nihil aliud ſit quàm totalitas mox expoſita, conſequens eſt duas eſſe in Chriſto naturas, & unam perſonalitatem; nam ad hoc ſatis eſt quòd

* *Concl.* 5.

natura humana, hypoſtaticè unita verbo, non ſervet ampliùs ſuam totalitatem: atqui natura humana hypoſtaticè unita Verbo, non ſervat ampliùs ſuam totalitatem; non quòd careat aliquâ perfectione; ſed quòd unione fuerit adjecta ipſi perfectio ulterior: hoc diſertè loquitur S. Thomas, * *licèt ergo*, inquit, *hæc natura humana* (Chriſti nimirùm) *ſit quoddam individuum in genere ſubſtantiæ quia tamen non per ſe ſeparatim exiſtit, ſed in quodam perfectiori*, (*ſcilicet in perſonâ Dei Verbi*) *conſequens eſt quòd non habeat perſonalitatem propriam.* »Idem habet S. Doctor in eâdem parte» † *Dicendum quòd natura aſſumpta non deeſt propria perſonalitas propter defectum alicujus quod ad perfectionem humanæ naturæ pertineat, ſed propter additionem alicujus quod eſt ſuprà humanam naturam, quod eſt unio ad divinam perſonam.*

Quæres an natura humana, quam aſſumpſit Verbum, perſonalitatem habuiſſet, ſi non fuiſſet aſſumpta.

Reſpondeo affirmativè cum S. Thomâ: ratio eſt quia natura humana Chriſti, ut ſubſtantia eſt, eſt incommunicabilis alteri tanquam ſubjecto inhæſionis; ut ſingularis eſt, eſt incommunicabilis alteri tanquam inferiori; denique ut ſeparata à verbo, non

* *3. p. q. 2. a. 2. ad ter.* † *q. 4. a. 2. ad ſec.*

communicaretur alteri, à quo perficeretur, & in quo ſubſiſteret, ſed foret totalis, quia nimirùm omnes ſuas haberet perfectiones, nec haberet plures; ergo perſonalitatem ſuam haberet.

Itaque, ut ex doctrinâ ejuſdem Doctoris colligitur, idem ſecundùm diverſas relationes ſuppoſitum eſt, & non eſt ſuppoſitum: commixtio quatuor elementorum in lapide facit aliquod integrum; unde hic lapis eſt hypoſtaſis: at eadem commixtio in animali non conſtituit aliquod integrum, ſed partem, putà corpus animalis. Deus producat primò corpus humanum, nondum inſufflaverit in faciem ejus ſpiritum vitæ, corpus illud nondum unitum animæ rationali; imò non deſtinatum ad hanc unionem, ſuppoſitum erit: ſed ſi provehatur ulteriùs ad illam unionem, jam non erit ſuppoſitum, ſed erit ſuppoſiti pars, naſcetur homo ad imaginem Dei: denique ſi ipſe homo provehatur ulteriùs ad unionem hypoſtaticam cum Verbo: jam homo non erit ſuppoſitum, & naſcetur ipſe Chriſtus, perſona divina duas habens naturas.

Inſtabis: ſi ideò natura humana foret exuta ſuâ perſonalitate, quia adjungitur Verbo, pariter Verbum ſuâ exueretur, quia adjungitur naturæ humanæ; hæreticum conſequens, ergo falſum antecedens.

Diſtinguo majorem; quia adjungitur

Verbo, quo perficitur pariter Verbum, &c. concedo : à quo perficitur nego : concedo minorem : diſtinguo conſequens : falſum eſt naturam humanam exui ſuâ perſonalitate, quia adjungitur Verbo, à quo non perficitur, concedo : à quo perficitur, nego.

Itaque, ut natura humana adjungitur Verbo, ità Verbum adjungitur naturæ humanæ; ſed, cum inſigni diſcrimine; nam, dum natura humana adjungitur Verbo, ipſa perficitur ex hâc unione, & fit melior, ut omnes confitentur : at, dum Verbum adjungitur naturæ humanæ, certè non perficitur : * *cùm perſona divina ſit infinita, non poteſt ei fieri additio perfectionis*, inquit S. Thomas; Deus enim ſumptus cum omnibus creaturis perfectior non eſt ſe ſolitariè ſumpto : ſcilicet omnes perfectiones in ſe continet; adeòque Verbum totale manet, dum adjungitur naturæ humanæ, non Chriſti pars, quia Chriſtus non eſt perfectior Verbo : at natura humana dum adjungitur Verbo, non eſt totalis, Chriſtus ipsâ perfectior eſt.

Hinc 1°. perſonæ divinæ ſunt eſſentialiter hypoſtaſes, quia ſunt eſſentialiter totales & completæ, quia non ſunt ab intrinſeco perfectibiles; quapropter, quæcumque fiat unio cum naturis creatis, nunquam poſſunt habere rationem partis.

* *3. p. q. 3. a. 1. ad pri.*

Hinc 2°. Nihil creatum habet eſſentialiter ſuam perſonalitatem; quippe, ut habeatur perſonalitas, debet haberi totalitas; id eſt, ens debet habere ſuas omnes perfectiones, non plures: porrò nulli creato eſſentiale eſt, quod non poſſit habere plures perfectiones quàm ſuas; quin imò cuilibet eſſentiale eſt quòd poſſit ampliùs & ampliùs perfici unione cum alio: hinc Angelus Gabriel perſona eſt; quia, cùm non poſtulet uniri cum alio, Deus noluit ipſum eſſe partem alicujus totius; poſſet non eſſe perſona, quia poſſet conjungi ſubſtantialiter cum aliquo, à quo perficeretur; quemadmodum ſcyphus aquæ totalis poteſt conjungi cum alio ſcypho, & fieri pars; ſic partes noſtri corporis fieri poſſunt totidem ſuppoſita, & reverà fiunt, dum ex illis naſcuntur vermes & plantæ, quæ ſunt ſubſtantiæ totales.

Urgebis: ut eſt unica perſona in Chriſto, ità debet eſſe unica natura, ſi ex naturâ divinâ & naturâ humanâ debeat reſultare una natura Chriſti, ut ex naturâ corporeâ in nobis, & naturâ ſpiritali, reſultat una natura humana: verum conſequens, ergo & antecedens.

Nego minorem: quippe ideò ex naturâ corporeâ & naturâ ſpiritali reſultat in nobis unica natura totalis, quia duæ illæ naturæ ſunt partiales, & perficiuntur hâc unione,

corpus quidem ab animâ, & anima viciſſim à corpore, ut videbitur: hinc homo perfectior eſt, & corpore ſolo, & animâ ſolâ: at, ut toties dictum eſt, ſi natura humana perficitur unione hypoſtaticâ cum Verbo, certè non perficitur Verbum: Chriſtus perfectior eſt naturâ humanâ, ſed perfectior non eſt Verbo; adeòque natura divina Verbi non poteſt habere rationem partis: ſi verò non poſſit habere rationem partis, ergo ex naturâ divinâ & naturâ humanâ non poteſt reſultare una natura totalis, quæ dicatur natura Chriſti: totum videlicet non reſultat niſi ex partibus.

Si hæc Philoſophiæ principia inconcuſſa intellexiſſent Neſtorius & Eutiches, in ridiculam omninò hæreſim, in nefandum ſchiſma non fuiſſent miſerabiliter prolapſi: ridiculam hæreſim dixi; nimirùm dato ſemel quòd Neſtorius & Eutiches ultrò dabant, Verbum carnem fuiſſe factum; vel puer demonſtrabit exinde ſequi unicam eſſe in Chriſto perſonam, duas verò naturas. Perſona non eſt nihil; ergo eſt ens: non eſt accidens; ergo eſt ſubſtantia: non eſt ſubſtantia communis pluribus; ergo eſt ſubſtantia ſingularis: non eſt ſubſtantia partialis; ergo eſt ſubſtantia ſingularis totalis: albedo non eſt perſona, homo in communi non eſt perſona, manus non eſt perſona, ſed Petrus eſt perſona. Jamverò unione Verbi

divini cum naturâ humanâ, Verbum manet ſubſtantia ſingularis totalis : natura autem humana non manet totalis; ergo Chriſtus eſt unica perſona, eaque divina; ergo cùm Verbum non habeat rationem compartis, ex naturâ divinâ & naturâ humanâ non reſultat una natura totalis; ergo ſunt duæ naturæ.

Objicies 2°. Natura divina de ſe totalis eſt; infinitas enim habet perfectiones: hinc Theologi, Deus tam perfectus eſt, quàm Pater, Filius & Spiritus ſanctus: atqui tamen natura divina perſona non eſt; aliàs forent quatuor perſonæ, vel potiùs foret unica perſona, quod eſt contrà fidem; ergo totalitas non conſtituit ſuppoſitum.

Videant quid huicce argumento reſpondeant ii qui impatienter audiunt naturam divinam à nobis dici uuiverſalem, & vocari ſpeciem infimam, tum ſubjicibilem, tum prædicabilem; quippe, niſi dicatur natura divina univerſalis, non video quomodò fieri ſatis poſſit argumento propoſito: ſcilicet natura divina ſubſtantia eſt; ergo erit incommunicabilis alteri tanquam ſubjecto inhæſionis: ſi non ſit univerſalis; ergo ſingularis eſt ſingularitate oppoſitâ, non modò multiplicitati, ſed etiam univerſalitati. Denique totalis eſt; ergo perſona eſt, tunc enim triplicem habet incommunicabilitatem, quod quidem ſoli convenit hypoſtaſi; ergo

nihil timendum eſt, ſi natura divina dicatur univerſalis, ſpecies infima; imò illud maximè faciet ad conciliandam cum fide rationem.

Non teneor exponere myſterium adorandæ Trinitatis, altiora me non quæram: ſatiùs eſt venerari intùs & corde quod firmiſſimè credo; id unum ſufficere debet, ſi demonſtrem doctrinam noſtram myſterio non repugnare; en myſterium: eſt natura unica perfectionibus infinita, ſubſiſtens in tribus perſonis, Patre, Filio & Spiritu ſancto, ità ut communicetur à Patre Filio, & à Patre & Filio Spiritui ſancto: porrò ſententia noſtra rectè congruit cum illo myſterio; ex eâ rectè ſequetur naturam ſic communicatam non eſſe perſonam; itaque in formâ

Diſtinguo majorem: natura divina de ſe totalis eſt totalitate modificante naturam univerſalem, naturam communem pluribus, concedo; totalitate modificante naturam, quæ non ſit apta dici de multis, nego: porrò natura divina perſona non eſt, proindeque totalitas naturæ communis pluribus, naturæ quæ apta eſt ut de pluribus dicatur, non conſtituit ſuppoſitum; ſed totalitas naturæ, quæ minimè apta eſt, ut dicatur de pluribus, conſtituit ſuppoſitum.

Ità certè natura divina totalis eſt; ità certè Deus tam perfectus eſt quàm Pater, Filius

& Spiritus ſanctus; quia in perſonis tribus præter naturam divinam nihil eſt, niſi gradus numerici, & ea quæ conſequuntur gradus numericos: gradus autem numerici perfectiones non ſunt, ut docebitur: quapropter individua non ſunt perfectiora ſpecie infimâ; ergo ſpecies infimæ ſunt naturæ totales: patet ipsâ definitione ſpeciei: ſpecies inquiunt, eſt *tota* communis eſſentia; quid ergo impedit quominùs ſuppoſita ſint? hoc nimirùm quia ſunt communes: quia aptæ ſunt ut dicantur de inferioribus: verbo dicam, quia ſunt univerſales; ergo natura divina, quæ totalis eſt, non ideò ſuppoſitum eſt; eſt enim communis tribus perſonis, apta ut dicatur de illis, quia eſt univerſalis; Pater verò perſona eſt, quia Pater non poteſt communicari alteri, cujus ſit; & in quo ſubſiſtat; ſic Filius; ſic Spiritus ſanctus.

COROLLARIA.

Primum: nulla datur ſubſiſtentialitas partialis, qualis conficta eſt à nonnullis, ut difficultates fugerent, & nihil explicarent, cùm enim ſubſiſtentialitas ſit ipſa totalitas ſubſtantiam modificans minimè communem pluribus certè pugnant ipſi termini, ſubſiſtentialitas partialis.

Secundùm: in naturâ divinâ præcisè ut

natura eſt, nulla eſt ſubſiſtentialitas abſoluta, qualem finxêre Theologi quidam; ſcilicet cùm habeat communicabilitatem alteri tanquam inferiori, hoc ipſo ſubſtantialitate caret.

Tertium: falſum eſt vulgare axioma, quo dicunt naturam in ſtatu violento, ſi ſubſiſtentialitate privetur; quis enim dicat humanitatem Chriſti eſſe in ſtatu violento, dum unitur hypoſtaticè Verbo? quis dicat Petri corpus eſſe in ſtatu violento, dum unitur cum animâ; manum, dum unitur corpori? certè nemo, ſi ſit ſanæ mentis: res creata æquè connaturaliter ſubſiſtentialitate caret, ac ſi eâ induatur; æque connaturaliter habet rationem totius ac rationem partis, & viciſſim; niſi tamen ſit pars de ſe, & ex naturâ ſuâ, niſi aliquid eſſentialiter incompletum, qualis eſt anima rationalis, ut probabitur,

Quartum: ſubſiſtentialitas eſt aliquod ens ſuperadditum ſubſtantiæ; ſic in divinis formæ hypoſtaticæ ſunt entia ſuperaddita naturæ divinæ; ſic in creatis ipſa negatio ulterioris additionis eſt aliquod ens, & poſitiva eſt; illud quippe eſt ens, cujus ſunt poſitivæ proprietates: atqui ſubſiſtentialitatis ſunt poſitivæ proprietates, v. g. poſitiva eſt proprietas in numero ternario, quòd neget quartam unitatem; ergo ſubſiſtentialitas eſt ens,

Dices : ſi foret ens, jam natura humana Chriſti careret aliquo ente, quod convenit naturis noſtris : atqui hoc eſt abſurdum, ut ipſi cum S. Thomâ docuimus; hæc etiam repugnat Scripturæ dicenti : * *unde debuit* (*Chriſtus*) *per omnia fratribus ſimilari* : hoc repugnat Patrum communi ſententiæ aſſerentium Chriſtum aſſumpſiſſe omnia quæ ſunt in nobis præter peccatum & ignorantiam, nam Chriſtus non aſſumpſit ſubſiſtentialitatem humanam.

Diſtinguo majorem : natura humana in Chriſto careret aliquo ente, quod non ſit perfectio, concedo : quod ſit perfectio, nego : porrò abſurdum non eſt naturam humanam Chriſti carere aliquo ente, quod nobis convenit, ſi ens illud non ſit perfectio : itaque ſubſtantialitas perfectio non eſt; nam *perfectio*, definiente S. Anſelmo, *melior eſt ipſa quàm non ipſa* : porrò hæc natura ſubſiſtentialitas non eſt melior ipſa quàm non ipſa.

METAPHYSICA SPECIALIS.
SEU PNEUMATOLOGIA.

SPECULATUR illa ſpecies entis inſenſiles, ut ſunt inſenſiles, putà ſpiritum & ſpecies ejus; inde vocatur Pneumatologia.

Spiritus eſt ſubſtantia entitativè una, carens partibus, quæ ſubſtantiæ ſint.

Spiritus, vel eſt neceſſarius, putà Deus, vel eſt contingens. Contingens, vel eſt completus, puta Angelus, vel eſt incompletus, putà anima rationalis. Agendo de ſingulis ſpeciebus, patebit diviſiones illas eſſe accuratas: quanquam inveſtigabitur aliquando utrùm non ſit alter ſpiritus incompletus præter animam rationalem, videlicet anima belluarum.

DE DEO.

Oportet accedentem ad Deum credere quia eſt, inquit Apoſtolus; ergo cognitio Dei principium eſt, & finis totius vitæ rationalis: quapropter operæ pretium eſt, ut argumentum præſens à nobis tractetur accuratiùs, quærere.

An Sit Deus?

Dum quæro an ſit Deus, non ideò effectivè dubito de ipſius exiſtentiâ, ſed metho-

dicè tantùm, tum ut erudiantur viri boni; qui de divinitate ex ſolâ fide humanâ judicant, qui non ſatis percipiunt, tum ut nefarii homines, qui de divinitate impiè joculantur & rident, coerceantur, nam *obſtruendum eſt os loquentium iniqua.*

Varii Philpſophi varias attulêre exiſtentiæ Dei demonſtrationes: quæ nobis videbuntur efficaciores, has proponam. Plures inter Philoſophos rem ſe confeciſſe exiſtimant, ſi ſemel probaverint exiſtere ſubſtantiam neceſſariam, immenſam, æternam: at mihi credant, nihil hâc viâ adversùs Atheos confectum, licèt probarent exiſtere ſubſtantiam vel perfectiſſimam, niſi ex neceſſitate, immenſitate, æternitate demonſtrent omnes perfectiones eſſe in ſubſtantiâ quæ ſit à materiâ diverſa; ſcilicet principium conſtantiſſimum eſt apud Atheos ſubſtantiam eſſe neceſſariam, adeòque immenſam & æternam; cùm enim ideò præſertim Dei exiſtentiam negent, quia Creatorem & providentem admittere nolunt, certè poſtulare debent ut ſubſtantia quævis neceſſaria ſit, immenſa & æterna, materia videlicet: poſtulare debent, ut omnes perfectiones, ſi non ſint in ſingulis materiæ partibus, ſint tamen in collectione partium omnium: quapropter non id præſertim probandum erat eſſe nimirùm ſubſtantiam neceſſariam, ſed hoc probandum erat eſſe ſubſtantiam

contingentem

contingentem, quia, ſi poſſibilis ſit ſubſtantia contingens, certè creatio poſſibilis facilè probatur.

Quamquam nos etiam demonſtrabimus, ne aliquid deſit operi noſtro, eſſe ſubſtantiam neceſſariam, immenſam, æternam, perfectiſſimam : ſed prætereà demonſtrabitur materiam eſſe non poſſe talem ſubſtantiam : demonſtrabitur eſſe ſubſtantiam longè diverſam, à materiâ, quæ ſit cauſa mirabilis ordinis, qui deprehenditur in in orbe univerſo, quæ produxit mundum, primum hominem & animam rationalem, quæ ſit ſapientia ſuprema, quæ bonos poſſit remunerare, & nefarios punire : itaque

Exiſtit Subſtantia neceſſaria.

Probatur : propoſitio affirmans unionem formæ cum ſubjecto, metaphyſicè vera eſt, cùm ipſius ſubjectum poſſibile eſt, & forma ſignificata per attributum eſt in ideâ ſubjecti : atqui hæc propoſitio, *exiſtit ſubſtantia neceſſaria*, affirmat unionem formæ cum ſubjecto, ut omnes fatentur : ſubjectum ipſius poſſibile eſt, & forma ſignificata per attributum eſt in ideâ ſubjecti.

Primò quidem ſubjectum iſtius propoſitionis poſſibile eſt, nam ſubjectum iſtius propoſitionis eſt ſubſtantia neceſſaria : atqui

ſubſtantia neceſſaria eſt poſſibilis; nam duo termini ſunt compoſſibiles, quando terminus additus non excluditur ab ideâ prioris: atqui terminus *neceſſaria* additus termino *ſubſtantia* non excluditur ab ideâ ſubſtantiæ, nec enim deſtruit ſubſtantiam, ſed potiùs confirmat; ergo ſubſtantia neceſſaria poſſibilis eſt; ideoque ſubjectum hujuſce propoſitionis eſt poſſibile.

Deinde verò forma ſignificata per attributum eſt in ideâ ſubſtantiæ neceſſariæ; nam forma ſignificata per attributum eſt exiſtentia: atqui exiſtentia eſt in ideâ ſubſtantiæ neceſſariæ, tam enim exiſtentia eſt in ideâ ſubſtantiæ neceſſariæ, quàm tres anguli ſunt in ideâ trianguli; quippe exiſtentia eſſentialis eſt ſubſtantiæ neceſſariæ, ut ipſis patet terminis; ergo hæc propoſitio, *exiſtit ſubſtantia neceſſaria*, demonſtratur metaphyſicè vera.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. Magnum debet eſſe diſcrimen inter hanc propoſitionem, *exiſtit ſubſtantia neceſſaria*, & iſtam, *ſubſtantia neceſſaria eſt exiſtens*; hæc enim eſt hypotetica; prior verò eſt abſoluta; eſt, inquam, diſcrimen idem quod reperitur inter illas, *exiſtit homo loquens actu* : *homo loquens actu exiſtit*. Porò licèt iſta, *homo loquens*

actu exiſtit, vera ſit, nec probatione indigeat, non ideò vera eſt illa, *exiſtit homo loquens actu*; proindeque, licèt iſta vera ſit, *ſubſtantia neceſſaria eſt exiſtens*, non ideò vera eſt illa, *exiſtit ſubſtantia neceſſaria*: atqui adducta ratio hanc tantùm probat, *ſubſtantia neceſſaria eſt exiſtens*; ergo non probat iſtam, *exiſtit ſubſtantia neceſſaria*.

Solutio facilis eſt: hæc propoſitio, *ſubſtantia neceſſaria eſt exiſtens*, eſt hypothetica, diſtinguo: ſi aliud in ſubjecto ſumatur quàm ipſa poſſibilitas, concedo: ſi ſola ſumatur poſſibilitas, nego: porrò in illâ, *homo loquens actu exiſtit*, aliud ſumitur quàm poſſibilitas, quippe ſumitur exiſtentia ipſius loquelæ, proindeque ipſius hominis; adeòque, licèt iſta vera ſit, *homo loquens actu eſt exiſtens*, non ideò vera eſt hæc, *exiſtit homo loquens actu*; ſic, licèt vera ſit, *ſubſtantia neceſſaria eſt exiſtens*, aliud ſumendo quàm poſſibilitatem, non ideò vera eſt, *exiſtit ſubſtantia neceſſaria*: at, dummodò argumentatio procedat à ſolâ poſſibilitate, dummodò non ſumatur exiſtentia ſubjecti, certè qui hanc probavit, *ſubſtantia neceſſaria eſt exiſtens*, probavit & iſtam, *exiſtit ſubſtantia neceſſaria*: jamverò non ſumpſimus ſubjecti exiſtentiam: imò non ſumpſimus poſſibilitatem, ſed ipſam demonſtravimus; ergo demonſtratio proceſſit à poſſibilitate ſubjecti probata,

non ab exiſtentiâ ſumpta ; proindeque utramque propoſitionem demonſtravimus.

Objicies 2°. Eâdem ratione demonſtrari poterit hæc propoſitio, *materia neceſſaria eſt exiſtens.*

Nego : nec enim ſubjectum illud, *materia neceſſaria*, poſſibile eſt, quia terminus *neceſſaria* additus termino *materia* materiam non confirmat, ſed deſtruit; enimverò materia in ideâ ſuî dicit contingentiam.

Inſtabis : neceſſitas exiſtendi non deſtruit ens, qualecumque ſit : ſed materia eſt ens aliquod; ergo terminus *neceſſaria* additus termino *materia* non deſtruit materiam.

Nego majorem : nam deſtruit contingens; non deſtruit quidem ens præcisè, quemadmodum non deſtruit ſubſtantiam, quia eſt differentia diviſiva exiſtentis, ſed deſtruit id quod eſt exiſtens contingenter, ſive ſit ſubſtantia, ſive ſit modificatio.

Exiſtit ſubſtantia immenſa & æterna.

Probatur : cùm modificationes exiſtunt, exiſtit certè ſubſtantia, quæ ſit ſubjectum illarum modificationum ; atqui exiſtunt immenſitas & æternitas; immenſitas quidem, id eſt extenſio permanens, quæ ſit infinita actu ; æternitas verò id eſt, duratio, quæ nec initium habuit, nec finem habitura eſt, ut luce clariùs patebit, ergo, &c.

Exiſtit Subſtantia perfectiſſima.

Probatur : ſubſtantia perfectiſſima eſt exiſtens, ſi ſit poſſibilis; nam in neceſſariis exiſtere neceſſariò conjungitur cum eſſe poſſe : atqui ſubſtantia perfectiſſima eſt poſſibilis ; nam illud poſſibile eſt, cujus attributa maximè conſentiunt : atqui attributa ſubſtantiæ perfectiſſimæ maximè conſentiunt, & ſine oppoſitione ; nam in eâ datur intellectus perfectiſſimus, voluntas perfectiſſima & immutabilis, duratio infinita, infinita magnitudo, ſapientia ſuprema, &c. Porrò hæc attributa meliùs conſentiunt quàm attributa creaturarum, v. g. in hominibus juſtitia reperitur cum crudelitate, miſericordia cum animi abjectione, ſapientia cum dolo, vafritie, animi levitate, ſcientia cum ignorantiâ, potentia cum impotentiâ : è contrario attributa ſubſtantiæ perfectiſſimæ; exulat crudelitas à juſtitiâ, ignorantiâ à ſcientiâ, dolus à ſapientiâ, infirmitas à potentiâ, quod diligenter obſervari debet contrà Vaninium, qui in libro inſcripto, *Amphitheatrum divinæ Providentiæ*, contendebat attributa divina eſſe contradictoriè oppoſita, & ſibi repugnantia; ergo ſubſtantia perfectiſſima eſt maximè poſſibilis, & conſequenter exiſtens.

Et certè hæc ſubſtantia, qualis à nobis proponitur, in eodem ſtatu permanet, ea-

dem ipſa eſt, & immutabiliter ſuas tenet perfectiones; non ità certè cæteræ ſubſtantiæ, quæ, cùm ſint hodiè in illo ſtatu, erant anteà in alio, & futuræ ſunt in longè diverſo; de quibus proinde ſcientificè vix judicari poteſt.

Quapropter hoc curent Philoſophi cum Theologis, ut Deum maximè poſſibilem exhibeant; quia, ſi ſimel poſſibilis eſt, eſt exiſtens.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. Nulla poteſt dari idea Dei: ergo ruit demonſtratio.

Nego antecedens: nam idea ſubſtantiæ perfectiſſimæ ex nullâ parte repugnat.

Inſtabis: ens infinitum repræſentari non poteſt: atqui Deus eſt ens infinitum; ergo non poteſt dari repræſentatio Dei.

Diſtinguo majorem: non poteſt repræſentari adæquatè, concedo: inadæquatè, nego: pariter diſtinguo conſequens. Lege tom m 1. & 2. tit. Quotuplex ſit idea.

Urgebis: nequidem inadæquatè Deus repræſentari poteſt, ſi nulla Dei formalitas concipi poſſit: atqui nulla concipi poteſt; ergo, &c.

Nego minorem: concipiuntur enim ſapientia, juſtitia, miſericordia, &c.

Premes: in quâvis formalitate ſunt infinitæ formalitates; ergo nulla concipi poteſt.

Diſtinguo conſequens : nulla concipi poteſt adæquatè, concedo : inadæquatè, nego. Patet iſtud exemplo : materia non videtur adæquatè tota, quia omnes ejus partes non videntur, nec videtur etiam adæquatè pars ulla, quia in hâc parte ſunt partes actu infinitæ.

Inſiſtes : idea inadæquata eſt repræſentatio objecti ſecundùm aliquas tantùm formalitates aliis non cognitis : atqui repræſentatio objecti ſecundùm aliquas tantùm formalitates, aliis non cognitis, non eſt idea entis infiniti; ergo non datur idea inadæquata entis infiniti.

Diſtinguo majorem : idea inadæquata generatim eſt repræſentatio objecti, &c. concedo : idea inadæquata entis infiniti eſt repræſentatio objecti ſecundùm aliquas tantùm formalitates, aliis non cognitis, nego : quippe addi debet, ità ut concipiatur repugnare quòd detur terminus in illis formalitatibus ultrà quem non ſint aliæ formalitates : porrò repræſentatio objecti ſecundùm aliquas tantùm formalitates, aliis non cognitis, ſi non addatur, ità ut concipiatur repugnare quòd detur terminus in illis formalitatibus, ultrà quem non ſint aliæ formalitates, non eſt idea entis infiniti : ſed, ſi addatur, illud eſt certè idea entis infiniti; proindeque nego conſequentiam.

Objicies 2°. Hæc idea Dei, vel eſt na-

turalis, vel eſt acquiſita : atqui neutrum dici poteſt; ergo nulla datur idea Dei.

1°. Vitioſa eſt hæc argumentatio : quippe hæc eſt præcipua lex demonſtrationis, ut procedat à magis notis ad minùs nota; nec enim licet argumentari à minùs notis contrà magis nota; jam verò hæc objectio procedit à minùs notis contrà magis nota, quippe certitudo poteſt eſſe habere nos ideam Dei, quin adſit certitudo de modo, quo habetur : itaque argumentum præſens ejuſdem eſt generis cum eo quo quis uteretur, ut probaret Petrum non habere nummum, quem præ manibus teneret, ſi forſan neſciret Petrus, à quo nummum haberet : Petre, ſi nummum haberes, vel à Paulo, vel à Jacobo, &c. atqui neſcis à quo habes; ergo nummum non habes.

Deinde nego majorem; ponit enim oppoſitionem inter naturale & acquiſitum, quaſi verò acquiſitum non ſit naturale : aves ſcilicet acquirunt plumas; ſunt tamen plumæ naturales avibus, deſtinatæ ad proprios fines, v. g. ad volatum, &c. Pater acquirit amorem, quo filium recèns natum diligit; naturalis tamen eſt amor iſte : ſic reſpondet clariſſimus Labbadie tomo 1. lib. De Veritate Religionis Chriſtianæ; ergo pugnantia non ſum locutus, cùm ex unâ parte negavi ideas dari innatas, & ex alterâ ideam dixi naturale lumen mentis :

ſolare lumen eſt naturale lumen oculi; neque tamen innatum eſt oculo, cùm infans non videat, niſi à nativitate.

Itaque 3°. ſic inſtitui debet argumentatio: idea Dei, vel eſt innata, vel eſt acquiſita; tuncque nego minorem quoad ſecundam partem; quippe ab animatione fœtûs non fuit idea Dei in nobis; ſucceſſu temporis fuit habita, & quidem viâ naturali, quo ſenſu naturalis eſt: hæc aliquando fuſiùs.

Objicies 3°. Exiſtentia eſt in ideâ duarum ſubſtantiarum perfectiſſimarum: atqui tamen exiſtere nequeunt duæ ſubſtantiæ perfectiſſimæ; ergo exiſtentia ſubſtantiæ perfectiſſimæ non colligitur ex ideâ.

Nego majorem: ſupponit falſum; quippe dari non poteſt idea duarum ſubſtantiarum perfectiſſimarum, ut videbitur.

Objicies denique. Multa exiſtunt à parte mentis, inquit illuſtriſſimus & doctiſſimus Huetius, quæ non exiſtunt poſitivè; ergo ex eo quòd detur idea Dei, ſequetur ipſum exiſtere à parte mentis, non verò à parte rei.

Carteſiani, fateor, Huetianæ objectioni ſatisfacere non poſſunt, fatentur modificationes quæ diverſimodè concipiuntur non eſſe poſitivè diverſas per mentem.

At nihil facilius eſt nobis: negetur antecedens, nullâ ratione probari poterit.

Exiſtit Subſtantia quæ ſit cauſa mirabilis ordinis in univerſo Orbe.

Eſt certè mirabilis ordo partium hujuſce mundi aſpectabilis; pendet autem ille à motu, quantitate motûs, determinatione, pendet à configuratione, ſitu, texturâ, &c. illarum partium: porrò motus ille, quantitas motûs, determinatio, configuratio, &c. debent eſſe ab aliquo principio, ut fatentur omnes: ſed qualenam eſt illud principium? en difficultas.

Cauſam illam dicunt Epicurei atomos neceſſarias, increatas, æternas, diverſimodè configuratas, quæ ab æterno variis determinationibus moveantur in ſpatio infinito, ex quibus tandem fortuitò poſt varios itus & reditus, varios conflictus, variaſque concatenationes, reſultavit Orbis univerſus.

Sed tranſeat primò quòd atomi ſint neceſſariæ, increatæ, æternæ; tranſeat quòd ab æterno moveantur, facilè demonſtro atomos illam non eſſe cauſam motûs, quantitatis motûs, &c. proindeque aliam eſſe præter atomos; nam, vel moventur à ſe, vel ab alio: ſi ab alio, ergo non ſunt cauſa motûs, nec proinde ſunt cauſa mirabilis ordinis; quod erat demonſtrandum: ſi moventur à ſe; ergo motus ipſis eſt eſſentialis; quod enim ab intrinſeco eſt, vel eſt ipſa eſſentia, vel eſt eſſentiæ pars, vel ab

eſſentiâ fluit : porrò motus non eſt eſſentialis atomis; nam, ſi motus foret ipſis eſſentialis, atomus, aut materiæ pars, concipi non poſſet quieſcens : &, ſi quieſcens ſupponeretur foret deſtructa, quia, negatâ proprietate eſſentiali alicujus entis, ens illud non permanet : ſed abſurdum eſt atomum, aut materiæ partem, non poſſe concipi quieſcentem; tam enim atomi poſſunt concipi præſentes loco permanenter, proindeque quieſcentes, quàm intelliguntur præſentes loco ſucceſſivè, proindeque motæ; ergo motus non eſt eſſentialis atomis.

Præterea quies non eſt impoſſibilis; concipitur enim, nec ipſius attributa repugnant; quippe permanentia non deſtruit præſentiam loco, nec præſentia loco deſtruit permanentiam : porrò, ſi motus eſſet eſſentialis atomis, jam quies eſſet impoſſibilis; nam forma impoſſibilis eſt quoties nullum habere poteſt ſubjectum, cui inexiſtat : ſic impoſſibilis eſt magnitudo, ſi magnum ſit impoſſibile : atqui, ſi motus ſit eſſentialis atomis, jam quies nullum poteſt habere ſubjectum, cui inexiſtat; nam in hâc hypoteſi nihil eſt præter atomos, & motus eſt ab atomis inſeparabilis, ergo quies foret impoſſibilis; ergo motus non eſt eſſentialis atomis; ergo non moventur à ſe atomi; ergo ab alio; ergo datur cauſa motûs ab atomis diſtincta,

quæ ſit cauſa mirabilis ordinis in univerſo orbe.

Fatentur adverſarii motum actualem non eſſe eſſentialem atomis; ſed ſolam potentiam ſe movendi.

Sed errant: nam atomi quieſcentes in æternum quieſcunt, niſi ab alio moveantur: atomi ſemel motæ in æternum moventur, niſi aliud motum ſiſtat; atomi motæ eâdem velocitate moventur, niſi aliud motum augeat, vel minuat: ſi petant orientem, non reſiliunt versùs occidentem, niſi ab alio repellantur; ergo non habent potentiam ſe movendi; ergo, ſi moveantur, ab alio moventur.

Exiſtit Subſtantia, quæ produxit mundum, primum hominem, & animam rationalem.

Demonſtrabitur mundus productus de novo; demonſtrabitur primus homo ſine patre & matre; ergo cauſa, quæ produxerit mundum, primum hominem.

Quidam reſpondent primum hominem compactum fuiſſe fortuitò ex atomis; ſed iſta reſponſio ne puerum quidem perſuadere poteſt: ſcilicet quidni jam ſic generetur homo? quâ prudentiâ, quæſo, non modò virum, ſed etiam fœminam formavit concurſus atomorum fortuitus? quâ prudentiâ indidit utrique propenſionem

naturalem, ut propagaretur genus humanum? quâ ſapientiâ diſpoſuit corporis humani ſtructuram tam excellentem, tam laudabilem ad ſuos uſus, ut videbitur in Phyſicâ?

Quod ſpectat ad animam rationalem, quæ, ut patebit, non reſultat ex diſpoſitione atomorum, vel habet ſuum eſſe ab alio, vel à ſe: ſi ab alio; ergo datur cauſa creatrix: non habet à ſe; nam ſubſtantia à ſe, ſi non habet omnes omninò perfectiones, habet ſaltem omnes illas quarum capax eſt: atqui ex conſcientiâ habemus, ex noſtris deſideriis animam noſtram non habere perfectiones omnes quarum capax eſt; ergo eſt ab alio; ergo, &c.

Exiſtit Sapientia ſuprema.

Ut intelligatur hæc demonſtratio, inſpici debet ordo mirabilis, & benè ordinata compages partium univerſi, cœlorum aſtrorumque magnitudo, lumen, conſtans herbarum fructuumque productio, ſtructura corporis noſtri, vultûs effigies, &c. his poſitis, ſic demonſtro exiſtentiam ſapientiæ ſupremæ.

Sapientia duo dicit; conſilium, & electionem mediorum quæ proportionata ſunt ad finem propoſitum: porrò in hâcce rerum pulchritudine conſpicitur finis intentio,

ſuntque media proportionata fini propoſito; ſcilicet generatio, nutritio corporis humani, ſunt fines à Naturâ propoſiti; inde tot organa explicanda in anatome noſtrâ.

Dices : in aliquibus Univerſi partibus videtur nulla eſſe proportio, nullus ordo: cui bono fulmina, quæ tangunt loca ſacra & prophana, quæ irruunt in montes & valles? cui bono pluviæ cadentes in arenas Arabicas? cui bono muſcæ, vermes, pulices, pediculi, acari, mitæ, & alia animalia inſenſilia? ergo non eſt ſapientia ſuprema.

1°. Mens noſtra finita eſt; proindeque non poteſt omnia intelligere; adeòque ut quædam cognoſcuntur, ità quædam ignorantur.

2°. Malè ratiocinamur ex non cognitis adversùs cognita; ideòque licèt ignorentur uſus illarum partium, inde non debemus argumentari adversùs uſus cognitos : quamobrem ex eo quòd multa à nobis cognoſcantur quæ ſunt ſigna manifeſtiſſima, eſſe intentionem finis, conſilium, electionem mediorum, debemus colligere dari ſapientiam ſupremam, quæ omnia diſpoſuerit & ordinaverit : at ex eo quòd à nobis non cognoſcatur uſus & utilitas aliquarum partium, non cognoſcatur quæ ſit proportio, non debemus ideò inferre nullam eſſe ſapientiam, ſed potiùs noſtram debemus hâc in re fateri ignorantiam : quemadmodum,

qui primâ vice horologium videret, rectè inferret horologium eſſe cujuſdam intelligentiæ opus propter connexionem ponderum, & catenarum, & rotarum, quam deprehenderet; ineptè verò ratiocinaretur, qui negaret illud opus eſſe intelligentiæ fœtum, quia ſunt aliquæ rotæ, quarum perſpectam non habet utilitatem.

2°. Ut cognoſcamus mundum hunc eſſe opus Sapientiæ ſupremæ, neceſſum non eſt ut quarumlibet partium utilitas perſpecta habeatur, ſed ſufficit quòd præcipuæ naturæ leges cognoſcantur; ſic, ut adminiſtratio alicujus Regni & Statûs cognoſcatur, non debemus loqui de quovis ſubdito in particulari, de quovis milite, de quovis magiſtratu; ſed ſatis eſt ſi dicas quot ſint milites, quot officia diverſa; quam ex illis utilitatem percipiant Populi; quæ incommoda patiuntur.

Denique, & partes iſtæ, de quibus modò in objectione dictum eſt, videntur eſſe alicujus utilitatis; nam ex illis animalculis, quorum organa diſtincta ſunt, metamorphoſes ordinatæ, ſupellexque partium tam benè culta, colligitur quomodò ſapientia Dei ludens in Orbe terrarum hæc omnia diſtinxerit, ordinaverit, finxerit, ut omnipotentiæ divinæ, & virtutis incredibilis, haberemus argumentum: tonitru, v. g. eſt quaſi Dei vox humanas motura mentes;

monſtra, ſerpentes, ſunt alicujus utilitatis; dum ex venenoſis mira habentur antidota, apes, mel & ceram ſuppeditant: aliæ muſcæ, araneæ, aërem purgant, & in ſe colligunt quod in aëre noxium, ſicut alia inſecta terram purgant: ex generatione pediculorum, & aliorum animalculorum ſimus miſeriæ noſtræ oculati teſtes; vermes ex humano cadavere fiunt, ut homo intelligat ſe ratione corporis habere ſortem cum aliis animalibus communem, & interitum hominum hâc in parte non differre ab interitu equorum; proindeque hanc noſtrî partem haberi debere ut ſervam, ut anima libertate & ſuperioritate donetur.

Exiſtit Subſtantia miſericors & juſta.

Prima ratio: vellem, ut ſobrius, caſtus, æquitatis amans foret qui negat exiſtentiam Dei juſti & miſericordis: porrò talis homo non datur.

Secunda: eſt in nobis recta agendorum fugiendorumque ratio, reperitur conſcientia: datur aliquid de ſe turpe; datur aliquid de ſe honeſtum: ſed, ſi non ſit Deus juſtus & miſericors, hæc omnia fruſtranea ſunt.

Tertia: eſt fames quædam, & ſitis in nobis, quæ non poſſit ſatiari præſentibus, appetitur aliquid univerſâ naturâ dignius

quod naturaliter invocamus, ad quod appellamus, dum innocentes opprimimur: porrò propenſiones naturales fruſtraneæ non ſunt: forent autem, niſi objectum illarum exiſteret, niſi foret Deus invocanti propitius, & ſcelerum ultor atque vindex.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. Corpus infinitum excluderet alia; ergo ſubſtantia infinita excluderet alias.

Nego conſequentiam: diſparitas eſt, quia corpus infinitum,utpote impenetrabile, excluderet alia corpora; ſeu potiùs, quia præter ipſum nulla alia eſſent corpora: ens autem infinitum non eſt impenetrabile, imò immenſitas ejus eſt locus, in quo omnia ſunt, vivunt, & moventur.

Objicies 2°. Summum bonum debet excludere malum; malum tamen eſt; ergo non eſt ſummum bonum.

Diſtinguo majorem: debet excludere malum à ſe, id eſt, in ipſo nulla poteſt eſſe malitia, concedo: ab alio, nego: poteſt enim permittere malum in alio.

Inſtabis: ſi ſit Deus, aut non poteſt impedire malum, & tunc eſt impotens; aut poteſt, ſed non vult; & tunc eſt invidus: hæc abſurda ſunt.

Dico Deum poſſe impedire malum, ſed nolle impedire; neque tamen inde Deus eſt

invidus, aut malus; nempe ex permiſſione mali multa Dei attributa manifeſtantur, putà Dei miſericordia, dum remittuntur iniquitates, & teguntur peccata; juſtitia, dum puniuntur; necnon virtus infinita, dum ex malis eliciuntur bona, qualia ſunt reſurrectio à peccato, redemptio, humilitas & pulchritudo Orbis univerſi: verùm fortaſſe, quia mens noſtra finita eſt, & non poſſumus omninò percipere quare Deus permittat mala, non ideò negari debet ipſum exiſtere; ſcilicet, *quod eſt apertum negari non debet, quia ex eo ſequitur aliquid obſcurum, quod capi non poteſt.*

Si nefarii homines intelligerent quàm pauca ſint, quàm infima, quæ adversùs Dei exiſtentiam proponi poſſunt ab Atheis; quàm verò valida ſint, & quàm efficacia ſint momenta, quæ Metaphyſica, Phyſica & Moralis, ſuppeditant, certè id ſufficeret ut abſtinerent à ſuâ nequitiâ, ſeu contumelioſâ exprobratione in Auctorem naturæ.

Quæſtiunculæ circà Exiſtentiam Dei.

Prima: utrùm detur Atheus.

Plures affirmant, quidam negant; ſic ego.

Dari poteſt Atheus, qui ex cupiditate judicet; nam, ut habet Scriptura, *dixit inſipiens* in corde ſuo, *non eſt Deus.*

Dari non poteſt qui judicet ex percep-

tione, quia Deus concipi non poteſt cum excluſione exiſtentiæ; nam quî id fieret, cùm exiſtentia reperiatur in ejus ideâ?

Secunda utrùm illa propoſitio, *Deus eſt*, ſit per ſe nota quoad ſe tantùm, an ſit per ſe nota quoad nos.

Quid ſit propoſitio, vel per aliud, vel per ſe nota, nota quoad ſe, nota quoad nos, dictum eſt tomo ſecundo ſub hoc titulo, *Quales ſint propoſitiones.*

1°. Illa propoſitio, *Deus eſt*, eſt per ſe nota, quodcumque attributum nomine Dei intelligatur; nam illa propoſitio eſt per ſe nota, cujus prædicatum, cùm ipſa affirmet unionem, formam ſuam habet in ideâ ſubjecti: atqui hæc propoſitio affirmat unionem & prædicatum; putà *exiſtentia* eſt in ideâ Dei, quodcumque nomine Dei intelligatur: intelligatur ſubſtantia ſive neceſſaria, ſive immenſa & æterna, ſive perfectiſſima, ſive quæ ſit cauſa mirabilis ordinis in Orbe univerſo; ſive quæ ſit Sapientia ſuprema; ſive quæ ſit infinitè miſericors & juſta.

2°. Si nomine Dei intelligatur ſubſtantia neceſſaria, illa propoſitio, *Deus eſt*, eſt per ſe nota quoad nos; tunc enim propoſitio affirmans unionem eſt per ſe nota quoad nos, quando attributum neceſſariam habet connexionem cum ſubjecto, ità ut ſine ope ratiocinii deprehendatur iſta

connexio ; atqui propoſitio, *Deus eſt*, affirmat unionem ; forma per attributum ſignificata, putà exiſtentia, habet connexionem eſſentialem cum ſubjecto, quæ ſine ullâ ope ratiocinii deprehenditur, ſi intelligatur nomine ſubjecti ſubſtantia neceſſaria, quia ſolâ terminorum expoſitione conſtat : ergo, &c.

3°. Illa propoſitio, *Deus eſt*, non eſt per ſe nota quoad nos, ſi nomine Dei alia intelligantur attributa, quippe non innoteſcit clarè ſine ope ratiocinii.

Tertia quæſtio eſt utrùm exiſtentia Dei poſſit demonſtrari.

Sed iſtud jam factum eſt.

Quarta eſt utrùm poſſit demonſtrari à priori, à poſteriori, à ſimultaneo.

1°. Demonſtrari non poteſt à priori ; nam demonſtratio à priori eſt demonſtratio per cauſam, non modò cognitionis, ſed rei : atqui Deus non habet cauſam rei ; ergo, &c.

2°. Poteſt demonſtrari à ſimultaneo ; nempe ab illis attributis quæ eſſentialem habent connexionem cum ipſo, putà à neceſſitate ſpatii, immobilitate, diviſibilitate, à neceſſitate durationis, &c.

3°. Poteſt demonſtrari à poſteriori ; hinc Apoſtolus : * *Inviſibilia enim ipſius à creaturâ mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta*

* Rom. 1.

conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas. Hinc Pſaltes : * *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum* ; hinc Job : † *Interroga jumenta & docebunt te, volatilia cœli, & indicabunt tibi : loquere terræ & reſpondebit tibi, & narrabunt piſces maris ; quis ignorat quòd hæc omnia Domini manus fecerit ?*

Objectionum Solutio.

Objicies : correlatum non demonſtratur per aliud : Deus & creatura ſunt duo correlata; ergo, &c.

Diſtinguo majorem : ſi correlata formaliter ſumantur, concedo : ſi ſumantur materialiter, nego : pariter diſtinguo conſequens : Exiſtentia Dei non demonſtratur per creaturas formaliter ſumptas, concedo : materialiter ſumptas, nego.

Itaque exiſtentia Dei demonſtrari non poteſt per creaturas formaliter ſumptas : ſcilicet correlata formaliter ſumpta ſunt ſimul cognitione, & conſequenter non ſunt medium ſufficiens ad demonſtrationem; at poteſt demonſtrari per creaturas materialiter ſumptas, in quantùm demonſtratur entia quæ jam ſunt non potuiſſe exiſtere niſi creatione, non potuiſſe niſi à Deo moveri,

* Pſ. 18. † C. 14.

figurari, poni potiùs in hoc quàm in alio loco, in hâc durationis parte quàm in aliâ.

Urgebis: hæc demonſtratio foret à creaturis exiſtentibus: atqui exiſtentia Dei non poteſt demonſtrari à creaturis exiſtentibus; ergo, &c.

1°. Nego majorem: non poteſt eſſe à creaturis poſſibilibus hoc modo: exiſtat cœlum vel non: exiſtant aſtra, aër, aqua, terra, meteora, lapides, metalla, plantæ, animalia, vel non exiſtant; certè hæc poſſibilia ſunt, proindeque ſine abſurditate ſupponi poſſunt, & futura & exiſtentia: porrò futuritionem & exiſtentiam habere non poſſunt à ſemetipſis; ſed dumtaxat à Sapientiâ ſupremâ, quæ omnia potuerit diſponere & ordinare: ergo exiſtentia Dei poteſt etiam demonſtrari à creaturis poſſibilibus.

Deinde nego minorem.

Inſtabis 1°. contrà reſponſionem ad majorem: à creaturis poſſibilibus non valet demonſtratio ad Dei exiſtentiam, ſi creaturæ poſſibiles non dependeant à Deo: atqui creaturæ poſſibiles non dependent à Deo ex demonſtratis; ergo, &c.

Diſtinguo majorem: non dependent à Deo, ut ſint producibiles, futuræ, exiſtentes, concedo: ut ſint poſſibiles præcisè, nego: porrò ex dictis non pendent quidem à Deo ut ſint poſſibiles præcisè, ſed pendent

quatenùs producibiles, quatenùs probatur ipſas eſſe non poſſe futuras, & exiſtentes à ſemetipſis.

Inſtabis 2°. contrà reſponſionem ad minorem : ut valeret demonſtratio à creaturis exiſtentibus ad exiſtentiam Dei, tanta deberet eſſe neceſſitas in hoc antecedenti, *exiſtunt creaturæ*, quanta eſt in conſequente, *exiſtit Deus* : ſed tanta non eſt; ergo, &c.

Diſtinguo majòrem : deberet eſſe tanta neceſſitas motivi, ſive formæ, concedo : neceſſitas entitatis ſive materiæ, nego : ſic diſtinguo minorem, & nego conſequentiam.

Itaque neceſſitas eò loci duplex, alia entitatis, alia motivi. Neceſſitas motivi eſt connexio neceſſaria unius cum alio, cùm unum ex alio infallibiliter poteſt colligi : neceſſitas entitatis eſt forma quâ res exiſtit neceſſariò.

Premes : ut foret tanta neceſſitas motivi in antecedenti quanta in conſequenti, deberet eſſe certitudo metaphyſica quòd exiſtant creaturæ : non eſt autem; ergo, &c.

Diſtinguo minorem : non eſt quòd exiſtant creaturæ externæ, id eſt, extrà nos cogitantes poſitæ, tranſeat : creaturæ internæ, id eſt, intrà nos cogitantes poſitæ, nego : quippe certitudo eſt metaphyſica ex intimo & immediato conſcientiæ ſenſu ducta, de exiſtentiâ cogitationum noſtrarum ; proindeque tanta eſt neceſſitas motivi in

hoc antecedenti, *exiſtunt creaturæ internæ*, quanta in conſequenti, *exiſtit Deus*, licèt forſitan tanta non ſit in antecedenti, exiſtunt *creaturæ externæ*.

Dixi forſitan, quia demonſtrabitur in phyſicis exiſtere corpora.

Quid ſit Deus.

Quia ſunt infinitæ in Deo perfectiones, ideò natura divina variis fuit expreſſa notionibus: porrò quæritur quænam inter illas perfectiones ea ſit quæ verè differentia ſit; atque adeò ſequentes inſtituuntur quæſtiones.

Utrùm Deus ſit merum corpus.

Merum corpus vocamus totum conſtans ex materiâ & formâ materiali, qualia putantur eſſe lapides, metalla, &c.

Facilè Deum confiterentur Athei, ſi nihil aliud intelligeretur quàm materia certo modo diſpoſita: v. g. materia ſubtilis inter poros corporum diffuſa; quo ſenſu foret Deus veluti anima mundi.

PROPOSITIO.

Deus non eſt merum corpus qualecumque tandem ſit.

Probatur: nam motus, quantitas motûs, determinatio

determinatio, eſſe non poſſunt à corpore qualecumque ſit, ut anteà dictum eſt, & in phyſicâ, probabitur fuſiùs: ergo ſunt ab aliâ ſubſtantiâ: porrò ſubſtantia, quæ eſt principium motûs, quantitatis motûs, determinationis, eſt cauſa mirabilis ordinis qui deprehenditur in orbe univerſo; hæc autem Deus eſt; ergo Deus non eſt merum corpus.

Prætereà demonſtrabitur corpus eſſe ſubſtantiam contingentem: Deus autem eſt ſubſtantia neceſſaria.

Denique cogitatio non convenit corpori, ut etiam probabitur; porrò convenit Deo; nam perfectio eſt: perfectiones autem omnes Deo conveniunt.

Utrùm Deus aliquam ſuî partem habeat corpoream.

Idem eſt ac ſi quæreretur utrùm natura divina conſtet ex corpore & ſpiritu; ità ut ex illis duobus, tanquam partibus, reſultet quædam ſubſtantia totalis; utrùm naturat divina poſſit fieri compars; quo poſito, ſi

PROPOSITIO.

Deus nullam ſuî partem habet corpoream.

Probatur: nam unio intercedens inter partem corpoream & ſpiritalem, vel eſſet eſſentialis, vel accidentalis; ſed neutrum

dici poteſt; nam 1°. ſi ſit eſſentialis; ergo Spiritus divinus pendebit eſſentialiter à corpore : ſed hoc abſurdum eſt 1°. Quia corpus eſt contingens: deinde, quia Spiritus divinus foret deterioris conditionis quàm noſter, qui poteſt exiſtere ſeorſim à corpore. Denique ſpiritus, qui nihil patitur ab extrinſeco, qui nihil ſpectat, qui affectibus non tangitur, & motibus appetitûs ſentientis, non pendet à corpore : talis autem eſt Spiritus divinus; ergo, &c.

2°. Dici nequit accidentalis hæc unio; quippe, ſi foret accidentalis, forent ſeparabiles partes illæ; adeòque in hâc hypotheſi Deus, quâ Deus, foret diviſibilis & mortalis; quod abſurdum eſt.

Prætereà, ſi ſit accidentalis, ergo libera; ſi libera, undenam habetur quòd facta fuerit? quandònam facta eſt, & à quo?

Denique : vel ſubſtantia ſpiritalis hâc unione perficeretur, vel non : ſi perficeretur, ergo Deus poſſet & perfectiones acquirere, & deperdere : ſi non perficeretur, ergo ſemper maneret totalis, ergo non poſſet fieri compars; adeòque Deus partem ſuî non haberet corpoream.

Ex quibus 1°. Deus non poteſt dici anima mundi, ità ut cum mundo efficiat totum, cujus ſit pars.

2°. Eutiches ineptè ratiocinabatur, cùm in Chriſto contendebat eſſe naturam, quæ

reſultabat ex naturâ humanâ, & naturâ divinâ, quia, poſitâ unione, natura divina manſit ſemper totalis, ut dictum fuit.

Utrùm Deus componatur ex genere & differentiâ.

Facilis eſt ſolutio, ſi principia noſtra ſequamur; diximus enim ſubſtantiam eſſe univocam reſpectu Dei & ſubſtantiæ creatæ, Deum eſſe ſpeciem ſubjicibilem, & ideò contineri in categoriâ ſubſtantiæ.

Et certè Deus habet eſſentiam, habet proprietates; genus eſt pars eſſentiæ latior; differentia eſt pars eſſentiæ ſtrictior; ergo, &c.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. Nihil eſt in Deo, quo conveniat cum creaturis, ſi nihil ſit in ipſo quod non ſit divinum: atqui nihil eſt in ipſo quod non ſit divinum; ergo, &c.

Diſtinguo majorem: quod non ſit divinum ratione ſuî præcisè, concedo: ratione differentiarum adjunctarum, nego: porrò nihil eſt in Deo quod non ſit divinum ratione differentiarum adjunctarum, quia omnia quæ ſunt in Deo per divinitatem determinantur; ſed aliquid eſt in Deo, quod non eſt divinum ratione ſuî præcisè; v. g. ens eſt in Deo, ratio ſubſtantiæ eſt in

Deo : atqui ens & ſubſtantia non ſunt divina ratione ſuî & præcisè; nam illa non ſunt divina ratione ſuî & præcisè, quæ in ſe præcisè ſumpta abſtrahunt à divino, id eſt, nec includunt, nec excludunt rationem divini : atqui ens & ſubſtantia præcisè ſumpta, nec includunt, nec excludunt rationem divini; ſunt quippe in Deo cum divinitate, in creaturis ſine divinitate; ergo, &c.

Objicies 2°. Deus eſt ens infinitè ſimplex : atqui ens infinitè ſimplex non componitur ex genere & differentiâ; ergo, &c.

Concedo majorem : cùm enim aliqua perfectio Deo convenit, debet eſſe in ipſo ſummo modo : ſi ſapientia, debet eſſe ſumma; ſi magnitudo, debet eſſe immenſa: ſi ſimplicitas, debet eſſe ſumma & infinita : ſed

Nego minorem : nam ens infinitè ſimplex eſſentiam habet : eſſentiæ partes ſunt genus & differentia; ergo, &c. Et certè adverſarii ne ullam quidem objectionem poſſunt proponere, quin ſibi contradicant, quin genus & differentiam aſſignent : exemplum erit præſens objectio : Deus, inquiunt, eſt ens; en genus ; en id quo convenit cum cæteris : eſt infinitè ſimplex ; en differentia ; en id quo differt ab omnibus.

Probo minorem : ens quo nihil poteſt cogitari ſimplicius non componitur ex genere & differentiâ ; ſed ens infinitè ſimplex eſt ens

quo nihil poteſt cogitari ſimplicius; ergo.

Nego majorem : & iterum afferunt adverſarii genus & differentiam; nam, cùm dicitur ens, affertur genus; cùm additur, quo nihil poteſt cogitari ſimplicius, laudatur differentia.

Probo majorem : ens ſimplex ſimplicitate metaphyſicâ non conſtat ex genere & differentiâ : ſed ens quo nihil poteſt cogitari ſimplicius eſt ſimplex ſimplicitate metaphyſicâ; ergo, &c.

1°. Major repugnat in terminis; nam quod dicitur ſimplex ſimplicitate metaphyſicâ, dicitur minimè conſtans ex genere & differentiâ : tamen, cùm dicitur ens, en genus : cùm dicitur ſimplex ſimplicitate metaphyſicâ; en differentia.

2°. Nego minorem : ſcilicet ſimplicitas metaphyſica eſt impoſſibilis; quippe, ut multoties dictum eſt, repugnat ens dari, quod non conſtet ex genere & differentiâ.

Probo minorem : ſimplicitas metaphyſica definitur negatio compoſitionis metaphyſicæ; ergo eſt poſſibilis.

Nego antecedens : afferuntur quidem voces, ſed illæ definitionem non conſtituunt; quippe ſolum impoſſibile caret genere & differentia.

Probo antecedens : datur ſimplicitas oppoſita compoſitioni phyſicæ; ergo datur ſimplicitas oppoſita compoſitioni metaphy-

ſicæ : ſed ſimplicitas oppoſita compoſitioni metaphyſicæ eſt ſimplicitas metaphyſica ; ergo, &c.

Diſtinguo primum conſequens : ergo datur ſimplicitas oppoſita compoſitioni metaphyſicæ quæ permittit perfectiones ſeparabiles, qualis eſt compoſitio metaphyſica ſpirituum creabilium, concedo : quæ non permittit, qualis eſt compoſitio metaphyſica Dei, nego : porrò ſimplicitas, quæ foret oppoſita compoſitioni metaphyſicæ, non permittenti perfectiones ſeparabiles, foret metaphyſica : ſed ſimplicitas oppoſita compoſitioni metaphyſicæ permittenti perfectiones ſeparabiles, non foret metaphyſica, proindeque nego conſequentiam.

Ex his intelligitur quomodo Deus ſit ſimplicior Angelo & animâ rationali, licèt componatur ex genere & differentiâ; nimirùm Angelus & anima rationalis ità metaphyſicè componuntur, ut dicant perfectiones ſeparabiles : at ità Deus componitur ex illis, ut nullas habeat perfectiones ſeparabiles.

Contrà ſolutionem : datur ſimplicitas excludens potentiam : atqui ſimplicitas excludens potentiam eſt oppoſita compoſitioni metaphyſicæ, quæ non permitteret perfectiones ſeparabiles ; ergo, &c.

Diſtinguo majorem : phyſicam, ut ſuprà explicuimus, concedo : metaphyſicam, nego : porrò, &c.

Contrà ſolutionem : potentia, vel metaphyſica, eſt tendentia ad actum : atqui datur ſimplicitas excludens tendentiam ad actum ; ergo, &c.

Diſtinguo majorem : ad actum inſeparabilem, concedo : ſeparabilem, qui perficiat, nego : porrò ſimplicitas quæ excludit tendentiam ad actum ſeparabilem datur ; ſed ſimplicitas quæ excluderet tendentiam ad actum inſeparabilem non datur.

Itaque datur ſimplicitas phyſica, quæ opponitur compoſitioni phyſicæ, & eſt negatio compoſitionis phyſicæ : datur etiam ſimplicitas, quæ opponitur compoſitioni metaphyſicæ, permittenti perfectiones ſeparabiles ab ipſâ ſubſtantiâ, qualis eſt hæc compoſitio in ſpiritibus creatis; quæ quidem ſimplicitas Deo convenit, à quo nullæ perfectiones ſunt ſeparabiles ; quo ſenſu hæc ſimplicitas dici poteſt metaphyſica : ſed non datur ſimplicitas metaphyſica, ità ut ſit aliquod ens ſine genere & differentiâ.

Eſt igitur Deus metaphyſicè ſimplex ſimplicitate oppoſitâ compoſitioni metaphyſicæ ſpirituum creabilium; non eſt metaphyſicè ſimplex, ità ut careat genere & differentiâ.

Quinam ſint Gradus generici in Deo.

Tres ſunt præcipui : primus eſt gradus entis, quo convenit cum omnibus quæ

ſunt entia, ut probatum eſt *; ideò gradus omnes qui pertinent ad ens *ut ſic*, unitas, veritas, bonitas, &c. ſunt in Deo gradus generici.

Secundus eſt ratio ſubſtantiæ, quà convenit cum omnibus ſubſtantiis, & differt ab accidentibus, ſive modificationibus quibuſlibet, ut probatum eſt ibidem; adeòque gradus omnes qui pertinent ad ſubſtantiam, *ut ſic*, ſunt in Deo gradus generici.

Tertius eſt ratio ſpiritûs, quâ convenit cum ſpiritalibus ſubſtantiis, & differt à corporibus quibuſlibet; proindeque gradus omnes qui pertinent ad ſpiritum *ut ſic*, ſunt in Deo gradus generici.

Quiſnam Gradus ſit Differentia.

Qui nolunt compoſitionem in Deo ex genere & differentiâ, vel virtualem, inquirere non poſſunt quiſnam gradus differentia ſit; inquirunt tamen quiſnam gradus ſit veluti differentia.

Nos verò, qui poſitivam admittimus, quærimus quinam gradus reverà differentia ſit: varias Philoſophorum opiniones non perſequor: ſit

PRIMA PROPOSITIO.

Intellectio actualis non eſt differentia Dei.

Probatur : nam gradus qui ſupponit potentiam & naturam conſtitutas non eſt differentia Dei; nec enim eſt quid primum in ente, quod ſit fons & ratio proprietatum : atqui intellectio actualis ſupponit potentiam & naturam conſtitutas, eſt enim operatio; ergo, &c.

Et certè functio ſpeculativa ſupponit objectum ſuum conſtitutum : ſed intellectio actualis eſt functio ſpeculativa repræſentans eſſentiam divinam, quæ eſt objectum primarium divinæ intellectionis; ergo ſupponit eſſentiam divinam conſtitutam.

Dices : vita perfectiſſima conſtituit vivens perfectiſſimum : Deus autem eſt vivens perfectiſſimum; intellectio actualis eſt vita perfectiſſima; ergo, &c.

1°. Retorqueo argumentum : docilitas conſtituit docile : atqui homo eſt docilis; ergo docilitas conſtituit hominem

2°. Nulla vox eſt magis ambigua apud Philoſophos quàm vivere, vivens & vita : belluæ vivunt, plantæ vivunt, homines vivunt, Angeli, Deus : afferant adverſarii genus aliquod vitæ commune hiſce omnibus, & poſteà reſpondebitur.

Denique diſtinguo minorem : Deus eſt vivens perfectiſſimum, ſi ſpectetur ſecun-

dùm aliquas è ſuis proprietatibus, concedo: ſicut homo, ſi ſpectetur ſecundùm aliquas è ſuis proprietatibus, eſt animal docile: Deus, ſi ſpectetur ſecundùm ſuam eſſentiam, nego: porrò viventis perfectiſſimi differentia non eſt vita perfectiſſima; nam vita perfectiſſima non eſt niſi proprietas; ſicut animalis docilis differentia non eſt ipſa docilitas; quia docilitas non eſt niſi proprietas animalis docilis.

Et certè, ſi valeret præſens argumentum, hâc ratione probaretur quodlibet attributum Dei eſſe differentiam ipſius; patet. Deus eſt ſubſtantia æterna: atqui æternitas eſt differentia ſubſtantiæ æternæ: ergo æternitas eſt differentia Dei, ergo argumentum ab adverſariis propoſitum nihil probat.

SECUNDA PROPOSITIO.

Neceſſitas exiſtendi non eſt differentia Dei.

Probatur: nam fons eſt & origo omnium perfectionum divinarum; nam ab hâc neceſſitate conſtituente Dei ſubſtantiam habet ſubſtantia hæc omnes perfectiones; hinc enim æternitas, immenſitas, immutabilitas, &c.

Et certè contingentia exiſtendi conſtituit creata, facitque illa differre à Deo; ergo neceſſitas exiſtendi conſtituit Deum, & facit differre à creaturis.

Hinc neceſſitas exiſtendi non modò convenit ſubſtantiæ divinæ, ſed & quibuſlibet perfectionibus, ſed & perſonis : at quæ convenit ſubſtantia præmordialis eſt fontalis, originalis; quæ verò convenit perſonis & perfectionibus eſt derivata & emanans; quippe eatenùs perfectiones & perſonæ neceſſariò exiſtunt, quatenùs ipſa ſubſtantia neceſſariò exiſtit.

Dices : aſeitas, independentia, ſunt differentiæ Dei conſtitutivæ.

Reſpondeo : aut idem ſunt cum neceſſitate exiſtendi, aut non ſunt differentiæ Dei conſtitutivæ.

1°. Independentia nomen eſt negativum, quod non ità benè exprimit differentiam Dei ac neceſſitas exiſtendi.

2°. Aſeitas non eſt vox clara; inde tot diſputationes an aliquod ens habeat exiſtentiam à ſe : lege primas objectiones adversùs meditationes Carteſianas & ſolutiones auctoris.

COROLLARIUM.

Ergo Deus eſt ſpiritus neceſſarius : ſpiritus, en genus proximum, neceſſarius, en differentia, ex quâ manant ideæ adæquatæ & univerſales omnium entium, ex quibus Deus ſuperior & independens à rebus creatis decernit pro beneplacito quæ futura vult, & non futura.

Qualis ſit Deus.

Omittitur quæſtio cur ſit, quia, cùm neceſſariò exiſtat, non habet cauſas, non habet finalem, non habet exemplarem, non habet efficientem, ipſe cauſa efficiens omnium, ipſe finis omnium, ipſe exemplar : omnia operatus eſt propter gloriam ſuam; ideæ ejus fuerunt exemplaria ſecundùm quæ decrevit & produxit : quippè *fundavit cælos in intellectu, firmavit orbem terræ.*

Proprietates Dei vocantur à Theologis attributa : attributum autem divinum definitur *ratio quædam neceſſariò & formaliter exiſtens in Deo, fluens à differentiâ Dei.* Loquor de attributis abſolutis, quæ Deo conveniunt ut uni in naturâ; non autem de relativis, quæ Deo conveniunt ut trino in perſonis : de his diſputare Theologorum eſt; non innoteſcunt lumine naturali, ſed ſolo lumine fidei.

1°. Attributum divinum dicitur *ratio exiſtens in Deo neceſſariò*; quibus verbis differt 1°. à formalitatibus minimè perficientibus, quas Deus de novo recipit. 2°. Differt à decretis, quæ, licèt formaliter exiſtant in ipſo & ab æterno, tamen non reperiuntur neceſſariò in ipſo.

2°. Dicitur *exiſtens formaliter*; nimirùm aliquid poteſt eſſe in Deo duobus modis, vel eminenter, vel formaliter; illud eſt in

Deo formaliter, quod ſub omni reſpectu perfectionem dicit, nullâ admixtam imperfectione, tuncque exiſtit in Deo ſecundùm eſſe proprium; ſic ſapientia, juſtitia, &c.

Illud eſt in Deo eminenter, quod perfectionem dicit, ſed admixtam imperfectione; tuncque exiſtit in Deo ſecundùm aliquid ſe nobilius: v. g. diſcurſus eſt in Deo eminenter; eſt enim ſecundùm perfectionem quam dicit, putà ſecundùm notitiam, ſed non eſt ſecundùm imperfectionem, putà ſecundùm ignorantiam, quam dicit; Deus enim novit omnia uno eodemque intuitu.

Quæ ſunt in Deo formaliter, dicuntur à Theologis perfectiones ſimpliciter ſimplices, ſive attributa de quibus loquimur; quæ ſunt eminenter, dicuntur perfectiones ſecundùm quid ſimplices.

Denique additur quòd illa ratio fluat ab eſſentiâ Dei: ut proprietas differat ab eſſentiâ.

Quomodò Attributa Dei diſtinguantur.

Facilis eſt ſolutio apud nos: diſtinguuntur poſitivè formaliter; nam diverſo modo concipiuntur; ergo ſunt diverſa intelligibilia; ergo ſunt diverſa vera; ergo ſunt diverſa entia; ergo diſtinguuntur poſitivè: ſunt autem formalitates; ergo formaliter.

Objectionum Solutio.

Objicies. Quidquid eſt in Deo, Deus eſt, ut definivit Conſilium Remenſe contrà Gilbertum Porretanum, Pictavienſem Epiſcopum, agente S. Bernardo; ergo attributa divina non diſtinguuntur poſitivè formaliter.

Quæ fuerit mens Gilberti inquirant Theologi: diſputent etiam inter ſe an judicium quod tulit Otho Griſingenſis de S. Bernardo & Conſilio Remenſi ſit laudandum aut vituperandum; hoc unum dicam, Eccleſiam damnaſſe nunquam diſtinctionem formalem, quam cum Scoto & univerſâ Scotiſtiſtarum familiâ admittimus; imò, ſi Philoſopho liceret, ipſam fuiſſe probatam plurimis Patribus, veteribuſque Theologis, necnon ab Angelico Doctore, licèt obſcuriùs fuiſſe aſſertam planum facerem: ſed iſta extrà philoſophiæ limites poſita ſunt; ideòque

Diſtinguo antecedens: Deus eſt ſubſtantialiter & entitativè, quia non eſt in Deo ſubſtantia multiplex, multiplex entitas, concedo: Deus eſt formaliter, quaſi non ſint in Deo formalitates diverſæ, nego; proindeque nego conſequentiam: quapropter, cùm dicitur quòd juſtitia ſit miſericordia, illud non debet intelligi in ſenſu formali, quia juſtitia & miſericordia ſunt duæ formalitates; ſed intelligi debet in ſenſu

reali & entitativo, quia juſtitia & miſericordia non ſunt duæ res.

Inſtabis : Deus eſſe dicitur ſua ſapientia ; ergo nulla diſtinctio poſitiva, vel formalis.

Diſtinguo : quia inſeparabilitas eſt inter Deum & ſapientiam, concedo : quia indiſtinctio eſt, nego : itaque, cùm aliqua perfectio excellentiori modo & peculiari convenit alicui ſubjecto, ſubjectum illud dicitur eſſe talis perfectio ; ſic de Petro dicitur quòd ſit ipſa bonitas ; de Paulo quòd ſit ipſa diligentia ut ſignificetur modus peculiaris & excellens, quo perfectiones illæ ipſis conveniunt : hinc Angeli dicuntur intelligentiæ per excellentiam, quia putantur cognoſcere entia quælibet naturalia in cauſis, id eſt, ſine diſcurſu : porrò non inſeparabiliter modò, ſed perfectiſſimè perfectiones omnes Deo conveniunt ; quapropter mirum non eſt ſi dicatur Deus Via, Veritas & Vita ; ſi dicatur ipſa Juſtitia : idea juſtitiæ Dei non eſt idea omnium Dei perfectionum, ſed unius ex illis perfectionibus.

Quot ſint Attributa Dei.

1°. Dividuntur in negativa & poſitiva.

Negativa dicuntur ea quæ exprimuntur nominibus negativis, quibus removentur quædam imperfectiones rerum creatarum, v. g. independentia.

Poſitiva ea ſunt quæ exprimuntur nominibus poſitivis; hoc eſt, quæ perfectiones ſignificant, v. g. ſapientia, juſtitia, &c.

2°. Dividuntur in modos intrinſecos, in potentias, habitus & actus; ſunt enim attributa quædam quæ prædicantur de Deo per modum alicujus formalitatis intrinſecè modificantis ipſam ſubſtantiam, ut certo modo ſe habeat in ſe, quales ſunt immutabilitas, immenſitas, æternitas, &c. Sunt & attributa quæ de Deo prædicantur, ità ut non ſolùm modificent ipſum eſſe Dei in ordine ad ſe, verùm etiam reddant Deum potentem operari, quales ſunt intellectus, voluntas, omnipotentia: alia prædicantur de Deo, inſtar habituum determinantium potentias ad hoc, ut benè ſe habeant, v. g. ſcientia, prudentia, &c. Alia denique prædicantur de Deo per modum operationum, v. g. cognitio, amor, creatio, &c. De his omnibus breviter diſputabo: ſit itaque

De Immutabilitate Dei.

Deum eſſe immutabilem clamat Scriptura; ſed qualis eſt hæc immutabilitas? opponitur certè mutabilitati; immutabilitas autem alia eſt ratione ſubſtantiæ, quâ ſubſtantia diviſibilis eſt in partes quæ ſubſtantiæ ſint: ſic corpora mutabilia ſunt, proindeque ſpiritus ſunt immutabiles hâc

immutabilitate, carent enim partibus quæ ſubſtantiæ ſint.

Alia eſt ratione perfectionum, quâ ſubſtantia poteſt veterem perfectionem amittere, & novam acquirere; ſic creaturæ ſpiritales ſunt mutabiles: at verò Deus immutabilis eſt immutabilitate oppoſitâ huicce mutabilitati, quia ab extrinſeco perfici non poteſt, nihil expectat, nihil ſperat.

Denique alia eſt mutabilitas, quâ poteſt deperdi & acquiri aliquid, quod ſuî præſentiâ non perficit ſubjectum, & abſentiâ perfectionem non detrahit à ſubjecto: porrò quidni Deus poſſit eſſe mutabilis hâcce mutabilitate? ego certè nihil video quod obſtet; qu n imò hâc ratione facilè intelliguntur decreta Dei libera, quomodò de novo creaverit, conſervet & concurrat; ſicque de cæteris, putà quomodò Verbum fuerit caro factum; tunc enim fuit de novo aliquid in Deo, ſed quod Deum non perficiebat.

Eſt altera immutabilitas, quæ dicitur conſilii & voluntatis, quâ quod ſemel volitum eſt revocatur nunquam: in hiſce plura ſunt quæ merentur fuſiùs tractari: ſit ergo

PRIMA PROPOSITIO.

Deus eſt immutabilis ratione perfectionum.

Probatur: Nam, ſi perfectiones divinæ

neceſſariò exiſtant, ut ipſa ſubſtantia, certè Deus nec veterem deperdere nec novam acquirere poteſt perfectionem : atqui divinæ perfectiones exiſtunt neceſſariò, ut ipſa ſubſtantia : nam ſubſtantia exiſtens neceſſariò ſuas habet perfectiones ab extrinſeco, non ab intrinſeco : perfectiones autem quæ ſunt ab intrinſeco ſunt eſſentiales, & inſeparabiles ab eſſentiâ; ergo, ſi ſubſtantia exiſtat neceſſariò, perfectiones neceſſariò exiſtunt; ergo Deus eas nec deperdere, nec acquirere poteſt.

Et certè tam neceſſitas exiſtendi modificans ſubſtantiam derivatur in perfectiones hujuſce ſubſtantiæ, quàm contingentia modificans ſubſtantiam creatam derivatur in modificationes ſubſtantiæ creatæ : atqui contingentia, &c. ergo, &c.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. Mutatur ille qui recipit in ſe aliquid : atqui Deus recipit in ſe aliquid : v. g. cùm produxit mundum, recepit in ſe de novo actionem creandi ; cùm Verbum caro factum eſt, habuit poſitivam unionem cum humanitate, ità ut Chriſtus fuerit homo, Deus, &c. ergo Deus mutatur.

Argumentum iſtud vulgare eſt, ſed non ſatis feliciter ſolvitur à Scholaſticis : ſtatim confugiunt ad voces, intrinſecè, extrinſecè,

principiativè, connotativè, entitativè, terminativè, &c. quibus nihil declaratur, & difficultas manet integra: mallem ego ignorantiam meam fateri, quàm his & ſimilibus verbis ſic erudire Lectores, ut tandem credant ſe difficultati ſatisfeciſſe, ſi modò locuti fuerint.

Solutio data fuit tomo primo, quæ ſic retractatur: diſtinguo majorem; qui recipit in ſe aliquid intrinſecum perfectivum ſuî, concedo: minimè perfectivum, nego: porrò Deus recipit de novo aliquid intrinſecum ſuî minimè perfectivum, ſed nihil intrinſecè recipit de novo ſuî perfectivum; nam cùm Deus de non creante factus eſt creans, cùm Verbum caro factum eſt, tunc Deus non eſt factus melior, quia de ſe ſolo perfectus eſt, ſe ſolo beatus independenter ab omnibus creaturis, quibuſcum ſumptus non dicit quid perfectius ſe ſeorſim ſumpto.

Inſtabis: Si Deus reciperet aliquid intrinſecum, etiam ſuî minimè perfectivum, mutaretur mutatione ſubſtantiæ: atqui ex conceſſis recipit; ergo, &c.

Nego majorem: Nam illa mutatio non eſt mutatio ſubſtantiæ, quæ ſupponit eſſentiam conſtitutam ratione ſuî: atqui mutatio quâ recipitur aliquid minimè perfectivum Dei ſupponit eſſentiam divinam conſtitutam ratione ſuî, imò ratione perfectionum; ſcilicet creatio & incarnatio ſuppo-

nebant eſſentiam divinam ſic conſtitutam; quia creatio non reddit Deum meliorem, & incarnatio Verbum non reddit melius.

Et certè, quemadmodum homo non mutatur ſubſtantialiter, dum de ambulante versùs Orientem fit ambulans versùs Occidentem, quia hæc mutatio ſupponit hominem ſubſtantialiter conſtitutum; quemadmodum non mutatur ratione perfectionum, quia hâc mutatione, nec fit melior, nec deterior; ità Deus mutatione formalitatis minimè perficientis, nec mutatur ratione ſubſtantiæ, nec mutatur ratione perfectionum.

Denique illa mutatio noneſt ſubſtantiæ, quâ ſubſtantia, neque generatur, neque corrumpitur, neque augetur, neque minuitur, neque alteratur: atqui mutatione quâ Deus recipit aliquid de novo ſuî minimè perfectivum, ſubſtantia divina neque generatur, neque corrumpitur, neque augetur, neque minuitur, neque alteratur; nam generatio, corruptio, accretio, decretio, non ſunt, niſi ſint partes quæ ſubſtantiæ ſint; ſic alteratio non eſt, niſi accedat perfectio, aut recedat: atqui hæc mutatio non poſtulat partes quæ ſubſtantiæ ſint, non poſtulat ut accedat perfectio, ut deperdatur; ergo, &c.

Urgebis: in Deo nulla eſt viciſſitudinis obumbratio: foret autem, ſi Deus muta-

tetur ratione accidentium minimè perfectivorum; ergo, &c.

Nego minorem: nam hæc verba Scripturæ ſpectant mutabilitatem conſilii, ideòque mutabilitatem ſubſtantiæ & perfectionum, ſed non ſpectant mutabilitatem formalitatum, quæ ſubjectum nullatenùs perficiunt.

Objicies 2°. Decreta in Deo libera ſunt, proindeque contingentia & ſeparabilia: atqui decreta ſunt perfectiones; ergo, &c.

Diſtinguo minorem: ſunt perfectiones reſpectu creaturarum, quia per ea fiunt creaturæ meliores, concedo: reſpectu Dei, nego.

Itaque perfectio eſt in Deo quòd poſſit habere decreta, quòd generatim decreverit ab æterno, prout voluit: ſed decreta talia & talia non ſunt perfectiones reſpectu Dei, v. g. perfectio non eſt, quòd decreverit illud potiùs quàm aliud; nimirum meliùs eſt habere id quod eſt perfectio, quàm non habere: porrò non eſt melius Deo habere unum decretum quàm aliud, putà non eſt melius Deo quòd decreverit productionem mundi, quàm ſi non decreviſſet; ergo, &c.

Hinc genericè ſumpta perfectiones quidem ſunt, ſeu ſumpta collectivè, ſed diſtributivè ſumpta perfectiones non ſunt: jam verò ſumpta collectivè libera non ſunt, non ſunt contingentia, ideòque ſeparabilia.

SECUNDA PROPOSITIO.

Deus eſt immutabilis ratione conſilii.

Probatur : duo ſunt mutabilitatis & inconſtantiæ fontes ; putà ignorantia eorum quæ agenda ſunt, & affectus inordinati, quibus urgemur : porrò Deus nihil ignorat, novit & quæ antecedunt, & quæ concomitantur, & quæ ſubſequuntur agenda, immoderatis affectibus non vexatur, nec impellitur ; ergo in ipſo nulla levitas, nulla inconſtantia, nulla conſilii mutatio ; ergo eſt immutabilis ratione conſilii.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. In eo datur conſilii mutabilitas, qui de non creante factus eſt creans in tempore : atqui Deus, &c. ergo, &c.

Diſtinguo majorem : factus eſt creans novo conſilio, concedo : æterno, nego : fecit in tempore quod faciendum in hâcce æternitatis parte decreverat ab æterno.

Objicies 2°. Ille mutabilis eſt ratione conſilii, quem pœnituit : atqui Deum pœnituit, ità ut tactus fuerit dolore cordis *intrinſecùs* ; ergo, &c.

Diſtinguo majorem : pœnitentiâ propriè dictâ & affectivâ, concedo : impropriè dictâ & effectivâ, nego.

Itaque pœnitentia duplex, impropriè dicta,

ſeu effectiva, & propriè dicta, ſeu affectiva.

Affectiva ea eſt quæ poſita eſt in ſenſu doloris intimo, in revocatione propriæ voluntatis propter mutationem affectûs, & novam cognitionem alicujus quod priùs ignorabatur.

Effectiva ea eſt quâ quis idem præſtat ac ſi reverà ipſum pœniteret; licèt non ſit novus affectus, nova cognitio.

Dum igitur Deus dicitur tactus dolore cordis *intrinſecùs*, hæc verba metaphorica ſunt, ut ſignificetur hominibus odium Dei in peccata.

Inſtabis: in eo eſt revocatio priſtinæ voluntatis, qui per Prophetas annuntiat quod non exequitur: atqui Deus per Prophetas, &c. Jonas enim, impellente Deo, dixit Ninivitis: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*; Ninive tamen non eſt ſubverſa: quærenti Davidi utrùm cives Ceïlæ ipſum eſſent tradituri, reſpondet Dominus, *tradent*; non fuit tamen David traditus; ergo, &c.

Diſtinguo majorem: qui annuntiat abſolutè, concedo: conditionatè, nego: porrò Deus per Prophetas annuntiat quod non exequitur, ſed illud annuntiat conditionatè, & dependenter ab aliquâ hypotheſi, non autem abſolutè; quapropter, quia Ninivitas pœnituit Ninive, non eſt ſubverſa: unde decretum non eſt revocatum, quia

decretum conditionem ipſam poſuit, fecitque ut pœnitentiam agerent Ninivitæ. Poſito quòd in urbe Ceïlæ remanſiſſet David, Cives erant ipſum tradituri : non remanſit autem, idcircò ipſum non tradiderunt.

Objicies 3°. Qui modò odit, modò diligit, ille mutabilis eſt ratione conſilii : atqui Deus, &c. ergo, &c.

Diſtinguo majorem : ſi illud ab æterno non decreverit, concedo : ſi illud ab æterno decreverit, nego : quippe non eſt revocatio priſtinæ voluntatis in Rege, qui iter longiſſimum facit modò rhedâ, modò pedibus, modò equo, modò navi ; ſi antequàm ſic faciat, facere decreverit : porrò Deus modò odit, modò diligit eumdem hominem ; ſed illud ab æterno decrevit, non autem de novo, & in tempore, apud ſe diſponens omnia ; quæ diſpoſitio ſemel facta irrevocabilis eſt & irrefragabilis.

De Immenſitate Dei.

Deus ab omnibus prædicatur immenſus ; ſed quomodò ſit, & quænam ſit ipſius immenſitas, diſputant omnes.

Si quæras ubi Deus eſt, nullibi reſpondent Carteſiani, quia cogitatio ſpiritum conſtituit, imò ſpiritus eſt, extenſio verò corpus: idem antè Carteſium dixerat Boëtius, dixerant Platonici omnes.

Thomiſtæ

Thomiſtæ fatentur quidem ſubſtantiam divinam in ſe eſſe reverà inextenſam : hinc ante mundum nulla erat divinæ ſubſtantiæ extenſio ; Deus erat nullibi, in ſeipſo : at verò, poſitâ creatione ſubſtantiæ corporeæ, quæ extenſa eſt, Deus per contactum virtutis & operationis, non autem per contactum quantitatis, eſt ubicumque operatur: hinc ſi Orbis univerſus ſit finitus, Deus non eſt extrà cœlos; hinc operatio tranſiens eſt ratio formalis cur Deus ſit in loco; hinc denique concipi debet attributum quo Deus poteſt coextendi operi ſuo, & illud attributum dicitur immenſitas, cujus partes non ſunt niſi virtuales; id eſt, in immenſitate nullæ ſunt reverà partes, ſed eſſe cogitantur; nam illa immenſitas, ſeu virtualis extenſio, quam Deo tribuunt Thomiſtæ, eſt ipſa Dei ſubſtantia : porrò cùm ſubſtantia Dei ſit ubique tota, pariter immenſitas eſt ubique tota ſimul.

Alii immenſitatem & extenſionem Deo tribuentes ultrà mundum admittunt ſpatia imaginaria, non quòd omninò fictitia ſint; quia exiſtunt realiter negativè, & ſuo modo, ſed quia, cùm ſit fundamentum ea concipiendi, mens ſibi repræſentat intercapedinem quamdam, ſeu meram non repugnantiam ad recipienda corpora; ſicque abſolvit quod Natura inchoavit.

Gaſſendiſtæ volunt Deum, & quamvis

ſubſtantiam ſpiritalem eſſe extenſam, ſed indiviſibiliter; volunt dari ſpatium quoddam poſitivum extrà mundum, ſi finitus ſit, infinitè diffuſum; quòd ſit æternum, neceſſarium, improducibile, & ab ipſo Deo independens; ens, quod neque ſubſtantia ſit, neque accidens, ſive modificatio ſubſtantiæ, eſt, inquiunt, quid peculiare diſtinctum ab utroque: his poſitis, ſit

PRIMA PROPOSITIO.

Subſtantia ſpiritalis extenſa eſt.

Probatur: illud extenſum eſt, cui extenſum reſpondet, & quod reſpondet extenſo: atqui ſubſtantiæ ſpiritali reſpondet extenſum, & ipſa reſpondet extenſo: v. g. Orbis univerſus reſpondet ſubſtantiæ divinæ, anima rationalis præſens eſt corpori juxtà Thomiſtas; imò Carteſius vult glandulam pinealem eſſe domicilium & ſedem animæ: porrò glandula pinealis, licèt ſit minima portio cerebri, tamen extenſa eſt; ergo anima illi reſpondens reſpondet extenſo, & conſequenter ipſa extenſa eſt.

Denique quidquid concipitur, affirmari debet de ſubjecto, ut in ſe eſt, ſine ullâ errandi formidine: porrò Carteſius ipſe faſſus eſt Deum, Angelos, animam rationalem concipi ut aliquid extenſum, & ideò ſubſtantias illas dixit virtualiter extenſas; ergo, &c.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. Cogitatio non poteſt convenire materiæ; ergo nec extenſio ſpiritui.

Diſtinguo conſequens : ergo nec extenſio diviſibilis ſpiritui convenit, concedo : extenſio indiviſibilis, nego : ſpiritus non habet partes, quæ ſubſtantiæ ſint extrà partes, quæ ſubſtantiæ ſint, ſed eſt totus in ſingulis loci quem occupat partibus : hincilli convenire nequit extenſio diviſibilis, ſed convenit extenſio indiviſibilis.

Inſtabis : quod eſt extenſum debet habere partes extrà partes : atqui ſubſtantia ſpiritalis non habet partes extrà partes ; ergo, &c.

Diſtinguo majorem : debet habere partes extenſionis extrà partes extenſionis, concedo : partes quæ ſubſtantiæ ſint extrà partes quæ ſubſtantiæ ſint, nego : porrò ſubſtantia ſpiritalis non habet quidem partes extrà partes quæ ſubſtantiæ ſint, ut videbitur, ſed habet partes extenſionis extrà partes extenſionis.

Objicies 2°. Extenſum debet eſſe figuræ capax : atqui ſpiritus non eſt figuræ capax ; diceturne rotundus, quadratus ? ergo, &c.

1°. Ut extenſio ſit figurata, debet eſſe terminata : porrò extenſio ſubſtantiæ divinæ terminata non eſt, ut docebitur ; ergo non eſt figuræ capax.

2°. Si objectio intelligatur de extenſione terminatâ, diſtinguo majorem : eſt figuræ capax ratione ſuî, concedo : ratione ſubſtantiæ, ſubdiſtinguo : ſi ſubſtantia habeat partes quæ ſubſtantiæ ſint, extrà partes quæ ſubſtantiæ ſint, concedo : iterùm, ſi careat illis partibus, & ſit ſubſtantia tota ubi eſt, id eſt, tota in ſingulis loci quem occupat partibus, nego : ſubſtantia ſpiritalis non eſt capax figuræ ratione ſuî præcisè, ſed eſt figuræ capax ratione ſuæ extenſionis.

1°. Quidem eſt figuræ capax ratione ſuæ extenſionis, ſi terminata ſit; ſcilicet extenſio ipſius ſubſtantiæ ſpiritalis eſt poſitio partium extenſionis extrà partes extenſionis; adeòque ſi terminata ſit, ipſa extenſio figurata eſt.

2°. Non eſt figuræ capax ratione ſuî præcisè, cùm enim ipſa non habeat partes, quæ ſubſtantiæ ſint extrà partes quæ ſubſtantiæ ſint, profectò ipſa figurata non eſt, ideòque dici non poteſt cujuſnam ſit figuræ.

Quapropter facilis eſt reſponſio Carteſianis poſtulantibus à nobis cujuſnam figuræ ſit anima rationalis; cujuſnam intellectus, cujuſnam cogitatio; ſi hæc omnia extenſa ſint, an ſint rotunda, an ſint quadrata? facilis, inquam, eſt ſolutio; nam figurata propriè non ſunt ea ratione ſuî, quæ non habent partes quæ ſubſtantiæ ſint; ſpiritus autem caret ejuſmodi partibus.

Hinc etiam propriè ſpiritus dici non debet longus, latus & profundus, ſed potiùs ipſa extenſio longitudine, latitudine & profunditate donatur; materia autem ratione ſuî agnoſcit tres illas dimenſiones, cùm ratione ſuî poſita ſit extrà partes ſuî.

Urgebis: concipi non poteſt quænam ſit illa extenſio ſubſtantiæ ſpiritalis.

Nego, nam, cùm aliquid concipitur extenſum, & non habet partes quæ poni poſſint extrà partes, certè concipi poteſt extenſio ſubſtantiæ, quæ tota ſit in ſingulis loci quem occupat partibus: atqui ſubſtantia ſpiritalis concipitur extenſa, ut patet ex ipſis Thomiſtis, qui extenſionem virtualem ipſi tribuunt, ut patet ex ipſo Carteſio, qui, objiciente Equite clariſſimo Domino More, effugere non potuit, niſi diſtinctionibus Thomiſtarum, faſſus Deum, Angelos & animam rationalem eſſe virtualiter extenſa: deinde ſubſtantia ſpiritalis non habet, poſtulantibus Thomiſtis & Carteſianis, partes quæ ſubſtantiæ ſint, quæ poni poſſint extrà partes; ergo poteſt concipi extenſio ſubſtantiæ, quæ tota ſit in ſingulis loci quem occupat partibus.

Hoc quidem ſenſibus difficillimum evadit, quia quodcumque ſenſibus attingitur, illud habet partes ſubſtantialiter poſitas extrà ſe invicem: at, ſi modò mente noſtrâ velimus uti, neglectâ relatione ſenſuum, profectò

conſtantiſſimè demonſtratum videbitur ratione ſequenti : hæc propoſitio, *totum eſt majus ſua parte*, & ſimiles, ſunt veræ, quandonam, & ubinam?

Sunt veræ, heri, hodie, cras; ſunt, ut loquuntur Metaphyſici, æternæ veritatis; ſunt veræ Viennæ, Romæ, Pariſiis; ſunt, ut loquuntur, cujuſlibet loci : porrò hæc propoſitio tota eſt vera heri, tota hodie, tota cras; tota vera Viennæ, tota Romæ, tota Pariſiis; non pars, ſed tota vera; ut ab æterno, ſic ubique; ergo tota intelligibilis hodie, tota cras; tota intelligibilis Viennæ, tota Romæ, tota Pariſiis; non pars, ſed tota intelligibilis; ut ab æterno, ità ubique : ex quibus ſic argumentor : propoſitio tota intelligibilis, & quidem neceſſariò, & ab æterno, & ubique; ſi non intelligatur neceſſariò, & ab æterno; & ubique ab illis ſubſtantiis, quæ neceſſariò non exiſtunt, quæ neceſſariò non intelligunt; certè, & ab æterno, & ubique, intelligitur neceſſariò à ſubſtantiâ, quæ neceſſariò exiſtit; neceſſariò intelligit; v. g. ſi à nobis, qui contingenter exiſtimus, contingenter intelligimus, non intelligitur, & ab æterno, & ubique; neceſſariò intelligitur, & ab æterno, & ubique ab eo qui neceſſariò intelligit, putà à Deo : porrò ſi tota intelligatur heri, hodie, cras, Romæ, Viennæ, Pariſiis; ergo idea quâ

intelligitur, tota eſt Romæ, tota Viennæ, tota heri, tota hodie : ubi idea tota eſt, ibi intellectus totus eſt : ubi intellectus totus eſt, ibi ſubſtantia cogitans tota eſt; ergo ſubſtantia divina cogitans tota heri, tota hodie, tota Romæ, tota Pariſiis, tota ab æterno, tota ubique; ergo ſubſtantia cogitans tota eſt in ſingulis loci quem occupat partibus; ergo concipi poteſt extenſio ſpirituum.

Inſtabis : ex his ſequeretur cogitationem eſſe extenſam.

Concedo : nam tanta eſt, quanta eſt res cogitans.

Objicies 3°. Subſtantia ſpiritalis habet ſuas partes; ergo poteſt eſſe extenſa, ità ut habeat partes extrà partes.

Diſtinguo antecedens : ſuas partes, quæ ſint formalitates, concedo : quæ ſint res, ſeu ſubſtantiæ, nego : & in eo differt ſubſtantia ſpiritalis à corporeâ; nimirùm una ſpiritûs pars, licèt ſit alia formaliter, id eſt, licèt ſit alia formalitas, non eſt alia realiter, id eſt, non eſt alia res : at una pars corporis eſt alia realiter, id eſt, eſt alia res.

Quæres quænam extenſio perfectior ſit?

Perfectior eſt extenſio ſpirituum; enimverò extenſio localis rerum ſpiritalium convenit tota eidem toti ſubſtantiæ ſpiritali; extenſio verò localis corporum tota non convenit eidem toti corporeo; cùm enim

conſtet ex variis partibus ſubſtantialibus extrà ſe poſitis, ſequitur non eſſe unam eamdemque rem, quæ habeat extenſionem, ſed ipſum totum coaleſcens ex ſubſtantiis diſtinctis: at verò in rebus ſpiritualibus non ſunt partes ſubſtantiales, quæ ponantur extrà partes : ſed totum ipſum indiviſibile eſt; atque adeò tota extenſio convenit toti ſubſtantiæ indiviſibili, ità ut nihil aſſignari poſſit in ipsâ, quod non habeat totam extenſionem localem; ergo extenſio ſpirituum perfectior eſt extenſione corporum; ergo ſpiritus perfectiùs extenditur quàm corpora.

Extenſio ſpirituum dicta fuit virtualis, non quòd, ut interpretantur Thomiſtæ, in illis reperiantur duntaxat partes ſecundùm noſtrum concipiendi modum : ſed quòd nullis ſenſuum teſtimoniis, nullâ imaginatione deprehendatur; quòd ſolâ mentis acie, ſolâ virtute intellectûs poſſit intelligi.

SECUNDA PROPOSITIO.

Extenſio, quæcumque ſit, partes ſuas habet extrà partes.

Probatur : nam ad hoc ſatis eſt quòd extenſum concipi non poſſit, niſi concipiatur pars extenſionis extrà partem, v. g. dextra extrà ſiniſtram; ſuperior extrà inferiorem, &c, atqui concipi non poteſt extenſio,

quin concipiatur pars extenſionis extrà partem; quod quidem adeò verum eſt, ut ipſi Thomiſtæ cum Carteſianis partes admittant virtuales, tum in extenſione animæ, tum in immenſitate divinâ : quo loquendi modo fatentur ſe non poſſe aliam extenſionis habere ideam, quàm poſitionis partium, quæ ſint extenſiones extrà partes quæ ſint extenſiones.

Et verò quid abſurdius fingi poteſt, immenſitatem, quæ eſt locus, ſeu ſpatium in quo ſunt omnia, moventur & vivunt, non habere poſitivè, & independenter à mente, partes extenſionis extrà partes extenſionis; immenſitatem eſſe ſimul, putà in minimo puncto; miror adverſarios : extenſio *ut ſic* poſtulat in ideâ ſuâ pluralitatem partium, quia quantitas eſt; poſtulat ut partes illæ ſint ſimul manentes, & extrà ſe poſitæ, quia permanens eſt : tribuunt partes illas extenſioni corporum; denegant verò extenſioni ſpirituum : fatentur ſe non poſſe concipere ſpiritus, quin extenſi concipiantur; extenſionem hanc concipi non poſſe, quin concipiantur extenſionis partes; nolunt tamen affirmare, & extenſionem independenter à mente convenire ſpiritibus; nolunt affirmare eidem extenſioni convenire partes illas; id eſt, nolunt conceptum ſequi, quo nullus perfectior eſt, quia divina extenſio infinita eſt; ideòne caret par-

tibus? ratio infiniti deſtruitne rationem extenſionis? non ità, ſed potiùs adjungit extenſioni, quod eſt in ideâ ſuâ, nimirùm infinitas partes extenſionis æquales; immenſitatem locum eſſe; immenſitatem carere partibus, ipſam eſſe in minimo puncto; quid abſurdius?

Sit ergo Petrus, iſque ſolus in immenſitate; ſi pars immenſitatis, quam occupat caput Petri, ſit ipſa pars poſitivè, & independenter à mente quam occupant pedes; ergo poſitivè, & independenter à mente ubi caput, ibi pedes; ſi partes illæ non exiſtant extrà ſe invicem, niſi ſecundùm noſtrum concipiendi modum; ergo duntaxat ſecundùm noſtrum concipiendi modum caput eſt extrà pedes, quia ea ſunt intrà ſe invicem poſitivè, quæ idem poſitivè ſpatium occupant: atqui caput & pedes in hâc hypotheſi, ſi non ſint partes immenſitatis poſitivè exiſtentes & diſtinctæ, extrà ſe invicem poſitæ, caput & pedes idem poſitivè ſpatium occupant, poſitivè ſunt intrà ſe invicem.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. Datur aliqua ſubſtantia, quæ non habet partes ſuas extrà partes; ergo dari poteſt extenſio, quæ non habeat partes ſuas extrà partes.

Nego conſequentiam: diſparitas eſt quia,

cùm à me concipitur ſubſtantia, id unum concipio, quòd ſit ens per ſe ſubſiſtens; non intelligo partes quæ ſubſtantiæ ſint in ſubſtantiâ, ut ſubſtantia eſt : cùm pervenio ad ſubſtantiæ ſpecies, ſpiritalem & corpoream, vi corporeitatis intelligo in corpore plurimas partes quæ ſubſtantiæ ſint; nullas verò intelligo in ſpiritu : imò ab ipſo excludo pluralitatem illarum partium: hinc concludo corpus exiſtere per partes, quæ ſubſtantiæ ſint extrà partes; ſpiritum autem eſſe totum ſubſtantialiter ubicumque exiſtit: poſteà reflecto in meas ideas : tunc adverto utramque ſubſtantiam poſſe reſpondere extenſo; hinc infero quòd utraque ſit extenſa; ſed, quia corporea pluralitatem habet partium, quæ ſubſtantiæ ſint, fateor corpora habere partes quæ ſubſtantiæ ſint extrà partes; quia verò ſpiritalis excludit pluralitatem partium, quæ ſubſtantiæ ſint, colligo ipſam ità eſſe extenſam, ut tota ſubſtantialiter ſit in ſingulis partibus loci quem occupat : verùm res non ità ſe habet, cùm agitur de extenſione : attendat anima quantùm voluerit, præjudicia deponat, neceſſe eſt quòd in extenſione *ut ſic* concipiat extenſionis partes extrà ſe invicem, ſuperiorem, inferiorem, &c. Hinc cùm pervenio ad ſpecies extenſionis, putà ad extenſionem ſubſtantiæ ſpiritalis, & ſubſtantiæ corporeæ, tunc non poſſum non admit-

tere plures partes in utrâque extenſione, quæ ſint extenſiones; & conſequenter datur ſubſtantia quæ non habet partes extrà partes, quin poſſit dari extenſio quæ non habeat partes extrà partes.

Objicies 2°. Spiritus ſunt indiviſibiles; ergo vel non ſunt extenſi, vel eorum extenſio caret partibus extenſionis quæ ſint extrà ſe invicem.

Nego conſequentiam: hoc adverſarios fallit, quòd putent illud omne eſſe diviſibile quod extenſum eſt; quòd putent diviſibilitatem fluere & oriri ab extenſione: errant profectò: an ſpatium diviſibile eſt? quodnam medium ponetur inter ipſius partes, ſi dividatur? indiviſibilitas oritur ab unitate ſubſtantiæ, diviſibilitas autem à pluralitate: ſi ſubſtantia una ſit, indiviſibilis ſit neceſſe eſt; proindeque ipſius extenſio indiviſibilis eſt: ſi ſit multiplex, eſt certè diviſibilis ratione ſuî; proindeque diviſibilis eſt ipſius extenſio.

TERTIA PROPOSITIO.

Extenſio Dei poſitivè differt à ſubſtantiâ Dei.

Probatur: nam extenſio & ſubſtantia diverſimodè concipiuntur, ut fatentur adverſarii: porrò apud nos ea poſitivè differunt, quæ diverſimodè concipiuntur, ergo, &c.

Et certè, ut jam probatum eſt, ſubſtantia divina non habet partes quæ ſint ſubſtantiæ; extenſio verò ejus habet partes extenſionis extrà partes extenſionis; v. g. Deus totus eſt in hâc aulâ, totus eſt Romæ : at verò non eſt niſi quædam pars divinæ Immenſitatis in hâc aulâ, quædam Romæ, &c.

Diverſitas illa non eſt realis, ſubſtantialis & entitativa; enimverò diverſitas realis eſt inter rem & rem; extenſio non eſt res, ſed eſt formalitas, determinatio, attributum divinæ ſubſtantiæ; ergo, &c.

Diverſitas illa non eſt formalis; nam diverſitas formalis eſt inter formalitates & formalitates: porrò Deus non eſt formalitas, ſed res; ergo, &c.

Non eſt etiam modalis ad ſenſum aliquorum, qui requirunt ad diverſitatem modalem, ut, ſi modus non poſſit eſſe ſine ſubjecto, ſaltem res eſſe poſſit ſine modo, quia divina ſubſtantia eſſe nequit ſine ſuâ extenſione.

Eſt igitur modalis eo ſenſu, quòd Deus ſit res, immenſitas autem ſit modificatio inſeparabilis à divinâ ſubſtantiâ.

QUARTA PROPOSITIO.

Deus eſt in hoc Orbe univerſo præſens ſubſtantialiter.

Eſt contrà Auguſtinum Eugubinum inter

Catholicos, & Vorſtium inter Calviniſtas, qui dixêre Deum eſſe duntaxat in cœlo præſentem per ſuam ſubſtantiam; in reliquis verò Orbis univerſi partibus per ſuam virtutem duntaxat.

Probatur: Auctoritate Apoſtoli laudantis illud Arati Poëtæ, * *Deus non longè eſt ab unoquoque noſtrûm; in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus.*

Et certè, ubi eſt operatio Dei, ibi virtus, ibi ſubſtantia, nimirùm operatio & virtus in operante: atqui Deus operatur in hoc Orbe univerſo, ut fatentur Eugubinus & Vorſtius; ergo, &c.

Dices: ex Scripturâ; † *cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum*; ergo Deus in cœlo, homines in terrâ.

Explico teſtimonium Scripturæ: *Cœlum cœli Domino*, id eſt, Chriſto, ut in eo regnet; juxtà illud, § *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*; terram autem dedit filiis hominum, ut ſuper terram regnent, concedo: hinc Chriſtus accuſatus à Judæis coram Pilato, quòd ſe dixiſſet Regem Judæorum, ſic reſpondit: ¶ *Meum regnum non eſt de hoc mundo*, quia, ſi fuiſſet de hoc mundo, ſuos habuiſſet milites; ergo teſtimonium non debet intelligi eo ſenſu quòd Deus non ſit in terrâ.

* Act. 17. † Pſ. 90. § Pſ. 109. ¶ Joan. 18.

Quinta Propoſitio.

Deus non modò præſens eſt ſubſtantialiter in hoc Orbe univerſo, ſed eſt infinitè diffuſus extrà ipſum, ex hypotheſi quòd ſit finitus.

Probatur ex Scripturâ: * *Deus excelſior eſt cœlo, profundior inferno, longior terrâ, latior mari*: hinc Salomon in actione gratiarum Deo redditâ in dedicatione Templi, ſic habet: † *Si cœli cœlorum non te capiunt; quantò magis domus hæc, quam ædificavi*: hinc Eccleſia in ſuis precibus; *quem totus non capit Orbis, in tua ſe clauſit viſcera, factus homo*; & alibi, *quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti.*

Et certè Deus eſt extrà hunc Orbem, ſi extrà cœlos ſpatia ſint poſitiva, infinitè diffuſa: atqui extrà cœlos ſunt ſpatia infinitè diffuſa, ut modò probandum eſt; ergo, &c.

Denique Deus æternitate ſuâ omnia tempora creata ſuperat & antecedit; ergo ſuâ immenſitate ſuperat omnia ſpatia creata.

Dices: præſentia Dei probatur ex ejus operatione: porròDeus non operatur extrà mundum; igitur non eſt extrà mundum.

Diſtinguo majorem: probatur à poſteriori, in quantùm, ſi operetur in aliquo

* Job. 11. † Paralip. 2. c. 6. & Reg. 3. c. 8.

loco, neceſſe eſt ipſum eſſe in tali loco, concedo: & hoc demonſtrationis genere uſus eſt Pſaltes regius: * *Si aſcendero in cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades; ſi ſumpſero pennas meas diluculò, & habitavero in extremis maris, etenim illùc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.*

Præſentia probatur à priori ex ipſius operatione, nego: nam prius eſt Deum eſſe in aliquo loco, quàm operari in ipſo; quippe ex recepto axiomate, *operari ſequitur eſſe*: porrò Deus, ſi mundus ſit finitus, nihil producit extrà mundum, & tamen eſt extrà mundum: nam immenſitatis ratio, quæ ipſi convenit, hoc importat; enimverò, ſi Deus non eſſet extrà mundum finitum, quandò de novo produceretur actu Orbis, Deus inciperet eſſe ubi non erat anteà: porrò non poteſt concipi quomodò id fieri poſſit; nam quî concipiatur Deus, inextenſus actu ante mundum conditum, fieri extenſus mundo condito? quî concipiatur ampliorem acquirere extenſionem novâ productione alterius materiæ, & hoc præſertim juxtà adverſariorum principia, apud quos nihil intrinſecum Deo poteſt advenire, etiam minimè perfectivum?

* Pſ. 138.

SEXTA PROPOSITIO.

Sunt extrà cœlos ſpatia poſitiva, non imaginaria tantùm.

Probatur: nam ſine ullâ errandi formidine affirmari debet de objecto, ut eſt in ſe, id quod eſt in ipſius ideâ: atqui exiſtentia eſt in ideâ ſpatii ultramundani; nam attendat anima, quantùm voluerit, præjudiciis liberetur, neceſſariò concipit ſpatia ultrà cœlos: id patet, quia ſi ſemel conceperis extenſum, non poteſt dari terminus extenſionis, niſi concipiatur ultrà: v. g. concipiatur muſca, certè concipitur ultrà muſcam, concipiatur quævis alia magnitudo, pone terminum, concipitur ultrà: porrò undenam oritur hæc neceſſitas ſpatii, quod eſt ultrà? non oritur certè à muſcâ, quia hæc poſtulat tantùm ſpatium quod occupat; ergo oritur ab ipſo ſpatio; ergo ſpatia ſunt ultramundana, ſi mundus iſte ſit finitus.

Hinc, ut noverim an ſit ſpatium ultrà Hyeroſolimam, non eſt neceſſe ut Hyeroſolimam adeam: hoc quidem neceſſe eſt, ſi velim ſcire an ſit terra, an mare, an homines, an arbores. Quapropter ſi quis in aliquo cubiculo clauſus perpetuò vixiſſet, & vellet egredi, ut videret num extrà cubiculum ſit ſpatium, profectò rideretur: dubitare equidem poſſet utrùm extrà cubiculum ſit aër, ſit lux, ſint colores, ſed dubitare

meritò non poteſt de ſpatio, quod idem de hoc Orbe dici debet.

Et certè dum adverſarii admittunt ultrà mundum ſpatia imaginaria, ſatis apertè confitentur à ſe concipi: porrò quidni admittatur quod concipitur? Et verò ſuppono aliquem poni propè mundi circumferentiam; vel poterit manum extendere ultrà, vel non poterit; ſi poſſit extendere, ergo datur ſpatium ultrà quod manum recipiat: non poteſt autem dici quòd non poſſit manum extendere, nam ex hypotheſi, extrà mundum nihil omninò eſt; porrò, quod nihil, eſt impedire non poteſt hunc motum: quippe nihili nulla eſt reſiſtentia, nulla actio.

Denique ſuppono duos globos perfectè ſphæricos ſe tangentes creari à Deo, quorum unus ſit orbis A, alter orbis B; in illâ hypotheſi erit neceſſariò ſpatium extrà orbes illos: nam, v. g. pars C orbis A minùs diſtabit à parte D orbis C, quàm pars E orbis A à parte F orbis B: hæc autem poſitiva diſtantia non eſt major aut minor, niſi quia ſpatium eſt interjectum majus vel minus: porrò tale ſpatium non poſtulatur ab his orbibus, requirunt enim dumtaxat illud in quo ſunt; ergo ſpatium illud habet aliunde neceſſitatem exiſtendi, proindeque dantur ſpatia poſitiva ultrà cœlos.

Hæc ſpatia plurimas habent proprietates.

1°. Res locata poteſt quidem deſtrui, vel produci, ſed ipſa ſpatia, nec produci, nec deſtrui poſſunt, videlicet neceſſitatem habent exiſtendi : producatur, ut dicebatur ſuprà, muſca, concipitur neceſſariò extenſio ultrà muſcam; huic tamen ſufficit locus in quo eſt; ergo hæc extenſio aliunde habet neceſſitatem exiſtendi, nimirùm à ſubſtantiâ neceſſariò exiſtente.

2°. Res locata moveri poteſt, ſed ſpatium non poteſt moveri : v. g. Deus tranſportare poteſt Collegium Harcurianum, ſed nullatenùs tranſportare poteſt ſpatium in quo eſt; hinc, quia Carteſiani volunt extenſionem eſſe corpus, ideò patebit motum eſſe impoſſibilem in eorum principiis.

Ex iis iterùm probatur ſubſtantiam divinam non habere partes extrà partes, quæ ſubſtantiæ ſint; nam, ſi ejuſmodi partes haberet, illæ tranſponi poſſent, poſſent dividi; proindeque extenſio mobilis foret: hæc extenſio tamen mobilis non eſt; ergo ſubſtantia divina non habet partes quæ ſint ſubſtantiæ, ſed eſt tota ſubſtantialiter ubi eſt.

Ex iis etiam probatur extenſionem aliquam eſſe indiviſibilem : porrò extenſio indiviſibilis non poteſt eſſe modificatio mateteriæ; ergo ſit modificatio alterius ſubſtantiæ neceſſe eſt.

3°. Spatium nec minui, nec augeri poteſt;

quia, dum concipitur, repugnat dari terminum ultrà quem non ſit ſpatium: hinc Carteſius docuit ipſum eſſe indefinitè extenſum; nos autem extenſum eſſe infinitè volumus. Nomen *indefinitè* à Carteſio excogitatum eſt, ut difficultatem fugeret; quod probatur in phyſicâ.

SEPTIMA PROPOSITIO.

Spatium non eſt à Deo independens, ſed eſt ipſa Dei immenſitas.

Probatur: nam illud ens dici debet ipſa Dei immenſitas, quod omnes habet divinæ immenſitatis affectiones: atqui ſpatium omnes habet divinæ immenſitatis affectiones; enimverò ſpatium, ex dictis, nec produci, nec deſtrui poteſt; non poteſt moveri, non poteſt augeri, non-poteſt minui; denique neceſſariò exiſtit: atqui affectiones illæ ſunt ipſius immenſitatis; ergo, &c.

Et certè extenſio neceſſaria, æterna, infinita & immobilis, modificatio eſt ſubſtantiæ neceſſariæ, æternæ, infinitæ, & immobilis: porrò Deus eſt ſubſtantia neceſſaria, æterna, infinita & immobilis; ergo hæc extenſio eſt modificatio Dei: ſpatium verò eſt ex dictis extenſio neceſſaria, æterna, infinita & immobilis; ergo eſt modificatio Dei.

Denique nullatenùs concipi poteſt ens,

quod neque ſit ſubſtantia nec accidens; ſeu quod neque ſit res, neque ſit modus, ſeu ratio; nam ens vel requirit in ideâ ſuâ ſubjectum cui inſit & inhæreat, tunc eſt ratio; vel non requirit, tunc eſt res; ergo ſpatium vel eſt ſubſtantia, vel eſt modificatio: ſi ſit ipſa res extenſa, Deus eſt: ſi ſit ipſa extenſio, eſt Dei immenſitas.

Immenſitas ergo eſt extenſio neceſſaria, æterna, infinita & immobilis ſubſtantiæ divinæ: definitur à Triſmegiſto ſphæra intelligibilis, cujus centrum ubique, circumferentia nuſquam.

De Æternitate Dei.

Deum eſſe æternum omnium hominum eſt ſententia: *æternitas*, inquit Tertullianus, *cenſus Dei*; nam hoc ipſo quòd ſit ſubſtantia neceſſaria, hoc ipſo neceſſariò exiſtit: quapropter, qui admisêre ſubſtantias neceſſariò exiſtentes, ſive atomos, ſive materiam, eas admiſerunt æternas; unde apud Atheos quævis ſubſtantia æterna eſt, quia nulla ſuæ productionis cauſam agnoſcit; igitur ex neceſſitate exiſtendi, modificante ſubſtantiam, fluit in ſubſtantiâ æternitas.

At quid eſt æternitas? reſpondent cum Platonicis plurimi æternitatem non eſſe ſucceſſivam poſitivè, & independenter à mente, ſed eſſe totam ſimul, ità ut non ſit

niſi quoddam inſtans, in quo totum eſt præſens, nihil eſt præteritum, nihil futurum; ad quod ſignificandum uſurpant æternitatis definitionem in Scholis vulgarem & à Boëtio traditam libro de Conſolatione Philoſophiæ: *Æternitas eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio.*

Hinc Thomiſtæ docent nihil in rei veritate præteritum eſſe aut futurum, reſpectivè ad æternitatem; proindeque propoſitiones de futuro & præterito eſſe veras in ordine ad noſtram durationem: ſed exprimi debere, per præſens in ordine ad æternitatem: v. g. ſi reſpectivè ad nos verè dicitur, *in principio creavit Deus cœlum & terram*; *venturus eſt Chriſtus judicare vivos & mortuos*; reſpectivè ad Deum dici debet, *Deus creat cœlum & terram*; *Chriſtus judicat vivos & mortuos:* & ſic de cæteris.

Cujus conſequentiæ ab æternitate ſimul totâ fluentis cave exiſtimes primum * Auctorem fuiſſe ſanctum Thomam: id olim docuerat Petrus Damianus hanc arguens ſancti Hyeronimi ſententiam: *nequidem Deus Virginem poteſt ſuſcitare poſt ruinam;* imò arguens blaſphemiæ illud effatum, *quod factum eſt, infectum fieri nequit.*

Eamdem doctrinam tradiderat ſanctus Auguſtinus lib. de Fide ad Simplicianum,

* Opuſc. 35.

in quo ne Deus mutaretur, vult ipſum non attingere res, modò ut futuras, modò ut præteritas, ſed ſemper ut præſentes: verùm non ità conſtans in hâcce doctrinâ fuit, ut rectè obſervat * Petavius, ubi de æternitate diſputat: quanquam lib. Confeſſ. docet æternitatem totam ſimul.

Thomiſtis favet & Gregorius Mag. lib. Mor. cùm tollit à Deo rationem præſcientiæ & prædeſtinationis ſtrictè ſumptam.

Licèt nullas admittant Thomiſtæ partes poſitivas, fluentes ſucceſſivè, admittunt tamen virtuales & æquivalentes, in quantùm æternitas tota vim habet, quâ reſpondeat omnibus partibus ſucceſſivè fluentibus noſtræ durationis; quemadmodum punctum, licèt inextenſum, in centro circuli vim habet, quâ reſpondeat omnibus partibus circumferentiæ; hæc eſt enim, inquiunt, noſtri intellectûs infirmitas, ut aliter concipi nequeat æternitas, ut de divinâ duratione judicet, quemadmodum de noſtrâ judicat: at, quia aliunde, quidquid eſt in Deo, Deus eſt ipſe, quia ſubſtantia divina tota eſt ſimul, certè æternitas divina debet eſſe tota ſimul; atque adeò, ſi partes admittas, non ſunt illæ niſi virtuales, & ſecundùm noſtrum cogitandi modum.

Memini me olim legiſſe in libro cui

* Tom. 1, de dog. Th.

titulus eſt, *la République des Lettres*, aliam noviſſimi auctoris ſententiam, quæ placuit quibuſdam Philoſophis : duratio, inquit, non eſt niſi attentio animæ noſtræ; atque ſi non attendat, duratio non eſt : ex eo ſequitur quòd, ſi aliquid expectes, ſit futurum ; ſi alicujus recorderis, ſit præteritum ; ſi fruaris, ſit præſens : hinc tempus futurum eſt animæ expectatio, tempus præteritum eſt memoria, tempus præſens eſt animæ fruitio ; proindeque, cùm Deus nihil expectet, cùm non recordetur, nihil eſt in ejus duratione præteritum, nihil eſt futurum, ſed, cùm ſemper objectis ſuis fruatur, totum eſt præſens.

Gaſſendiſtæ poſtulant durationem, quæ ſit tempus aliquod neceſſarium, æternum, infinitum, & independens ab ipſo Deo, quod habeat partes poſitivas, inſeparabiles, & tamen ſucceſſivè fluentes.

Alii denique volunt æternitatem eſſe durationem neceſſariam, æternam, infinitam, quæ ſit modificatio divinæ ſubſtantiæ ; quæ quidem æternitas non eſt ſucceſſiva realiter eo ſenſu quòd habeat partes ſeparabiles, ſed eſt ſucceſſiva formaliter, in quantùm partes ejus ſecum invicem neceſſariò connexæ fluunt.

Hinc in illâ ſententiâ erat ante mundum conditum duratio poſitiva, formalis ; &, etiamſi mundus nunquam fuiſſet conditus, fuiſſet

fuiſſet neceſſariò hæc duratio, quia fuiſſet neceſſariò Deus : his poſitis, ſit

PRIMA PROPOSITIO.

Deus durat.

Probatur : nam ille durat, qui in eſſe ſuo permanet; duratio quippe nihil aliud eſt quàm permanentia entis in eſſe ſuo : atqui Deus in eſſe ſuo permanet; quod adeò verum eſt, ut partes durationis virtuales admittant ipſi adverſarii.

SECUNDA PROPOSITIO.

Deus ità durat, ut ejus ſubſtantia ſit tota ſimul pro quovis inſtanti.

Probatur : nam illa ſubſtantia eſt tota ſimul pro quovis inſtanti, quæ caret partibus quæ ſubſtantiæ ſint, proindeque ſeparabilibus : atqui Deus caret partibus quæ ſubſtantiæ ſint, proindeque ſeparabilibus, ut dictum eſt; ergo, &c. hâc parte Deus differt à corporibus, qualiacumque ſint; quia corpora, cùm conſtent partibus quæ ſubſtantiæ ſint; quæ proinde poſſint tranſponi, quibus addi, & à quibus poſſit detrahi, certè eorum natura in perpetuo fluxu partium poſita eſt; ideò ſucceſſivè acquirunt corpora moles ſuas, ſuas configurationes, texturas, quantitatem motûs,

determinationes, & alias diſpoſitiones mechanicas.

Verùm eâdem parte convenit cum ſubſtantiis ſpiritalibus creatis, quæ pariter carent partibus, quæ ſubſtantiæ ſint, proindeque ſeparabilibus.

Tertia Propositio.

Deus ità durat, ut ſubſtantia ejus ſit perfectiſſima pro quovis inſtanti.

Probatur : enimverò, ut jam dictum eſt, ſubſtantia Dei caret partibus quæ ſubſtantiæ ſint, & non acquirit ſucceſſivè perfectiones ſuas, ſed eas habet ſibi eſſentiales; veterem amittere nequit, novam non poteſt acquirere.

Quâ parte ſubſtantia Dei differt à ſubſtantiis creatis, vel ſpiritalibus, quæ nunquam habent ſimul perfectiones omnes, quarum ſunt capaces : v. g. anima noſtra, cùm hæc objecta meditatur & intelligit, non habet aliorum perceptiones, de aliis non judicat : itaque tranſit ſucceſſivè ab unâ cognitione ad aliam cognitionem; atque adeò nunquam habet ſimul omnes ſuas perfectiones : hinc Theologi docent creaturam non poſſe produci à Deo perfectiſſimam, quia nulla eſt quæ non poſſit ampliùs & ampliùs perfici.

QUARTA PROPOSITIO.

Duratio, quæcumque ſit, non eſt attentio ſubſtantiæ cogitantis.

Probatur : ſi talis attentio foret duratio, nulla duratio foret, cùm principium cogitans non attenderet : atqui abſurdum conſequens; v. g. quis dicat nullum tempus eſſe elapſum reſpectu ejus, qui dormivit? ergo, &c.

Deinde independenter à nobis cogitantibus, major eſt vel minor velocitas in corpore mobili : velocitas autem, ex omnibus, pendet ex ſpatio & tempore : porrò, ſi tempus non eſſet niſi attentio animæ noſtræ, jam velocitas dependeret à nobis cogitantibus & attendentibus ; ergo tempus non eſt ſola animæ noſtræ attentio ; ex quibus ſequitur attentionem eſſe quidem id quo judico quantum & quale ſit tempus, ſed non ſequitur ipſam eſſe corpus.

Reverà illud præteritum eſt, cujus recordamur ; illud futurum eſt, quod expectamus; illud præſens eſt, quo fruimur : ſed ideò recordamur, quia præteritum eſt ; ideò expectamus; quia futurum eſt ; ideò fruimur, quia præſens eſt; hinc memoria ſignum eſt præteriti, non cauſa ; expectatio argumentum futuri, non cauſa ; fruitio indicium præſentis, non cauſa.

Dices : quò vehementior eſt expectatio,

eò tempus videtur longius; ergo tempus eſt attentio animæ.

Nego conſequentiam : nam ideò tempus videtur longius, quia mens noſtra pluribus temporis partibus applicatur, ſed non ſequitur attentionem animæ eſſe tempus ipſum ; alioquin, dormiente Petro, nullum eſſet tempus ; &, cùm eò plures formalitates deprehenduntur in objecto, quò attentio major eſt, ſequeretur etiam formalitates non eſſe, niſi attentionem animæ, & hanc attentionem datam, ut adſit veritas, eſſe fontem præcipuum erroris.

Quotuplex eſt Duratio.

Duratio, vel eſt infinita, vel eſt finita, vel eſt finita ſimul & infinita.

Duratio infinita tantùm ea eſt, quæ neque agnoſcit principium neque finem, & eſt duratio Dei, quæ dicitur æternitas.

Duratio finita ſimul & infinita, eſt ea quæ agnoſcit principium, non finem ; dicitur ergo finita à parte antè, & infinita à parte poſt : talis eſt duratio Angelorum, quæ uno nomine dicitur ævum.

Duratio finita tantùm eſt ea, quæ agnoſcit principium & finem, qualis eſt duratio corporum quæ oriuntur & pereunt : uno nomine dicitur tempus.

Tempus eſt ſucceſſivum realiter, non

quidem eo ſenſu quòd ſit res, ſed eo ſenſu quòd habeat partes ſeparabiles, nec ſecum neceſſariò connexas; nam perpetuò deſinere poteſt : talis eſt duratio illorum entium, quæ oriuntur & pereunt.

Duratio Angelorum & animæ rationalis eſt etiam duratio realiter ſucceſſiva eodem ſenſu; licèt enim ejus partes non debeant ſeparari, ſeparari tamen poſſunt, nec ſunt neceſſariò connexæ.

Dices : duratio infinita à parte poſt partes habet inſeparabiles, & neceſſariò connexas : atqui duratio Angelorum eſt infinita à parte poſt; ergo duratio Angelorum partes habet inſeparabiles, proindeque non eſt realiter ſucceſſiva, etiam hoc ſenſu.

Diſtinguo majorem : duratio infinita eſſentialiter à parte poſt, concedo : infinita contingenter à parte poſt, nego : porrò duratio Angelorum eſt infinita per accidens à parte poſt; non eſt autem infinita eſſentialiter, quia habet partes connexas à Deo conſervante; eatenùs enim in infinitum durabunt Angeli, quatenùs Deus liberrimè conſervabit eos; ergo duratio Angelorum eſt eo ſenſu ſucceſſiva realiter.

PRIMA PROPOSITIO.

Duratio infinita non eſt à Deo independens.

Probatur : nam quod eſt ipſa æternitas,

ſive modificatio divinæ ſubſtantiæ durantis, illud non eſt ab ipſo Deo independens: atqui duratio infinita eſt ipſa æternitas, & modificatio divinæ ſubſtantiæ durantis; nam illud eſt ipſa æternitas, quod habet omnes æternitatis proprietates: atqui duratio infinita omnes habet æternitatis divinæ proprietates; videlicet concipitur, nec poſſe produci, nec poſſe deſtrui; concipitur non poſſe transferri in aliud tempus, vel priùs, vel poſteriùs: concipitur quòd nihil poſſit addi ipſi, nihil ab ipsâ detrahi; nimirùm, quidquid faciat anima noſtra, neceſſe eſt ut illa concipiatur duratio: hinc, ſi ſupponamus res omnes creatas deſtrui, non ideò deſtruitur duratio: patet, quia aliquantò poſt Deus poſſet res illas reproducere, & ſecundò creare; patet etiam, quia poſſet aſſignari majus vel minus intervallum inter deſtructionem rerum creatarum & ſecundam creationem; ergo hæc duratio eſt ipſa divina æternitas, proindeque non eſt ab ipſo Deo independens.

Dices: duratio, quæcùmque ſit, non eſt tota ſimul: ſed æternitas eſt tota ſimul; ergo hæc duratio non eſt æternitas.

Nego minorem: nam ſubſtantia divina eſt quidem tota ſimul pro quovis inſtanti; ſed ipſa æternitas non eſt tota ſimul, ut modò demonſtrabitur.

Probo minorem: perfectio eſt tota ſimul

in Deo : atqui æternitas eſt perfectio Dei; ergo æternitas eſt tota ſimul in Deo.

Diſtinguo majorem : perfectio quæ de ſe ſucceſſiva non eſt, concedo : quæ de ſe ſucceſſiva eſt, nego : porrò æternitas eſt perfectio Dei : ſed iſta perfectio de ſe ſucceſſiva eſt, ut poſteà videbitur; proindeque non debet eſſe in Deo tota ſimul; quippe eſt de ratione hujuſce perfectionis, quòd non ſit tota ſimul.

SECUNDA PROPOSITIO.

Dei æternitas differt poſitivè modaliter à ſubſtantiâ Dei.

Probatur : nam diverſimodè concipiuntur, æternitas tanquam ratio, Deus autem tanquam res; ergo, &c.

TERTIA PROPOSITIO.

Dei æternitas eſt ſucceſſiva.

Probatur : nam æternitas nihil aliud eſt quàm duratio infinita, tum à parte antè, tum à parte poſt : atqui duratio infinita eſt ſucceſſiva; nam ad hoc ſatis eſt quòd duratio *ut ſic* dicat in ideâ ſuâ poſitionem partium durationis extrà partes durationis, & ratio infiniti contrahens durationem *ut ſic*, non excludat à duratione *ut ſic* pluralitatem illarum partium : atqui poſitio par-

tium durationis extrà partes durationis eſt in ideâ durationis *ut ſic*, & ratio infiniti, contrahens durationem *ut ſic*, non excludit à duratione *ut ſic* pluralitatem illarum partium.

Primò quidem, poſitio partium durationis extrà partes durationis reperitur in ideâ durationis *ut ſic* : nam, cùm duratio *ut ſic* ſit quantitatis ſpecies, & quantitas ſit amplitudo entis & copia, certè duratio *ut ſic* dicit plures partes; cùmque hæc ſpecies differat ab aliis, certè partes illæ debent poni extrà ſe invicem, ut differat ab intenſione, debent poni ſucceſſivè, ut differat à magnitudine, ſive extenſione locali, in cujus ideâ reperitur poſitio partium permanentium extrà partes permanentes; ergo duratio *ut ſic* eſt poſitio partium durationis extrà partes durationis.

Deinde verò ratio infiniti contrahens durationem *ut ſic* non excludit à duratione *ut ſic* pluralitatem illarum partium: nam differentia contrahens genus non excludit à genere quod eſt in ejus ideâ; v. g. ratio circuli contrahens figuram, non excludit à ratione figuræ quod eſt in ideâ figuræ; rationalitas contrahens animal non excludit ab animali quod eſt in ideâ animalis: atqui ratio infiniti eſt differentiâ quædam contrahens durationem *ut ſic* ad hoc, ut ſit talis duratio, quæ differat ab aliis dura-

tionibus, nempe à durationibus entium creatorum; ergo ratio infiniti non excludit à duratione *ut ſic* pluralitatem illarum partium; imò addit durationi *ut ſic* quod in ideâ infiniti includitur, ſcilicet infinitam pluralitatem præſentium, præteritorum & futurorum; proindeque duratio infinita eſt ſucceſſiva, & conſequenter æternitas.

Et certè illa duratio ſucceſſiva eſt, quæ talis concipitur; quidquid enim concipitur, illud eſt certiſſimum: atqui æternitas concipitur ſucceſſiva; hinc adverſarii vulgò admittunt antè mundum conditum tempora imaginaria, admittunt partes virtuales in æternitate; ergo æternitas eſt ſucceſſiva.

Præterea, ſi æternitas foret tota ſimul, & non eſſet ſucceſſiva, nihil ratione æternitatis eſſet reverà præteritum aut futurum, ut rectè inferunt Thomiſtæ: atqui abſurdum eſt quòd in æternitate nihil ſit præteritum, nihil futurum, quòd verè Deus creet mundum, quem creavit in principio, quòd Chriſtus verè judicet vivos & mortuos, quos venturus eſt judicare; hæc enim à nemine intelliguntur, & tamen neceſſariò admitti debent, ſi æternitas non ſit ſucceſſiva; ergo ſucceſſiva dici debet.

Denique, ſi æternitas non eſſet ſucceſſiva, non eſſet in Deo præſcientia, aut prædeſtinatio; nam præſcientia & prædeſtinatio ſunt de futuris: non forent autem futura;

ergo nec foret præſcientia, nec prædeſtinatio in Deo: atqui hæc attributa in Scripturis, & apud SS. Patres Deo tribuuntur; ergo æternitas Dei eſt verè ſucceſſiva.

Dices: æternitas juxtà Boëtium eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio; ergo æternitas eſt tota ſimul, nec eſt ſucceſſiva.

Diſtinguo antecedens: ità ut hæ voces *tota ſimul* reſpiciant ſubſtantiam divinam, quæ tota eſt pro quovis inſtanti, concedo: ità ut reſpiciant durationem ipſam, nego: ergo &c. nego conſequentiam: unde retineri poteſt definitio Boëtiana, ità tamen ut hæ voces *tota ſimul* cadant in ipſam ſubſtantiam Dei, non autem in durationem; quapropter æternitas accuratiùs forſan definiretur *interminabilis vitæ, totiuſque ſimul perfectæ poſſeſſio.*

At, inquies: quid reſpondes Damiano, Gregorio Magno, & aliis pluribus Patribus?

Fatebor ingenuè nonnullos Patres adverſari nobis: quanquam, ſi propiùs inſpiciamus, videbimus ipſos negaſſe ſucceſſionem in ſubſtantiâ, non verò in duratione: ſed, utut eſt, ſtant pro nobis alii plures.

QUARTA PROPOSITIO.

Æternitas non eſt ſucceſſiva realiter, ſed tantùm formaliter.

Probatur : nam illa duratio non eſt realiter, ſed formaliter tantùm ſucceſſiva, cujus partes non ſunt ſeparabiles : atqui partes æternitatis non ſunt ſeparabiles; imò neceſſariò connexæ ſibi ſuccedunt eſſentialiter; ergo æternitas non eſt ſucceſſiva realiter, ſed eſt tantùm formaliter.

COROLLARIUM.

Ergo antè mundum conditum extitit duratio poſitiva, non imaginaria tantùm, ut quidam docent; nam antè mundum conditum erat duratio Dei, quâ ipſe permanet in eſſe ſuo, & poſt deſtructionem mundi intelligitur eadem duratio : porrò duratio Dei non eſt imaginaria tantùm, ſed poſitiva; ergo antè mundum conditum erat duratio poſitiva.

Et certè notio durationis infinitæ tam facilis eſt, tam clara, tam perfecta, ut duratio intelligi non poſſit, quin ſubitò concipiatur infinita; nam, ſtatim atque durationem intelligis, ſi terminum ponas, ſtatim antè & poſt concipis : v. g. ſi horam intelligas, ſi menſem, ſi annum, ſi ſæculum, &c. ſemper concipitur antè & poſt; unde concipitur repugnare terminum in duratione, quin concipiatur alia duratio; ergo datur duratio infinita, æterna, neceſſaria, quæ præcedit omnia tèmpora,

quæ ab omnibus creatis eſt independens, ut jam probatum eſt, ex eo quòd, ſi deſtrueretur mundus univerſus, poſſet à Deo poſt aliquod intervallum reproduci; ergo foret aliqua duratio inter annihilationem & reproductionem: illa duratio neceſſaria foret; non foret alicujus creati, quia nullum exiſteret creatum; ergo foret ſubſtantiæ neceſſariæ, infinitæ, æternæ; igitur debet rai hæc duratio.

De Infinitate Dei.

Infinitum dixêre quidam id cui nihil deeſt: ſed iſta definitio non eſt infiniti, eſt totius & perfecti.

Infinitum definitur id quod non habet extremitatem & limites: v. g. linea, quæ non haberet extremitatem, diceretur infinita.

Duplex diſtinguitur à Philoſophis; aliud Categorematicum, aliud Syncategorematicum.

Categorematicum dicitur illud quod de facto continet partes infinitas actu; putà ſi daretur linea conſtans actu pedibus innumeris.

Syncategorematicum illud dicitur, quod non habet partes infinitas actu, ſed tantùm poteſtate, quia poteſt creſcere finitè in infinitum; ità ut nullus poſſit aſſignari finis incrementi, v. g. motus poteſt augeri in lapide finitè in infinitum, & minui.

1°. Deus eſt abſolutè infinitus in omni genere perfectionis; nam ex dictis eſt ſubſtantia neceſſaria, & quæcumque in ipſo ponuntur perfectiones; concipiuntur aliæ ultrà poſſibiles; in neceſſariis autem exiſtere conjunctum eſt infallibiliter cum eſſe poſſe.

2°. Nulla creatura eſt, aut eſſe poteſt infinita in omni genere perfectionis; cùm enim ſit ſubſtantia contingens, ac proinde ſuum eſſe habeat ab alio, certè in ſuis perfectionibus limitatur.

Supponimus hîc quod jam probatum eſt, dari infinitum actu in magnitudine, ſed increatum, putà infinitam immenſitatem; dari etiam infinitum actu in duratione, ſed increatum, putà divinam æternitatem.

Difficultas igitur eſt, utrùm dari poſſit ens creatum, quod ſit infinitum actu in numero, magnitudine & duratione : entia creata non ſunt profectò infinita actu in duratione à parte antè, quia fides & ratio volunt omnia creata habuiſſe initium : quæſtio utrùm potuerint eſſe ab æterno tractabitur in Phyſicâ; ergo difficultas ſupereſt de numero & magnitudine.

Vulgaris eſt Philoſophorum opinio non poſſe dari aliquod ens actu creatum, quod ſit infinitum actu, in numero & magnitudine : contrà ſit

PROPOSITIO.

Præterquàm quod demonſtrabo in Phyſicâ exiſtere actu, & de facto numerum infinitum actu in extenſione & extenſo; jam id unum dico nullâ ratione demonſtrari poſſe infinitum actu creatum, tum in magnitudine, tum in numero, eſſe impoſſibile, quia nulla omninò poteſt afferri repugnantia; quod ut pateat, rationes quibus utuntur adverſarii adduco, & ipſis facio ſatis.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. Creaturæ, ut creatura eſt, repugnat infinitudo; ergo, &c.

Diſtinguo antecedens: infinitudo arguens perfectionem, quæ non poſſit conciliari cum eſſentiâ creaturæ, concedo: quæ poſſit conciliari, nego.

Itaque omnis infinitudo non arguit perfectionem in re infinitâ: v. g. infinitudo in numero; nam, ſi infinitudo in numero argueret perfectionem, deberent eſſe in divinis infinitæ perſonæ, non tres: ſed de fide eſt quòd ſint tantùm tres perſonæ; ergo infinitudo in numero non arguit perfectionem in re infinitâ numero; arguit quidem perfectionem in causâ, quæ produxit infinitum actu numero; cùm infinitam fecunditatem potentiæ producentis

arguat, quæ numero infinito exhauriri non poſſit.

Objicies 2°. Ità ſe habet infinitudo ad Deum, quomodò ſe habet finitudo ad creaturam: atqui finitudo nullatenùs poteſt competere Deo; ergo nec infinitudo creaturæ.

1°. Retorqueo argumentum, & quidem feliciùs pro nobis: ſe habet infinitudo ad Deum, quo modo ſe habet finitudo ad creaturam: atqui finitudo in numero non tantùm poteſt competere Deo; imò competit; eſt enim unus numero Deus, nec ſunt infiniti Dii; ſunt tres tantùm perſonæ, non infinitæ numero; ergo infinitudo in numero non tantùm poteſt competere creaturæ; imò competit.

Syllogiſmus eſt in formâ: major eſt, ex adverſariis: minor de fide; judicent de conſequentiâ.

2°. Major ſic debet intelligi: ità ſe habet infinitudo in perfectione ad Deum, quomodò ſe habet finitudo in perfectione ad creaturam; quia infinitudo in perfectione benè conciliatur cum eſſentiâ Dei, à quâ fluit: non poteſt autem conciliari cum eſſentiâ ſubſtantiæ creatæ; quippe, cùm ſit contingens & limitata, nunquam infinitas habere poteſt perfectiones: porrò nullatenùs finitudo in perfectione poteſt Deo competere, ſed finitudo in numero competere poteſt; proindeque nec infinitudo in nu-

mero poterit competere creaturæ : at nihil impedit quominùs infinitudo in numero & magnitudine competat creaturæ : ſcilicet illa infinitudo nullam arguit in creaturâ perfectionem, ſed potiùs in Creatore; arguit enim infinitam fecunditatem in causâ productrice.

Objicies 3°. Omnis numerus eſt numerabilis : ſed numerus infinitus non eſt numerabilis; ergo, &c.

Diſtinguo majorem : finitus, concedo : infinitus, nego : itaque, cùm numerus omnis dicitur numerabilis, loquimur de finito; ſicut cùm dicitur par vel impar, quia numerus eſt multitudo plurium unitatum : porrò neceſſe non eſt ut illa multitudo certis contineatur limitibus.

Objicies 4°. Ille numerus non eſt infinitus, quo dato, poteſt dari major : atqui, dato numero quovis, poteſt dari major : v. g. dentur infiniti homines, erunt plures manus quàm homines, plures digiti quàm manus; dentur infinitæ exapedæ, erunt plures pedes quàm exapedæ.

Nego minorem : nam adverſarii fatentur eſſe poſſibiles infinitos homines; nec tamen plures manus ſunt poſſibiles quàm homines, plures digiti quàm manus; quia nimirùm nec in hominibus poſſibilibus, neque in manibus, neque in digitis numerandis poteſt inveniri finis : porrò quoties in rebus

numerandis nullus invenitur finis, toties unius multitudo dici non poteſt major alterius multitudine, nec minor, ſive res illæ conſiderentur ut poſſibiles, ſive conſiderentur ut exiſtentes.

Itaque, poſito quòd exiſtant infiniti actu homines, non erunt plures manus quàm homines, licèt quilibet homo habeat duas manus, quia plùs & minùs non inveniuntur in numeris ad ſe comparatis, niſi finiti ſint illi numeri; quemadmodum nec in numeris infinitis invenitur ratio medietatis, dupli, tripli, &c. paris, imparis; abſurdum enim eſt hujuſmodi rationes quærere, niſi in numeris finitis: patebit iſtud ex eo, quòd, licèt ab Orbe condito ad hæc uſque tempora extiterit ingens hominum multitudo, dici non poſſit qualis ſit pars hominum poſſibilium: hæc multitudo, an centeſima, an milleſima, &c. nec etiam dici poſſit imminutum fuiſſe numerum hominum poſſibilium, quia ſpectatur ut infinitus.

Prætereà idem patet ex eo, quòd dici non poſſit quot ſint in æternitate partes effluxæ, quot ſuperſint excurrendæ: imò, licèt infinitæ tranſierint partes, numerus tranſeundarum non eſt imminutus, nec pars æternitatis dupla, tripla, quadrupla, &c. effluxit; ac proinde rationes iſtæ, plus, minùs, tot, quot, par, impar, duplum, quadruplum, &c. non habent locum in numero infinito.

Inſtabis : Deus producat infinitos homines : ſinguli nummum projiciant in cumulum : vel ſinguli poterunt centum nummos deſumere, vel non poterunt : non poterunt centum, quia unuſquiſque poſuit tantùm unum nummum; poſſunt tamen, quia numerus infinitus exhauriri non poteſt.

Reſpondeo quòd, ſi ſinguli unicum numerum ſemel acciperent, exhaurirerur numerus nummorum; ſed ſi velint, non modò centum, ſed decies centena millia, quin & infinitos milliones poſſunt accipere, quia in infinito ſunt infinitæ unitates, infinitæ dualitates, triades, &c. ſicut ex infinitis horis reſultant infiniti dies, hebdomadæ, menſes, anni, ſæcula & ſæculorum millia : itaque plures horæ non ſunt elapſæ in æternitate quàm ſæcula, licèt ſæculum contineat plures horas.

Urgebis : hoc poſito, tot eſſent milliones nummorum, quot ſunt nummorum unitates; tot eſſent ſæcula præterita in æternitate, quot anni, tot anni, quot menſes, &c. abſurdum conſequens, ergo & antecedens.

Nego ſequelam majoris : licèt enim non ſint plures nummorum unitates quàm milliones in infinito; licèt non ſint plures horæ elapſæ in æternitate quàm ſæcula, tamen minùs accuratè dicitur tot eſſe, quot; nam voces illæ *tot*, *quot* minùs accuratè dicuntur de infinito; id duntaxat dici poteſt de

numeris infinitis ad ſe invicem comparatis, unum non habere aliquid determinabile excedens alterum : ſic multitudo annorum poſſibilium nihil habet determinabile excedens multitudinem dierum poſſibilium : pariter etiam multitudo hominum poſſibilium nihil habet per quod excedat multitudinem nummorum infinitam, & vice versâ multitudo nummorum infinita nihil haberet, per quod excederet multitudinem hominum poſſibilium, nec plures eſſent nummorum unitates quàm millia, nec plura millia quàm milliones; ſicut non ſunt plures horæ poſſibiles quàm dies, nec plures dies quàm anni; quod ità facilè quiſque concipit, ut ſi mihi proponeretur : vives per infinita ſæcula, ſi velis dare unum denarium : at, ſi nolis, vives duntaxat per infinitas horas; riderem ſanè hominem, & ne unam quidem aciculam darem proponenti, quia duratio per infinita ſæcula longior non eſt duratione per infinitas horas, ut patet ex eo, quòd infinitæ præterierint horæ in æternitate, infinita & jam præterierint ſæcula, nec tamen ſint plures horæ elapſæ quàm ſæcula.

Urgebis : ſinguli non poſſunt plures deſumere nummos, quàm poſuerunt : ſed unuſquiſque unum tantùm poſuit nummum; ergo ſinguli non poſſunt plùs deſumere quàm unum nummum.

Diſtinguo majorem : non poſſunt plùs deſumere quàm poſuerunt, ſi exceſſus comparetur ad totam collectionem, id eſt, unuſquiſque non poteſt plus deſumere quàm ſit in totâ collectione, concedo : ſi exceſſus comparetur ad portionem nummorum diſtributivè ſumptam, nego : etenim unuſquiſque poteſt deſumere tot quot voluerit ex totâ illâ collectione, in quâ ſunt infinitæ nummorum unitates, infinitæ dualitates, infinita millia, infiniti milliones, &c. atqui in illâ collectione ſunt infinitæ unitates, dualitates, infinita millia; ergo, &c.

Hoc autem à veriſimili abhorrere non poteſt : ſcilicet non eſt major, ut diximus, duratio ſæculorum infinitorum quàm duratio annorum infinitorum; tamen, ſi diſtributivè comparetur annus ad ſæculum, non eſt niſi centeſima pars ſæculi; ergo, licèt unum diſtributivè ſumptum non commenſuretur alteri, tamen collectio infinita unius adæquat collectionem infinitam alterius.

Objicies 6°. Omnis magnitudo figuram habet : atqui infinita magnitudo nullius eſt figuræ; ergo repugnat infinita magnitudo.

Diſtinguo majorem : omnis magnitudo finita, concedo : infinita, nego : concedo minorem, & nego conſequentiam : illud enim non repugnat quod concipitur : atqui magnitudo infinita concipitur : quippe, cùm

cogito de ſpatio, non cognoſco limites; & ſi quos poſueris, ſpatium extrà illos concipio; ergo magnitudo infinita concipitur; proindeque non repugnat, imò exiſtit.

Objicies 7°. In magnitudine infinitâ ſupponatur iter infinitum, Deus in ſingulis leucis unum hominem producat, poſteà homines illi ad ſe invicem junctis manibus accedant; tunc vel totum iter occupabit hominum multitudo, vel non: ſed neutrum dici poteſt; non primum, quia, cùm inter ſingulos homines ſingulæ ſint leucæ, ſi ad ſe invicem accedentes totum iter occuparent, neceſſe foret ut majus ſpatium occuparetur ab iis quàm priùs; alterum etiam dici non poteſt, quia, cùm ſint infiniti homines, neceſſe eſt ut totum occupetur ſpatium; ergo abſurdè proponitur magnitudo infinita.

Nego minorem: & dico homines productos in ſingulis leucis juxtà iter infinitum, accedentes ad ſe invicem, totum iter occupaturos; quod, quàm ſit certiſſimum colliget qui rationem infiniti habuerit perſpectam; enimverò illi homines infiniti ſpatium implent infinitum; neque præctereà dici poteſt ſingulos homines majus ſpatium occupaturos quàm priùs; ſiquidem ſpatium illud, vel ſumitur diſtributivè, vel collectivè, hoc eſt, partialiter, vel totaliter: ſi ſpatium & homines ſumantur partialiter,

tunc omnes homines juxtà ſe poſiti, idem ſpatium occupant quod ſejuncti; ſi verò ſpatium & homines ſumantur totaliter, tunc, quia induunt rationem infiniti, eorum unum non eſt majus alio, ſicque tota hominum collectio occupabit totum iter; videlicet comparemus infinitos homines ad infinitas leucas, ut infinitas horas ad infinitos dies, &c. ſanè non eſt major duratio infinitorum dierum quàm infinitarum horarum; ſive, ut accuratiùs loquar, duratio infinitorum annorum nihil habet determinabile excedens durationem infinitarum horarum : attamen quilibet annus diſtributivè ſumptus habet aliquid excedens horam diſtributivè ſumptam; ſic pariter quævis leuca habet aliquid ratione extenſionis excedens hominem diſtributivè ſumptum : at infinitæ leucæ nihil habent determinabile, per quod excedant ratione extenſionis infinitos homines.

Objicies 8°. Deus producat filum infinitè longum, filum deinde in globum compingat; globus iſte, vel totam immenſitatem occupabit, vel non : primum dici non poteſt, quia ſequeretur filum occupaturum ſpatium ſe-ipſo majus; non ſecundum, quia infinitum non eſſet, & ejus magnitudo alicubi terminaretur, ſi totam immenſitatem non occcuparet.

Admitto hypoteſim quoad omnia, hoc

excepto, quòd ex filo involuto efficiatur globus: quo poſito, dico filum involutum occupaturum totam Dei immenſitatem, quia ex infinitâ fili longitudine æquè fieri poteſt infinita ſuperficies, infinitum ſolidum; nam quantitas infinita alteri infinitæ ità poteſt comparari, ut nunquam inter eas inveniatur, vel poſitivus defectus, vel exceſſus; ſic ſuprà oſtendimus infinitos dies non efficere durationem majorem duratione quæ ex infinitis horis conficeretur, licèt quivis annorum numerus durationem efficiat majorem eâ duratione quæ fieret ex pari horarum numero.

Ad illud, filum tunc occupaturum majus ſpatium ſeipſo, reſpondeo negando: enimverò, ſi ſupponamus in immenſitate ſpatium aliquod infinitè longum, putà conſtans ex infinitis partibus quæ ſingulæ ſint unius pedis cubici; certè ſpatium illud eſt ejuſdem extenſionis cum immenſitate divinâ; eſt enim infinita latitudo, infinita profunditas, ut eſt infinita longitudo; ſcilicet ideò eſt infinita longitudo, quia ſunt infinitæ partes, quæ ſingulæ pedem æquant ratione longitudinis: atqui pariter ſunt infinitæ partes, quæ ſingulæ pedem æquant ratione latitudinis & profunditatis; ergo erit infinita latitudo, erit infinita profunditas, ut eſt infinita longitudo; ergo filum poterit occupare totam immenſitatem.

Inſtabis : omne totum majus eſt ſuâ parte: ſed immenſitas totum eſt, & ſpatium, quod ſupponitur, non eſt niſi pars; ergo non eſt ſpatium illud ejuſdem extenſionis cum immenſitate.

Nego ſecundam partem minoris : nam ſicut duratio unius horæ in infinitum multiplicatæ non eſt pars aliqua infinitorum ſæculorum, aut totius æternitatis, licèt hora ſit pars ſæculi ; ità volumen illud unius pedis, tum ratione longitudinis, tum ratione latitudinis, tum ratione profunditatis, in infinitum multiplicati, non eſt pars ipſius immenſitatis, licèt latitudo pedis, profunditas pedis, ſit pars majoris quantitatis.

Hoc fallit adverſarios, quòd de infinito loqui velint ſicut de finito, nec ſatis advertant eſſe in numero infinito, infinitas unitates, dualitates, triades; imò eſſe infinitas infinitates; infinitudinem unitatum non eſſe partem infinitatis dualitatum; & infinitatem dualitatum, aut alterius numeri excogitabilis, non eſſe partem infinitudinis infinitudinum.

Sunt qui poſſibilitatem infiniti actu creati perſuadere volunt & demonſtrare : ſed plerumque iis utuntur argumentis, quæ certè facilè ſolvi poſſunt : id à nobis tentabitur in Phyſicâ.

De

De Intellectu divino.

Poſtquàm tractatum fuit de illis attributis, quæ ſe habent ut modi intrinſeci, modificantes ſubſtantiam divinam, agendum nobis eſt de ipſis facultatibus, quibus ſui reſpondent habitus & actus.

Tres admittunt in Deo facultates cum Theologis Philoſophi; nimirùm intellectum, voluntatem & omnipotentiam: docent intellectui reſpondere ſcientiam tanquam habitum, cognitionem verò tanquam actum.

Intellectum definiunt facultatem, quâ Deus cognoſcit: duplicem autem, vel triplicem ſcientiam admittunt, aliam ſimplicis intelligentiæ, aliam viſionis, aliam ſcientiam mediam.

Scientia ſimplicis intelligentiæ, inquiunt, eſt ea quâ Deus cognoſcit res omnes poſſibiles: hæc autem dicitur à Thomiſtis cauſa rerum in actu primo, ſeu cauſa poſſibilium.

Scientia viſionis dicitur ea quâ Deus cognoſcit entia abſolutè futura, & à Thomiſtis aſſignatur tanquam cauſa futuritionis.

Scientia media definitur ea quâ Deus cognoſcit futura conditionatè: porrò conditio, vel eſt ponenda dependenter à decreto Dei, vel eſt ponenda dependenter à voluntate creatâ tanquam primo determinante.

Jam cognitio Dei, vel eſt comprehenſio, vel eſt judicium.

Comprehenſio eſt adæquata objecti repræſentatio, id eſt, omnium & ſingularum formalitatum in objecto exiſtentium.

Judicium Dei eſt actio quædam, quâ Deus verè, certò & evidenter judicat de objecto; Deus enim infallibilis eſt in omnibus ſuis judiciis.

Quanquam judicium Dei aliquando id unum affirmat quod eſt in comprehenſione, qualia ſunt omnia judicia, quæ exprimuntur propoſitionibus, quæ verſantur in materiâ neceſſariâ; judicium Dei aliquando plus dicit quàm id quod eſt in repræſentatione, qualia ſunt judicia omnia, quæ exprimuntur propoſitionibus, quæ ſunt in materiâ contingenti.

His poſitis, noſtram ſequentibus opinionem proponemus; ſit itaque

PRIMA PROPOSITIO.

Deus, hoc ipſo quo Deus eſt, omnia comprehendit.

Probatur: nam Deus, hoc ipſo quo Deus eſt, habet omnes perfectiones: atqui quòd Deus comprehendat omnia, perfectio eſt; nam perfectio ex S. Anſelmo, *melior eſt ipſa quàm non ipſa*: atqui melius eſt Deo comprehendere omnia quàm non comprehendere;

quippe, ſi quid ipſum lateret, poſſet errare, ergo perfectio eſt quòd omnia comprehendat; proindeque Deus, hoc ipſo quo Deus eſt, comprehendit omnia.

SECUNDA PROPOSITIO.

Deus, hoc ipſo quo Deus eſt, habet omnia judicia, quæ id unum dicunt quod eſt in comprehenſione ſuâ.

Probatur: nam ad hoc ſatis eſt quòd Deus omnia comprehendat, hoc ipſo quo Deus eſt, & quòd non poſſit non judicare de his omnibus, quæ comprehendit: atqui ex præcedenti concluſione Deus omnia comprehendit, hoc ipſo quo Deus eſt, atque non poteſt non judicare de his omnibus quæ comprehendit; enimverò, poſitâ objecti alicujus repræſentatione, non poſſumus non firmiter aſſentiri repræſentationi, & dicere de objecto, quod repræſentatur, & eſt in ideâ objecti; ergo, &c.

TERTIA PROPOSITIO.

Deus, hoc ipſo quo Deus eſt, non habet illa judicia, quæ plus dicunt quàm id quod eſt in comprehenſione.

Probatur: nam illa judicia ea ſunt quæ exprimuntur propoſitionibus in materiâ contingenti, v. g. *Petrus leget*: atqui Deus,

hoc ipſo quo Deus eſt, non habet illa judicia; nam judicia, quæ habet quatenùs contingens futurum eſt, vel præſens, vel præteritum, non habentur à Deo, hoc ipſo quo Deus eſt: atqui hæc judicia Deus habet, quatenùs contingens futurum eſt, vel præſens, vel præteritum; ergo, &c.

Et certè Deus, hoc ipſo quo Deus eſt, non habet judicia, atqui Deus potuit non habere illa judicia, v. g. judicium illud *Petrus curret*; nam eatenùs habet illa judicia, quatenùs liberè decrevit ab æterno, fore ut Petrus in tempore curreret: atqui hoc potuit non decernere; ergo potuit non habere illa judicia, quamobrem illa judicia non ſunt in Deo perfectiones; nam, præter quam quòd non eſt melius Deo judicare futurum, ut Petrus aliquando currat, Deus, hoc ipſo quo Deus eſt, non poteſt non habere omnes ſuas perfectiones: atqui ex antedictis potuit non habere illa judicia; ergo illa judicia non ſunt perfectiones.

QUARTA PROPOSITIO.

Ideæ Dei pro diverſitate objectorum diverſæ ſunt.

Probatur: vel enim ideæ diverſæ ſunt, vel idea trianguli eſt apud Deum idea circuli: abſurdum poſterius; ergo verum prius: eſt quidem in Deo idea totalis en-

tium omnium repræſentativa, ſed illa reſultat ex ideis partialibus diverſis, ut objectorum collectio reſultat ex diverſis objectis partialibus.

Ideæ divinæ præſupponunt objecta ſua; inde idea trianguli diverſa ab ideâ circuli, quia triangulus diverſus eſt à circulo; ideæ enim ſpeculationes ſunt, non effectiones.

QUINTA PROPOSITIO.

Ut Deus habeat illa judicia, quæ id unum dicunt quod eſt in ſuâ comprehenſione, nihil requiritur præter ipſam comprehenſionem.

Probatur: nam ad hoc ſatis eſt quòd propoſitiones, quibus illa judicia exprimuntur, ſint in ſemetipſis cognoſcibiles independenter ab ullo alio medio: atqui, &c. nec enim in illis propoſitionibus ſola ſubjecti poſſibilitas intelligitur, ſed unio formæ ſignificatæ per attributum cum ſubjecto deprehenditur: ſi propoſitio affirmet illam unionem, vel, ſi propoſitio affirmet præciſionem ſubjecti à formâ ſignificatâ per attributum, deprehenditur compoſſibilitas hujuſce formæ cum ſubjecto; vel denique, ſi propoſitio affirmet excluſionem formæ ſignificatæ per attributum, deprehenditur repugnantia hujuſce formæ cum ſubjecto; ergo, ut Deus habeat illa judicia,

quæ id unum dicunt quod eſt in repræſentatione, nullum aliud requiritur medium præter comprehenſionem ſuam.

SEXTA PROPOSITIO.

Ut Deus habeat illa judicia, quæ aliud dicunt quam id quod eſt in comprehenſione ſuâ, requiritur aliud medium præter comprehenſionem.

Probatur: nam illa judicia dicunt unionem formæ ſignificatæ per attributum cum ſubjecto, vel excluſionem; quæ quidem forma, nec eſt in ideâ ſubjecti, nec excluditur ab ideâ ſubjecti: atqui, ut habeantur illa judicia, quæ dicunt unionem, vel excluſionem formæ ſignificatæ per attributum, quæ quidem forma, nec eſt in ideâ ſubjecti, nec excluditur ab ideâ ſubjecti, requiritur medium aliud præter comprehenſionem; nam ad hoc ſatis eſt quòd comprehenſione non poſſit detegi unio talis formæ cum ſubjecto, aut excluſio à ſubjecto; quippe ex hypotheſi forma hæc, nec eſt in ideâ ſubjecti, nec excluditur ab ideâ ſubjecti; ergo, ut Deus habeat illa judicia, quæ aliud dicunt quam id quod eſt in comprehenſione, requiritur medium aliud præter comprehenſionem.

Itaque propoſitiones, quibus exprimuntur illa judicia, non ſunt in ſemetipſis intelli-

gibiles, & dicuntur per aliud notæ; quod quidem fatentur Theologi; inde quæſtio

Quodnam ſit medium, quo Deus judicet verè, certò ac evidenter de contingentibus.

Judicia de contingentibus, vel ſunt de præterito, vel ſunt de præſenti, vel ſunt de futuro: de præterito, ut *extitit Adamus*; de præſenti, ut *ſcribit Petrus*; de futuro, ut *Petrus diſputabit.*

De præſenti judicat ab actione, vel creante, vel conſervante, vel concurrente; ergo duntaxat difficultas de futuro.

Quidam volunt medium illud eſſe ipſam eſſentiam divinam, quæ tanquam ſpeculum repræſentet omnia etiam futura; ſic Ægidius Romanus.

Alii volunt medium illud eſſe propoſitiones determinatas de futuro contingenti, quæ veræ ſunt, vel falſæ determinatè; ſic Annatus.

Alii volunt res ipſas futuras, prout ſunt æternitati præſentes non modò objectivè, ſed & phyſicè; ſic rigidiores Thomiſtæ.

Alii volunt Deum verè, certò & evidenter judicare de futuris, quia ſuper-comprehendit entium creandorum Naturam; ſic Molina.

Cæteri volunt medium illud, quo judicat Deus evidenter contingentia eſſe futura,

etiam illa quæ pendent à noſtrâ libertate; non eſſe niſi decretum Dei, quod facit unionem futuri cum poſſibili, aut excluſionem à poſſibili : his poſitis, ſit

PRIMA PROPOSITIO.

Eſſentia divina non eſt medium ſufficiens, ut judicet Deus certò & evidenter de contingentibus futuris.

Probatur : nam medium ſufficiens, ut judicet Deus, debet facere unionem attributi contingentis cum ſubjecto, vel denotare : atqui eſſentia divina non facit unionem attributi contingentis cum ſubjecto, nec denotat; nam eſſentia divina in ſe præcisè eſt quid neceſſarium : porrò id quod facit unionem attributi contingentis cum ſubjecto, & id quod denotat, non debet eſſe quid neceſſarium, ſed eſſe debet quid contingens, aliàs unio neceſſaria foret, non contingens, quod eſt abſurdum; ergo, &c.

SECUNDA PROPOSITIO.

Propoſitiones ſingulares de futuro contingenti non ſunt medium ſufficiens, ut Deus judicet evidenter de contingenter futuris.

Probatur : nam illæ propoſitiones non ſunt medium ſufficiens, ut Deus judicet evidenter de contingenter futuris quæ non

ſunt in ſemetipſis intelligibiles, & per ſe notæ, ſed ſunt duntaxat notæ per aliud: atqui, &c. quia, cùm forma ſignificata per attributum, nec ſit in ideâ ſubjecti, nec excludatur ab ideâ ſubjecti, certè unio hujuſce formæ cum ſubjecto, aut excluſio à ſubjecto in ipsâ propoſitione, quantumvis conſideretur, deprehendi non poteſt, igitur, &c.

Dices: illæ propoſitiones ſunt medium ſufficiens, ut judicet Deus evidenter de futuris, quarum una eſt determinatè vera, & altera determinatè falſa: atqui propoſitionum ſingularium de futuro contingenti una eſt determinatè vera, altera determinatè falſa; ergo, &c.

Diſtinguo majorem: quarum una eſt determinatè vera, & altera determinatè falſa antecedenter ad decretum Dei & conſenſum creatæ voluntatis, concedo: conſequenter ad illud decretum & illum conſenſum, nego: porrò propoſitionum ſingularium de futuro contingenti una eſt determinatè vera, & altera determinatè falſa conſequenter ad decretum Dei & conſenſum creatæ voluntatis, non autem antecedenter; nam antecedenter ad decretum Dei & conſenſum creatæ voluntatis omnes illæ propoſitiones ſingulares de futuro contingenti ſunt determinatè falſæ; nam, nullâ habitâ ratione decreti divini & noſtri

conſensûs, abſtrahunt ſubjecta illarum propoſitionum à futuritione, & non futuritione; ſunt enim merè poſſibilia, & conſequenter omnes falſæ ſunt.

TERTIA PROPOSITIO.

Entia quatenùs præſentia phyſicè æternitati, non ſunt medium ſufficiens, ut Deus judicet evidenter de contingentibus futuris.

Probatur: nam ad hoc ſatis eſt quòd illa rerum præſentia phyſica æternitati fictitia ſit: atqui illa præſentia rerum æternitati phyſica fictitia eſt; nam in eo fundatur, quòd æternitas ſit tota ſimul, nec ſit ſucceſſivà: atqui hoc falſum eſt ex ante dictis; ergo, &c.

QUARTA PROPOSITIO.

Super-comprehenſio creaturarum non eſt medium ſufficiens, ut Deus judicet evidenter de futuris contingenter.

Probatur: nam licèt Deus comprehendat creaturam ſuam, poteſt tantùm in creaturâ deprehendere quod eſt in ideâ creaturæ: atqui ratio futuri, & non futuri non eſt in ideâ creaturæ; ſcilicet quidquid eſt in ideâ creaturæ, ſive entis, eſt eſſentiale huic enti: atqui futuritio non eſt eſſentialis creaturæ, nec etiam non futuritio; nam

creatura contingenter eſt futura, & contingenter eſt non futura; ergo Deus non judicat verè, certò & evidenter entia eſſe futura, non judicat infallibiliter eſſe non futura, quia ſuper-comprehendit creaturam ſuam.

Et verò quid ſibi volunt Auctores illi nomine ſuper-comprehenſionis? daturne aliqua repræſentatio comprehenſione perfectior? futilis ergo vox illa.

QUINTA PROPOSITIO.

Deus verè, certò & evidenter judicat entia contingentia eſſe futura, quia decrevit eorum futuritionem.

Probatur: nam, cùm forma ſignificata per attributum non eſt in ideâ ſubjecti, non poteſt dari judicium verum & infallibile affirmans unionem hujuſce formæ cum ſubjecto, niſi detur medium faciens unionem illam, vel ſaltem denotans infallibiliter: atqui futuritio non eſt in ideâ entis contingentis; ergo debet dari medium faciens unionem futuritionis cum ente contingenti, vel denotans infallibiliter: porrò medium illud reſpectu Dei non eſt niſi ipſum Dei decretum, ergo, &c.

COROLLARIA.

Itaque circà cognitionem divinam res ità ſe habet.

1°. Deus habet omnium entium repræſentationes. 2°. Sequuntur judicia, quia id unum dicunt quod eſt in repræſentatione, & hæc ſcientia dici poteſt ſimplicis intelligentiæ, quâ omnia eſſentialia à Deo comprehenduntur, & judicantur. 3°. Hâc poſitâ ſcientiâ, Deus pro ſuâ ſummâ libertate vult ex illis merè poſſibilibus aliqua eſſe futura, & aliqua eſſe non futura: porrò, cùm volitio Dei non ſit ſine intimo ſuî ſenſu, & cognoſcatur efficaciſſima, 4°. Judicat verè infallibiliter illa eſſe non futura; & hæc ſcientia dici poteſt ſcientia viſionis.

Hinc 1°. Nulla ſcientia Dei eſt cauſa poſſibilium, ut Thomiſtæ volunt, quia entia in ſeipſis poſſibilia ſunt; imò præſupponi debent tanquam objecta ad ideas divinas; proindeque ad ipſa judicia, quæ ideas conſequuntur.

2°. Scientia ſimplicis intelligentiæ eſt cauſa futuritionis, non quidem efficiens, ſed dirigens Deum in ſuis decretis; eſt enim ipſa ſapientia Dei; ideòque ſcientia viſionis non eſt cauſa futurorum, ut iidem Thomiſtæ contradictoriè loquuntur: quia,

3°. Decreta divina de futuris ſunt antecedenter ad judicia divina de futuris; ſunt

enim motiva illorum judiciorum : porrò hæc judicia, quorum decreta divina motiva ſunt, ſunt ipſa ſcientia viſionis.

4°. Non igitur res creabiles ideò futuræ ſunt, quia judicantur futuræ, ſed ideò futuræ judicantur à Deo, quia futuræ ſunt, ut ipſi Thomiſtæ fateri debent, ſi loqui velint conſequenter ad ſua principia; nam, ideò judicat Deus entia eſſe futura, quia decrevit : porrò, hoc ipſo quòd decreverit, futura ſunt; ergo, quemadmodum decretum præit huicce judicio, ità futuritio quam ſecum infallibiliter importat decretum; nec inde ſequitur quòd ſcientia Dei oriatur ab ipſis rebus creatis, quòd per ipſas menſuretur; ſcio quippe & Magiſtrum ſententiarum, & Angelicum Doctorem non permittere, ut ſcientia Dei excitetur ab iis quæ extrà Deum poſita ſunt, ſed id unum ſequitur, ipſam oriri à decreto, & inde trahere ſuam infallibilitatem; igitur,

5°. Scientia viſionis non eſt cauſa futurorum, vel dirigens; eſt tamen unà cum ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ cauſa præſentium dirigens Deum in ſuis operibus.

De Voluntate divinâ.

Divina voluntas eſt facultas altera, cui plures habitus reſpondent juſtitia, miſericordia, &c. reſpondet autem volitio tan-

quam actus : porrò volitio duplex eſt, alia neceſſaria, alia libera : volitio libera eſt ea quæ poteſt non eſſe ; volitio neceſſaria eſt ea quæ non poteſt non eſſe.

In Philoſophiâ morali probatur eſſe in Deo actiones voluntatis & neceſſarias, & liberas : v. g. amor, quo Deus ſeipſum diligit, neceſſarius eſt ; decretum, quo voluit futuritionem hujusce creaturæ potiùs quàm illius, liberum eſt.

Circà liberum Dei decretum quæritur 1°. Quomodò actus liber, & actus neceſſarius differant. 2°. An decretum ſit cauſa futurorum contingentium.

Quomodò actus Dei liber & neceſſarius, differant.

Non differunt re, quia non ſunt res & res.

Thomiſtæ volunt actus illos non differre intrinſecè, ſed extrinſecè tantùm, terminativè, connotativè & reſpectivè ad effectus, ſecundùm determinationem virtualem, quæ petatur ex connotato extrinſeca : alii alia dixerunt : ſit verò

PROPOSITIO.

Actus Dei liber & neceſſarius poſitivè formaliter differunt.

Probatur : nam ex omnibus diverſimodè concipiuntur : quæ verò, ut demonſtratum eſt, diverſimodè concipiuntur, ſunt poſitivè diverſa : formaliter quidem, ſi ſint formalitates ; actus verò liber & neceſſarius ſunt formalitates ; ergo, &c.

Hinc qui noſtram ſententiam tenent, dicunt id quod à ſe concipitur : ſed adverſarii aliud dicunt ; ſcilicet ab ideâ ſeu conceptu non habent actum liberum & actum neceſſarium eſſe poſitivè quid indiſtinctum ; cùm utriuſque diverſæ ſint ideæ, & diverſæ definitiones ; verba dicunt, & fatentur ſe non ſatis feliciter ſolvere difficultates, quæ proponi ſolent.

Nec eſt, quòd dicas decretum quidem connotativè, terminativè & extrinſecè ſumptum, poſſe non eſſe in Deo : ſed decretum ſumptum intrinſecè & principiativè non poſſe non eſſe in Deo, & idem eſſe cum actu neceſſario.

Nam hæc verba ſunt nihil declarantia ; nam quid ſibi volunt per decretum terminativè ſumptum, &c. per decretum ſumptum principiativè, &c. Si per decretum principiativè ſumptum intelligant ipſam facultatem decernendi, certè non poteſt non eſſe in Deo ; at de ipſâ non diſputatur : ſi per decretum ſumptum terminativè intelligant decreti terminum, ſeu id quod Deus decrevit ; certè non eſt in Deo, &, cùm

ſit contingens, poteſt non eſſe: at neque de termino diſputatur: quæſtio eſt de ipſo facultatis actu, qui nec cum facultate, nec cum termino confundi debet: quæſtio eſt, utrùm actus ille in ſe præcisè poſſit non eſſe in Deo; cui quæſtioni ſuis diſtinctiunculis, *principiativè*, *terminativè*, *entitativè*, *connotativè*, &c. non ſatisfaciunt.

Deinde quid eſt decretum illud connotativè ſumptum niſi ipſa connotatio decreti ad creaturas? porrò hæc connotatio ad creaturas poteſt non eſſe; ex quo ſic argumentor: quoties relatio contingens eſt, toties fundamentum ejus proximum eſt contingens, licèt remotum ſit neceſſarium: atqui connotatio contingens eſt; facultas ipſa decernendi eſt fundamentum remotum, decretum autem ipſum eſt fundamentum proximum; ergo facultas neceſſaria eſt, ipſum verò decretum contingens eſt.

Præterea illa connotatio in quo eſt? an in Deo? an in creaturâ? non poteſt eſſe in creaturâ, ſed eſt ad creaturam, quia relatio eſt in ſubjecto ad terminum, & non eſt in termino: atqui creatura terminus eſt, Deus autem ſubjectum; ergo hæc connotatio eſt in Deo; jam verò eſtne in Deo poſitivè? eſtne per mentem tantum? ſi ſit in Deo poſitivè; eſt igitur in eo aliquid quod poteſt non eſſe: ſi per mentem; ergo, primò concipitur aliquid Deo intrinſecum

quod poteſt non eſſe in ipſo : ſecundò, quis dicat virtualitatem, ſeu potiùs cogitationis figmentum, ut putant Thomiſtæ, eſſe cauſam futuritionis entium, & conſtituere naturam decreti liberi ?

Dices : ſi decretum poſſit non eſſe in Deo; ergo aliquid æternum in Deo poteſt non eſſe.

Diſtinguo conſequens : aliquid, quod perfectio non eſt, nec habet neceſſitatem exiſtendi, concedo : aliquid, quod perfectio ſit, & habeat neceſſitatem exiſtendi, nego.

Itaque, quòd Deus poſſit habere decreta, perfectio eſt; ſed quòd habeat hæc, vel illa, perfectio non eſt; nam non eſt Deo melius quòd ab æterno decretum tulerit de producendo mundo.

Inſtabis : decretum neceſſariò æternum eſt; ergo perfectio eſt, & habet neceſſitatem exiſtendi.

Diſtinguo antecedens : ex hypotheſi quòd ſit, neque enim Deus poteſt in tempore nova habere decreta, concedo : abſolutè, quaſi debuerit exiſtere, nego.

Utrùm decretum divinum ſit cauſa futuritionis contingentium.

Hæc quæſtio ſummâ animorum contentione agitata eſt à Theologis ex adverſo

pugnantibus, quaſi pro aris & focis, ſuperiore præſertim ſæculo : ex eâ pendet concordia liberi arbitrii cum divinâ ſcientiâ, cum decretis.

Si velimus nodum difficultatis ſolvere, audienda eſt Scriptura ſacra, audiendi Patres, præcipuè Auguſtinus ad cujus tribunal provocamus tanquam ad judicem conſtitutum ab Eccleſiâ Romanâ, in quantùm quotquot ipſum ſecuti ſunt Patres, & Epiſcoporum conventus, ipſius doctrinam amplexi ſunt, ut habet Petavius.

Ut opinio noſtra intelligatur.

1°. In contingenti tria ſpectanda ſunt, poſſibilitas, futuritio & exiſtentia : poſſibilitas neceſſaria eſt; futuritio & exiſtentia ſunt contingentes : quæritur à quo ſit futuritio : quæretur à quo ſit exiſtentia.

2°. Contingens aliud dicitur neceſſarium quoad operari, aliud liberum.

Neceſſarium quoad operari, illud eſt cujus actio tota eſt à diſpoſitionibus mechanicis, aut neceſſariò ſequitur diſpoſitiones mechanicas; ſic ignis dicitur neceſſarius quoad operari, quia tota ejus actio eſt à diſpoſitionibus mechanicis; ſic belluæ, in communi ſententiâ dicuntur neceſſariæ quoad operari, quia, quæcumque ſunt in ipſis functiones, ſequuntur neceſſariò diſpoſitiones mechanicas.

Liberum quoad operari illud eſt, cujus

actio naſcitur ex electione propter aliquam ſuperioritatem circà media, quâ fit, ut quædam aſſumantur, alia reſpuantur.

3°. Actio libera, vel eſt bona, vel eſt mala: bona conformis eſt rectæ rationi, mala verò difformis, dicitur peccatum.

4°. Peccatum ſumi poteſt duobus modis, vel materialiter, vel formaliter.

Peccatum materialiter ſumptum, materiale peccati, eſt ipſa actio, quæ mala eſt.

Peccatum formaliter ſumptum, formale peccati, eſt ipſa malitia, ſeu difformitas; ergo triplex difficultas.

Prima: à quo ſit futuritio actionis in ſubſtantiâ neceſſariâ quoad operari.

Secunda: à quo ſit futuritio actionis liberæ, bonæ.

Tertia: à quo ſit futuritio actionis liberæ, malæ.

Sic ego hâc in re ſum argumentatus: Deus ſolus habet in ſe exiſtendi neceſſitatem; idcò futuritio & exiſtentia non ſunt eſſentiales creaturis; ſunt ergo ab extrinſeco, putà à Deo, qui futuritionem decrevit Antichriſti, v. g. independenter ab Antichriſto, à Deo, qui exiſtentiam actualem faciet ſolus; creat enim nos ſine nobis, & nullus eſt ex parte rei creatæ concurſus.

Subſtantia creata duplex, corpus & ſpiritus; ſubſtantiæ corporeæ nulla eſt actio; eſt de ſe iners & otioſa: ſed Deus ab æterno

decrevit, ut produceret in corporibus certam quantitatem motûs communicandam juxtà certas leges aliquando exponendas: porrò ex illo decreto de producendo motu; ſic communicando, ſequitur futuritio actionis in corporibus, qui quidem motus ſemel productus effectum conſequitur.

Subſtantia ſpiritalis, vel eſt perceptionis capax, vel non eſt; ſi non ſit, nulla in ipsâ functio, quæ tota non ſit neceſſariò ex diſpoſitione partium corporis, cui unitur, ut patebit in belluis; ideò, cùm diſpoſitio mechanica futura ſit à motu futuro per decretum, futuritio actionis eſt à decreto.

Aliud exiſtimandum eſt de actione ſubſtantiæ, quæ perceptionis capax eſt: ſapientia Dei attingit omnia à fine uſque ad finem fortiter; id eſt, infallibiliter & ſuaviter; id eſt juxtà modum agendi peculiarem unicuique: porrò in ideâ ſubſtantiæ, quæ perceptionis eſt capax, reperitur potentia agendi cum ſuperioritate & independentiâ à mediis: verùm, quia non poteſt concipi actio cauſæ ſecundæ, niſi priùs intelligatur actio cauſæ primæ, ideò debet intelligi decretum divinum antecedens, quo Deus, v. g. decrevit, fore ut ſcriberem, poſſem non ſcribere, decrevit non eventurum ut non ſcriberem: quo poſito, jam ſcribo, poſſum non ſcribere, non evenit ut non ſcribam; atque, dum ſcribo, non ideò infunditur

mihi Thomiſtica qualitas præveniens, & ferrea manus, ut dicetur poſteà. Hæc omnia liceat jam ſyllogiſticâ ratione demonſtrare: ſit

PRIMA PROPOSITIO.

Futuritio actionis in ſubſtantiâ neceſſariâ quoad operari eſt à decreto.

Probatur: nam hæc ſubſtantia, vel eſt corpus ipſum, vel eſt ſpiritus minimè percipiens: atqui futuritio actionis, tum in corpore, tum in ſpiritu minimè percipiente, eſt à decreto Dei.

1°. Quidem futuritio actionis in corpore eſt à decreto; nam omnis actio, quæ eſt in corpore, v. g. in igne, eſt à motu; unde ſic argumentor: ſi motus ipſe non ſit futurus niſi à decreto, futuritio actionis in corpore eſt à decreto: atqui motus non eſt futurus niſi à decreto: nam quod non eſt exiſtens niſi à Deo producente, illud futurum non eſt niſi à Deo decernente: atqui motus non eſt exiſtens niſi à Deo producente, ut demonſtrabitur in Phyſicâ; ergo, &c.

Deinde futuritio actionis in ſpiritu qui non eſt perceptionis capax, oritur à decreto; nam hæc actio neceſſariò ſequitur diſpoſitiones mechanicas corporis, cui unitus eſt ſubſtantialiter ille ſpiritus: atqui futuritio actionis, quæ neceſſariò ſequitur diſpoſitiones mechanicas corporis, oritur à decreto;

nam ad hoc ſatis eſt quòd illæ diſpoſitiones futuræ ſint à decreto: verum conſequens; ergo & antecedens.

Objectionum Solutio.

Objicies. Futuritio actionis ſubſtantiæ, quæ habet naturam de ſe determinatam ad agendum, non eſt à decreto Dei: atqui ſubſtantia neceſſaria quoad operari naturam habet de ſe determinatam ad agendum; ergo, &c.

Nego majorem: nam 1°. Corpus non habet naturam de ſe determinatam ad agendum; quippe eſt quid merè iners & otioſum; ſi quieſcat, movebitur nunquam, niſi ab alio determinetur ad motum.

2°. Spiritus perceptionis incapax non habet naturam de ſe determinatam ad agendum independenter à decreto; quippe ejus actio neceſſariò ſequitur diſpoſitiones mechanicas corporis cui unitur; quæ quidem diſpoſitiones futuræ non ſunt, niſi per decretum: quamobrem accuratiùs corpus, & brutæ animantes dicuntur agi quàm agere, paſſiva quàm activa.

Probatur minor: ignis habet naturam de ſe determinatam ad agendum, diſtinguo: & illa natura futura non eſt niſi per decretum, concedo: & futura eſt independenter à decreto, nego.

Itaque nomine ignis non intelligitur ſola ignis materia, ſed intelligitur prætereà quædam diſpoſitio partium mechanica, præſertim quædam motûs quantitas cum certâ determinatione conjuncta; totum illud reſultans ex materiâ & tali diſpoſitione quod dicitur ignis, naturam habet determinatam ad agendum, ſed dependenter à decreto, quia à decreto materia futura eſt, à decreto futura eſt diſpoſitio, ipſe motus futurus; & ideò futuritio actionis in igne eſt à decreto: reverà, poſito ſemel igne, inutilis eſt qualitas anticipans, quam Thomiſtæ quidam poſtulant, ſed, ut ignis ſit futurus, ut futura ſint quæ ab ipſo oriuntur, requiritur decretum.

Inſtabis: ſi ignis naturam haberet determinatam ad agendum vi decreti, jam non ageret neceſſariò, ſed liberè: abſurdum conſequens; ergo & antecedens.

Diſtinguo majorem: ageret liberè reſpectivè ad Deum, qui liberè producit & conſervat motum, quem liberè decrevit tum producere, tum conſervare, concedo: ageret liberè, ſi ſpectetur in ordine ad ſe, nego: porrò abſurdum eſt actionem ignis ſpectatam in ordine ad ſe dici liberam, quia ignis eſt perceptionis incapax, ſed abſurdum non eſt ipſam dici liberam in ordine ad Deum; quippe Deus & liberè decrevit productionem & materiæ, & motûs, & liberè pro-

duxit utrumque, & conſervat; jam verò vi motûs producti corpus de ſe iners dicitur agens; ergo natura corporum determinata eſt ad agendum à decreto.

Urgebis: ergo corpora nihil producunt; ergo aquæ maris non producunt piſces, terra non produxit herbam virentem, facientem ſemen juxtà genus ſuum: repugnat Scripturæ conſequens.

Diſtinguo antecedens: corpora in ſe præcisè, & independenter à motu nihil producunt, concedo: ſpectata populariter, & ut mota, nego: ſic ignis in ſe præcisè, & ſine motu, ratione ſuæ materiæ, nihil producit: ſed ſumptus populariter, id eſt, cum motu, aliquid producit: porrò repugnat Scripturæ corpora populariter ſumpta, id eſt, cum motu nihil producere: ſed non repugnat eadem in ſe præcisè nihil producere, quia materia nullius eſt actionis capax: hinc, cùm Deus dixit, *producat terra herbam*, &c. materia terræ nihil produxit, nihil materia aquarum, aëris, &c. ſed Deus produxit tunc certam quantitatem motûs in materiâ terræ communicandam ſecundùm leges ab ipſo poſitas, quâ producerentur plantæ, certam quantitatem in aquis, quâ piſces, &c.

SECUNDA PROPOSITIO.

Futuritio actûs liberi boni eſt primariò à decreto.

Probatur : nam primariò eſt à decreto, ſi conſenſus noſter non poſſit intelligi futurus ſine præeunte decreto : verum conſequens; nam ubi eſt ordo, & ſubordinatio, ſecundum intelligi non poteſt, quin priùs intelligatur primùm : v. g. proprietas intelligi non poteſt antecedenter ad eſſentiam, radius ad ſolem, effectum ad cauſam : atqui ordo eſt & ſubordinatio inter decretum & conſenſum, hic eſt liberum ſecundum ; & per participationem : illud eſt liberum primum, & per eſſentiam; ergo decretum infert conſenſum, conſenſus autem noſter non infert decretum.

De futuritione actûs liberi boni ſupernaturalis tractent Theologi.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. Illud eſt inimicum libertati, quo poſito, creatura non poteſt non agere : atqui poſito decreto, putà ad amorem, creatura non poteſt non amare; ergo, &c.

Diſtinguo majorem : quo poſito, creatura non poteſt non agere in ſenſu diviſo, concedo : in ſenſu compoſito, nego : pariter, diſtinguo minorem, & nego conſequentiam.

Itaque, poſito aliquo ad amorem, potentia non amandi manere poteſt in duplici ſenſu; vel in ſenſu compoſito, vel in ſenſu diviſo: tunc, poſito aliquo ad amorem, manet potentia non amandi in ſenſu diviſo, quando cum eo quod ponitur, ità manet potentia non amandi, ut cum eo numquam conjungatur non amor.

Tunc aliquo poſito ad amorem, manet potentia non amandi in ſenſu compoſito, quando cum eo quod ponitur, ità manet potentia non amandi, ut cum eo conjungatur aliquando non amor: porrò cum decreto ad amorem poteſt quidem manere potentia non amandi, ſed cum eodem decreto non poteſt manere non amor.

Quænam eſt, inquies, hæc potentia non amandi in ſenſu diviſo? ad libertatem profectò non videtur ſufficere.

Non ſapiam ultrà ſobrietatem: ignoro, fateor, quæ ſit concordia inter decretum & præſentem uſum liberi arbitrii: ſed *numquid quod eſt apertum negari debet, quia ex eo ſequitur aliquid obſcurum quod capi non poteſt?* Ingenioſiſſimi, quotquot ſunt, hancce concordiam capere non potuerunt, non tantùm inter Paganos Epicurus, qui caſum, Zeno, qui fatum admittebant, non tantùm Cicero, qui, ut homines faceret liberos, fecit ſacrilegos, negando ſcientiam divinam; ſed præcipua fidei lumina; Paulus,

recurrens ſemper ad altitudinem ſcientiæ & ſapientiæ divinæ; Auguſtinus, & qui eum ſecuti ſunt Patres.

Itaque ex unâ parte doceo liberum arbitrium, quod conſtat ex intimo conſcientiæ ſenſu; ex alterâ doceo decretum antecedens & efficax, quod tam auctoritate ſcripturarum quàm ratione demonſtratur; utriuſque concordiam expono, non cum iis junioribus qui novas vias excogitarunt, ſed cum Patribus, quos traditionis teſtes voluit Eccleſia in iis controverſiis ſedere judices: dicam cum Auguſtino Deum habere magis in poteſtate ſuâ voluntates noſtras, quàm ipſi nos habemus; movet quippe omnia modo omnibus proportionato; profundat, ſi ita loqui fas eſt, entis differentias, neceſſitatem & contingentiam; vult ergo ea agere liberè quæ libera ſunt, quia attingit omnia à fine uſque ad finem fortiter & ſuaviter.

Neque eſt quòd opponant adverſarii potentiam hanc nunquam actum eſſe habituram.

Nam & ipſi debent admittere potentiam quæ ad libertatem ſufficiat, nec tamen ſit actum habitura: Petrus amet Deum; liberè amat, quia meretur: ſi liberè; ergo poteſt non amare; neque tamen eveniet ut, dum amat, non amet.

Inſtabis: poſito decreto ad amorem, potentia non amandi ligata eſt & impedita,

nego : nam decretum , non modò amorem decernit , verùm etiam modum quo amor poni debet : porrò poni debet liberè ; ergo decernit amorem eſſe liberè ponendum.

Hanc doctrinam tradit S.Thomas, * *quamvis non eſſe effectus divinæ voluntatis non poſſit ſimul ſtare cum divinâ voluntate , tamen potentia effectûs deficiendi ſimul ſtat cum divinâ voluntate* ; non enim ſunt iſta incompoſſibilia : *Deus vult iſtum ſalvari , & iſte poteſt damnari* ; ſed iſta ſunt incompoſſibilia, *Deus vult illum ſalvari , & iſte damnatur.*

Urgebis : poſito decreto antecedenti ad amorem , non poſſumus odium ponere.

Nego propoſitionem : non poſſumus quidem in ſenſu compoſito , ſed poſſumus in ſenſu diviſo ; quia potentia ponendi odii manere poteſt cum decreto ad amorem , manet quippe cum ipſo amore.

Objicies 2°. Illud eſt inimicum libertati, cui non poſſumus reſiſtere : atqui non poſſumus reſiſtere decreto antecedenti ; ergo, &c.

Contenſonus ſuadet majorem poſſe negari ; licèt enim non poſſimus reſiſtere decreto, decretum tamen non eſt inimicum libertati, ſi hæc tria dicat ; Petrum lecturum , poſſe fieri ut non legat , eventurum nunquam ut non legat : atqui verum conſequens ; ergo & antecedens.

* Quæſt. 25. de Ver. a. 5. ad 3.

Hæc ſolutio optima : ne tamen recedamus à vulgari reſponſione, nego minorem: quia, licèt non reſiſtamus divinæ voluntati, poſſumus tamen reſiſtere ; non tollit Deus potentiam ſibi reſiſtendi, ſed facit in nobis invictam voluntatem non reſiſtendi: Deus, inquit Auctor de Vocatione Gentium, * *ad obediendum ſibi velle ſic donat, ut tamen à perſeveraturis ipſam mutabilitatem, quâ poſſunt nolle, non auferat.*

Objicies 3°. Illud eſt inimicum libertati, quo poſito, non habemus dominium in actus noſtros : atqui, &c. ergo, &c.

Nego minorem : nimirùm poſitum decretum non impedit quominùs cum ſuperioritate media aſſumamus.

Probatur minor : quoties duo ſunt infallibiliter connexa, ità ut unum ſe habeat ut antecedens, aliud ut conſequens, qui nihil poteſt in antecedens, nihil poteſt in conſequens : atqui decretum & actus noſtri ſunt duo infallibiliter connexa ; decretum ſe habet ut antecedens, actus noſtri ut conſequens, & nihil poſſumus in decretum; ergo nihil poſſumus in actus noſtros.

1°. Nego nihil poſſe nos in decretum, quia poſſumus ipſi reſiſtere, licèt nunquam reſiſtamus.

2°. Diſtinguo majorem : qui nihil po-

* Lib. 2. c. 28.

teſt in antecedens, nihil poteſt in conſequens, ſi antecedens attingat conſequens immediatè, & ſine nobis, concedo: nobis mediantibus, nego: porrò decretum & actus noſtri ſunt duo infallibiliter connexa; decretum ſe habet ut aliquid antecedens; actus noſtri, ut aliquid conſequens: at decretum non attingit actus noſtros ſine nobis; quippe Deus facit nos volentes, præparat voluntates noſtras, eripiens cor lapideum & dans cor carneum, operatur in nobis velle; & intimâ virtute, ad motum, & ad actionem ita nos impellit, ut, quamvis cauſarum efficientium virtutem non impediat, præveniat tamen, dum ejus occultiſſima vis, ut habet Catechiſmus Tridentinus, attingit omnia & pertingit.

Objicies 4°. Illud eſt inimicum libertati, quo poſito, cauſa ſecunda non eſt ſuî determinativa, ſed eſt ab alio determinabilis: atqui, &c. ergo, &c.

Diſtinguo majorem: non eſt ſuî determinativa ut cauſa ſecunda libera, concedo: ut cauſa prima libera, nego: pariter diſtinguo minorem, & nego conſequentiam.

Itaque cauſa libera duplex; prima & ſecunda.

Prima dicitur primum movens in liberis, primum agens, liberum per eſſentiam.

Secunda eſt ſecundum movens, ſecundum agens, liberum per participationem.

Quæres 1°. Quomodò creatura libera, poſito decreto, ſit ſuî determinativa.

Creatura libera debet eſſe perceptionis capax, ideòque ſuperior re quâvis creatâ, & independens à rebus creatis, quæ non ſunt niſi media: porrò ex illâ ſuperioritate ſequitur facultas eligendi; quanquam, ut eligat, prærequiritur decretum ſine quo nihil futurum eſt: nam eſſe non poteſt liberum ſecundum antecedenter ad primum, ut rivus eſſe non poteſt antecedenter ad fontem.

Quæres iterùm, quo ſenſu creatura libera non ſit determinabilis ab alio.

Experientiâ patet unum hominem determinari ab alio, v. g. exemplis, precibus, & exhortationibus; hæc verò determinatio non tollit liberum arbitrium; ſi non ſit infallibiliter movens; ſi verò moveret infallibiliter, quia Petrus eſt agens extrinſecum reſpectu Pauli, quia non habet in poteſtate ſuâ voluntatem Pauli, quia non habet poteſtatem in actiones Pauli, tolleret ſaltem uſum libertatis: at Deus, dum movet nos infallibiliter, non tollit hunc uſum: primò, intimior nobis intimo noſtro ſpectari poteſt, ut principium intrinſecum actionum noſtrarum. Secundò, dum movet nos, agit in nobis præparando voluntates noſtras, flectendo, & piiſſimè emolliendo corda noſtra: non tantùm

attingit ſubſtantiam actûs, ſed etiam modum quo fieri debet.

Objicies denique: Saltem, ſublato decreto, non erit in nobis potentia ad agendum.

Nego propoſitionem: nam, ſublato decreto antecedenti, eſt in nobis potentia ad agendum, ſi antecedenter ad decretum omnia ſint poſſibilia; ſi hæc potentia ſit eſſentialis, & eſſentiæ ſint immutabiles: atqui, &c. ergo, &c.

Inſtabis: ſine eo non eſt potentia ad agendum, quod eſt neceſſarium ad actionem: atqui decretum, &c. ergo, &c.

Diſtinguo majorem: quod eſt neceſſarium ad actionem, id eſt, ut creatura poſſit agere, concedo: id eſt, ut creatura agat, nego: porrò decretum eſt quidem neceſſarium ut ſimus acturi, & ut agamus, ſed non eſt neceſſarium ut poſſimus agere; quæ quidem reſponſio non eſt inſulſa, ut probare conatur Montaltius in ſecundâ Provinciali; rem ut benè obſervat Contenſonus, antecedenter ad decretum omnia poſſibilia ſunt; ex quo Auguſtinus, poſſe habere charitatem naturæ eſt hominum; habere charitatem gratiæ eſt fidelium; ergo hæc potentia eſt antecedenter ad decretum.

TERTIA PROPOSITIO.

Futuritio actûs mali formaliter ſumpti eſt à Deo permittente, actùs verò materialiter ſumpti eſt à Deo decernente.

Prima pars eſt contra Calvinum, qui volebat Deum producere ipſam malitiam.

Probatur : peccatum formaliter ſumptum nihil eſt : ipſius non datur cauſa efficiens, ſed deficiens, ut patet ex moralibus ergo decretum non eſt cauſa ipſius malitiæ futuræ.

Secunda pars probatur : peccatum materialiter ſumptum eſt ipſa actio quæ mala eſt : atqui futuritio actionis quæ poſitiva eſt, eſt à decreto; quippe nihil poſitivum & contingens futurum eſt, quod non ſit à decreto futurum.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. Malitia non poteſt intelligi futura niſi conſequenter ad decretum : ergo, &c.

Diſtinguo antecedens : ad decretum permiſſivum, concedo : ad decretum efficiens inſtar cauſæ, nego; nimirùm duplex eſt decretum, efficiens, & permiſſivum : permiſſivum illud eſt quo Deus permittit cauſas ſecundas deficere in ſuis operationibus; tuncque non eſt cauſa defectûs, quia

ipſe non deficit, ſed ſola creatura; efficiens illud eſt, quòd Deus, tanquam cauſa efficiens prima vult quæ futura ſunt.

Vidimus cur Deus, qui nos habet ita in poteſtate ſuâ, ut nihil agamus niſi per ipſum, ex ipſo & in ipſo, permittat tamen mala quæ poſſet impedire: idem exponetur ubi de concurſu.

Objicies 2°. Ille eſt cauſa malitiæ qui fecit voluntatem defectibilem: atqui Deus fecit, &c. ergo, &c.

Diſtinguo majorem: defectibilem ita ut ſit cauſa ipſius defectibilitatis, concedo: ſi defectibilitas ſit ab ipsâ voluntate creatâ, nego: potiò defectibilitas eſt à nihilo creaturæ: lege S. Thomam. *

De Omnipotentiâ Dei.

Facultas quâ Deus producere poteſt vocatur omnipotentia; inde Deus dicitur omnipotens.

Nonnulli, dum agunt de omnipotentiâ, quærunt an Deus poſſit hoc vel illud facere; quæ philoſophandi ratio mihi videtur ineptiſſima: hoc certum ſupponi debet, Deum poſſe omnia quæ poſſibilia ſunt, ſi ſint ratione futuritionis & exiſtentiæ contingentia, producere: diſputari itaque non debet an aliquid poſſit, ſed an illud ſit poſſibile: porrò ſunt alii qui illud impoſ-

* Diſt. 37. in 2. q. 2. a. 1.

ſibile volunt quod à ſe non concipitur; quaſi verò mens noſtra quæ finita eſt, intelligat aut poſſit intelligere omnia, ut caveamus ab illis erroribus, ſequentes regulæ accuratè ſervari debent.

Prima: Illud omne dicatur poſſibile quod concipitur reſultans ex attributis conſentientibus.

Secunda: Illud dicatur impoſſibile cujus attributa repugnant in conceptu ſuo: impoſſibilis eſt unio attributorum repugnantium; impoſſibilis eſt repugnantia attributorum compatibilium.

Obſervandum me loqui de conceptu, ideâ; non autem de judicio, quippe plurima judicare poſſumus poſſibilia, quæ non ſunt poſſibilia, & multa impoſſibilia, quæ non ſunt impoſſibilia.

Tertia: Licèt aliqua non concipiantur, poſſumus tamen prudenter & certè judicare de iis; poteſt quippe aliud eſſe motivum: v. g. ex intimo & immediato conſcientiæ ſenſu prudenter judico me cogitare, ex relatione hominum, exiſtere urbem Romam; ex relatione ſenſuum noſtrorum, exiſtere ſolem, &c. ex relatione Dei, tres eſſe perſonas in unâ naturâ divinâ: hinc non modò credendi utilitas, ſed neceſſitas; atque inſaniret homo, qui ea dumtaxat tanquam certa admitteret quæ concipiuntur; ergo, ratione auſpice, debemus iis credere quæ

ab Eccleſiâ proponuntur, captivantes intellectum in obſequium fidei: nempe ſi quædam facta credamus, quia narrantur à viris probis & fide dignis, cur aſcenſus denegatur iis quæ Patres, Traditio, Chriſtus, Moyſes, miraculis, pietate, probitate confirmarunt.

Quarta: Si agatur de aliquâ propoſitione metaphyſicâ de entibus naturalibus, dubius mane, ſi à te non concipiatur.

Quinta: Hæc habe: ea quæ poſſibilia ſunt eſſe æqualiter poſſibilia, inter ea nulla eſſe quæ faciliùs vel difficiliùs poſſint à Deo fieri; proindeque æqualem eſſe Dei potentiam in hæc omnia: quapropter, ſi aliquod attributum ſit contingens alicui ſubjecto, tam facilè ſubjectum eo carebit quàm facilè recipiet.

Hîc exponi debet diviſio potentiæ divinæ in ordinariam & extraordinariam.

Ordinaria eſt ea quâ fit aliquid ſecundùm leges quas primùm liberè poſuit.

Extraordinaria verò dicitur ea, quâ, non ſervatis hiſce legibus, fit aliquid minimè ſolitum: unde ſi, quod jam minimè ſolitum eſt, v. g. quòd flamma ignis propellatur deorsùm, & lapis aſcendat, fuiſſet ſolitum virtute legum, quas alias poſuiſſet, tunc potentia ſic detrudens flammam, & rapiens lapidem ſursùm, fuiſſet ordinaria, & ea quâ flammam ſursùm,

lapidem deorsùm moviſſet, fuiſſet extraordinaria.

Actio omnipotentiæ triplex vulgò numeratur, creatio, conſervatio & concurſus: quanquam aliqui conſervationem & concurſum ad voluntatem referunt; & inde forſan dixerunt omnipotentiam non diſtingui vel virtualiter à voluntate: quid ſentiam patebit ex ſequentibus.

De Creatione.

Ens, vel eſt ſubſtantia, vel eſt ratio, ſeu modificatio.

Creatio definitur productio ſubſtantiæ.

Eductio definitur productio modificationis, quæ ſubjectum præſupponit exiſtens.

Hinc fuſiùs creatio dicitur productio entis ex nihilo ſuî, & ex nihilo ſubjecti; eductio verò productio entis ex nihilo ſuî, ſed ex aliquo ſubjecto.

Eductionem exiſtere ipſa probat experientia, quâ conſtat ex tritico fieri farinam, ex farinâ maſſam, ex maſsâ panem, ex pane chilum, &c. neque id negatur ab Epicureis, Peripateticis, &c. ſcilicet fiunt quotidie novæ partium diſpoſitiones.

De creatione difficultas. Athei, ne Creatorem agnoſcant, ſubſtantiam quamlibet neceſſariam volunt, ideòque improducibilem: ipſi Epicurei ſuas atomos increatas poſuerunt;

imò Anaxagoras, cujus panſpermiam videtur deſcripſiſſe Ovidius, æternæ menti non tribuit niſi diſpoſitionem operis, atque ſupponit materiam ipſam æternam eſſe ſine principio: verùm hoc me non ità movet; erant enim iſti veteres in tenebris, & in umbrâ mortis; movet me magis, quòd quidam inter Chriſtianos in eam ſententiam venerint; non modò Hermogenes, contrà quem diſputavit Tertullianus, cujus liber legi poteſt, ſed etiam nunc plures item & vivâ voce, & ſcriptis, profiteantur: rem dicam.

Carteſius docuit extenſionem trinâ dimenſione menſurabilem eſſe corpus: hæc ſententia ex multiplici capite refelletur, ac præſertim ex eo quòd ſpatium mihi videatur neceſſarium & increatum; unde ex Carteſii ſententiâ videtur ſequi ipſam materiam eſſe increatam, quam ſequelam nunquam admiſit Carteſius, qui poſtulavit ut Deus crearet materiam: hinc id unum ipſi poterat objici, ipſum pugnantia fuiſſe locutum: ſed quid diſcipuli quidam? apertè faſſi ſunt materiam eſſe increatam: ſcriptum Gallicum cum hoc titulo, *De l'Infini créé*, venit in manus meas, in quo Auctor ſupponens materiam eſſe extenſionem, ſupponit pariter ipſam eſſe neceſſariam & increatam, vult ab æterno extitiſſe, jam exiſtere & extituros perpetuò infinitos vortices; qui

quidem vortices initium habent, & deſinunt, alii aliis ſuccedentes, ità ut in quovis inſtanti infiniti pereant, infiniti renaſcantur: ſic vortex noſter initium habuit ex alterius ruinâ, peribit ipſe, ſed alii ſuccedent; quapropter Deum creaſſe in principio cœlum & terram, nihil aliud eſt quàm Deum potuiſſe de novo aliam diſpoſitionem partium mechanicam: nihil non movet Auctor ut ex ipſo Sermone Hebraïco ſuum ſyſtema confirmet, ex ipſis Theologorum principiis ratiocinatur: agam ego contrà hominem Philoſophicis rationibus: ſit itaque

PROPOSITIO.

Datur creatio.

Probatur: productio ſubſtantiæ eſt creatio: atqui datur productio ſubſtantiæ, nam ſubſtantia contingens poteſt produci, &, ſi exiſtat, producta eſt, quia ſubſtantia contingens poteſt non eſſe; poteſt igitur ſupponi non exiſtens; in hoc ſtatu non eſt impoſſibilis: porrò, quod non exiſtens poſſibile eſt, illud, ſi exiſtat, productum eſt; ergo ſubſtantia contingens produci poteſt, &, ſi exiſtat, producta eſt; enimverò, ſi ſubſtantia ſit contingens, exiſtentia non eſt ipſi eſſentialis, exiſtentia venit ab extrinſeco, non ab intrinſeco: atqui datur ſubſtantia contingens, datur materia, datur

principium quod cogitat : atqui materia, principium quod cogitat, noſtrum videlicet, ſunt ſubſtantiæ contingentes, & quidem plurimas ob rationes.

1°. Subſtantia, ſi neceſſaria ſit, omnes habere debet perfectiones, quia, cùm non repugnet ſubſtantiæ *ut ſic* intellectus, non repugnet voluntas, non repugnet vis activa, certè, ſi neceſſaria ſit, jam eſt intelligens, volens & potens, & quidem neceſſariò, non modò in aliquibus è ſuis partibus, ſed in omnibus, cùm quælibet futura ſit ſubſtantia neceſſaria : porrò hoc non admittunt Carteſii diſcipuli, nec admittunt etiam ipſi Epicurei, apud quos quodlibet corpus non eſt intelligens, non eſt volens : plus dico, quia non repugnat ſubſtantiæ *ut ſic* ulla virtus intelligendi, volendi, agendi, quæ neceſſaria eſt, non modò intelligit, ſed habere debet omnes intellectiones, omnes ideas, omnes virtutes, ſicque atomus quælibet quæ neceſſaria eſt, ſeu quævis pars materiæ habere debet omnes illas perfectiones, debet eſſe infinito modo intelligens, infinito modo potens : quæ quàm abſurda ſint, vident ipſi adverſarii.

Nec eſt quòd dicas in ſpatio noſtro neceſſario triangulum neceſſarium non habere perfectiones omnes, v. g. non habere perfectiones circuli, ſed habere tantùm ſuas, atque neceſſitatem hujuſce trianguli aliud non poſtulare.

Nam ſpatium, vel eſt ipſa res extenſa, vel eſt ipſa extenſio, quæ non eſt niſi modificatio rei : ſi ſpatium ſit res ipſa extenſa, contendo quòd tota ſit ubi eſt, & tota in ſingulis loci quem occupat partibus, ubique continens omnes omninò perfectiones, proindeque res extenſa, cujus extenſionis triangulum eſt pars, perfectiſſima eſt; ſi ſpatium ſit extenſio, mirum non eſt ſi triangularis extenſio non contineat omnes perfectiones, quantùmvis neceſſaria ſit, quia nimirùm modificatio non eſt commune ſubjectum omnium aliarum modificationum : v. g. volitio non eſt in intellectione, & viciſſim intellectio in volitione, ſed volitio & intellectio ſimul ſunt in re intelligente & volente : at ſubſtantia commune eſt ſubjectum modificationum, cui ultimò inſunt ; adeòque, ſi neceſſaria ſit, omnes habere debet perfectiones.

Et certè 2°. Si ſubſtantia neceſſaria non habet omnes omninò perfectiones, habet ab intrinſeco ſaltem eas quarum capax eſt; quemadmodum triangulum in ſpatio neceſſarium ab intrinſeco habet perfectiones omnes quarum capax eſt : atqui neque materia habet ab intrinſeco omnes perfectiones quarum capax eſt, neque anima rationalis.

1°. Quidem materia non habet ab intrinſeco perfectiones omnes quarum capax

eſt; nam præſtantior perfectio eſt motus, quantitas & determinatio motûs: atqui Auctor Operis Gallici de quo ſuprà fatetur cum Anaxagorâ quantitatem & determinationem motûs non eſſe ab ipsâ materiâ, licèt ſint in materiâ; hinc Epicurei, qui, poſtquam admisêre atomos increatas, docent eas à ſeipſis moveri, non ità ſibi contradicunt, tamen, quia arguimus atomos à ſeipſis non moveri, ut patebit ex Phyſicâ, concludimus eas non eſſe increatas.

Deinde anima rationalis non habet ab intrinſeco perfectiones omnes quarum capax eſt. Adverſarios voco ad intimum & immediatum conſcientiæ ſenſum: ſi habeat anima perfectiones omnes; unde deſideria hæc adeò vehementia, plena impatientiæ, ſollicitudinis & anxietatis; unde tot niſus, tot impetus, quibus expectat, timet, iraſcitur, dolet? cur extrà ſe perpetuò vagatur homo, ut tandem, quam optat, beatitudinis fruatur? cur intelligit ſtatum feliciorem, quo donari poſſit? cur irrequietum cor, mens altior, quovis numero, quâvis magnitudine, quâvis duratione? ſumus tamen illigati & durationi, & ſpatio, & numero definitis. Hæc audiant adverſarii; ſi neceſſitas modificet ſubſtantiam, modificat omnes ſubſtantiæ perfectiones: hinc æterna duratio, hinc immenſa extenſio: &, quemadmodum erit tota in quovis inſtanti dura-

tionis, ità debet eſſe tota ſub quâlibet parte extenſionis, quæ nec mater æ, nec principio cog tanti noſtro conveniunt.

Dices: nihil fit ex nihilo; ergo no nexiſtit creatio.

Fuit hæc antecedens propoſitio maximè laudata apud Veteres, quæ vera eſt, ſi intelligatur de agente creato, non autem de Deo.

Inſtabis: concipi nequit quomodò res non exiſtens anteà jam exiſtat; ergo creatio non eſt poſſibilis.

Nego conſequentiam: nam plurima ſunt facilia quæ non concipiuntur.

Deinde nego antecedens: nam concipitur ſubſtantia contingens: porrò ſubſtantia contingens poteſt non exiſtere; ergo ſupponi poteſt quòd non exiſtat: in hâc hypoteſi non eſt impoſſibilis; ergo ſupponi poteſt exiſtens: jam verò quod non exiſtit, & ſupponi poteſt exiſtens poſteà, ſi ſit res, illud ſolâ creatione exiſtit; ergo, &c.

Utrùm Creatura poſſit creare.

Recentiores docent produci poſſe à Deo creaturam quæ virtutem habeat creandi, ſive ſibi eſſentialem, ſive ſibi conceſſam; negat S. Thomas, quem ſequimur.

PRIMA PROPOSITIO.

Creatura poteſt eſſe cauſa occaſionalis ipſius creationis.

Probatur : nam Deus potuit ordinare ut ad talem ſitum, talem diſpoſitionem, ipſe crearet ſubſtantiam : ſic partium organicarum ſuppellex in fœtu humano occaſio eſt cur producat animam rationalem fœtui humano ſubſtantialiter uniendam.

SECUNDA PROPOSITIO.

Creatura creare non poteſt.

Propoſitio conſtat auctoritate Patrum, * qui probaverunt omnes adversùs Arianos Verbum eſſe Deum, ex eo quòd creaverit, qui voluerunt actionem creandi arguere potentiam infinitam.

Reſpondent adverſarii Patres reverà audiendos eſſe, cùm agitur de articulis fidei, aut de morum principiis, non autem cùm diſputatur de rebus Philoſophicis; deinde ipſos quidem probaſſe divinitatem filii, ex eo quòd omnia creaverit, non autem ex eo quòd aliqua produxerit; ſe verò fateri virtutem creandi omnia non poſſe competere ulli creaturæ.

* Cir. l. 2. cont. Jul. Athan. ſerm. 3. contr. Arian.

1°. Patres in quæſtionibus merè philoſophicis contemnendi non ſunt : ex illis plures in ſcientiis naturalibus floruêre.

2°. Hæc quæſtio non eſt merè philoſophiça, tum quia agitur de attributo, quod ſoli Deo tribuimus cum Patribus, tum quia ex hoc fonte Patres argumentum petunt contrà Arianos ad adſtruendam filii divinitatem; quod quidem adeò efficax viſum eſt aliquibus, ut faſſi fuerint Verbum eſſe Deum, ſi creaverit.

3°. Vana eſt reſponſio quâ dicunt Patres probaſſe divinitatem filii ex eo quòd omnia creaverit, non autem ex eo quòd aliqua produxerit; nam præterquàm quòd aſſerunt non magis Angelos poſſe creare naturam, imò muſcam, quàm ſeipſos, inde ſequeretur argumentum Patrum nullum eſſe, nam ſic Ariani ſatisfeciſſent : atqui quæ creata ſunt, non probantur eſſe infinita; ergo non probatur Verbum eſſe Deum.

Denique : quomodò Patres aliquam virtutem creandi tribuiſſent creaturæ, ipſi qui negarunt humanitati Chriſti poteſtatem edendi miracula quæ ex ſolâ motuum communicatione dependebant ?

Probatur ratione : potentia infinita non poteſt competere creaturæ : atqui potentia creandi infinita eſt; nam eò fortior eſt potentia, quò minor eſt diſpoſitio in ſubjecto patiente ; v. g. major eſt potentia artificis,

quò minor eſt diſpoſitio in materiâ ex quâ conficit opus ejuſdem valoris cum eo quod conficeret alter artifex utens materiâ meliùs diſpoſitâ : ſed in creatione nulla eſt omninò diſpoſitio in ſubjecto patiente, cùm nullum ſit ſubjectum, ſed creatione producatur; igitur potentia creans debet eſſe, quâ major dari non poteſt : ſed potentia, quâ major dari non poteſt, eſt infinita; ergo, &c.

Reſpondent adverſarii potentiam activam non eſſe infinitam, ſed ſuperiorem tantùm, ſi ſit ejuſdem ordinis cum ſubjecto creando.

At 1°. Subjectum creandum, cùm nondum ſit nullius ordinis; ergo non eſt ejuſdem ordinis cum potentiâ.

2°. Tranſeat quòd ſit ejuſdem ordinis, ſtat ſemper demonſtratio : potentia tantò fortior eſt, quantò minor eſt diſpoſitio in ſubjecto patiente, nulla verò eſt in ſubjecto creando; ergo major dari nequit potentia: potentia verò, quâ major dari non poteſt, infinita eſt.

Probatur iterùm : creatio actio eſt virtutis infinitæ; nam actio quæ ſuperat diſtantiam infinitam eſt virtutis infinitæ : atqui creatio ſuperat diſtantiam infinitam; nam ſuperat diſtantiam quæ eſt inter nihil tum ſuî, tum ſubjecti, & aliquid tum ſuî, tum ſubjecti : atqui hæc diſtantia infinita eſt, major enim dari non poteſt; ergo, &c.

Reſpondent hanc diſtantiam eſſe inter aliquid tum ſuî, tum ſubjecti, finitum, & nihil ſuî, & ſubjecti finitum; proindeque non eſſe infinitam.

Vana reſponſio. 1°. Quod nihil eſt, eſt nihil infinito modo, neque poteſt dari intenſius nihilum; ergo malè diſtinguunt inter nihilum finitum, & nihilum infinitum.

2°. Fatentur virtutem creandi omnia eſſe infinitam: porrò tanta eſt intenſivè virtus creandi aliqua, quanta eſt creandi omnia; licèt non ſit forſan tanta extenſivè. Denique, ſi creatura crearet vel paleam, crearet infinita, cùm non ſint in Orbe univerſo plures partes quàm ſint in paleâ: quare tanta intenſivè requiritur potentia ut producatur granum millii, quanta requiritur ut producatur Orbis univerſus?

De Conſervatione.

Contingentia futuritionem habent à decreto; ſi ſint res, habent à creatione, quòd ſint: permanent autem in exiſtentiâ ſuâ, & durant: quæritur à quo illud habeant.

Quidam voluêre creaturas quaſdam eſſe incorruptibiles, quæ ſemel factæ in eſſe ſuo permanent, quin Deus eas conſervet.

Alii volunt omnes à Deo ità pendere, ut, ſi non conſervaret, annihilarentur: ſed inter eos diſputatur de naturâ conſervationis: quid ego ſentiam ſequentibus patet.

PRIMA PROPOSITIO.

Creatura non poteſt in eſſe ſuo permanere, niſi Deus eam conſervet.

Probatur 1°. auctoritate S. Auguſtini, qui id apertè ſtatuit lib. 4. ſuper Gen. *

Probatur 2°. Ratione: tam enim dependet à Deo exiſtentia producta, quàm exiſtentiâ producenda, nec plus habet virtutis creatura, ut ſeipſam in eſſe ſuo conſervet, quàm ut ſe è nihilo extrahat; eſt enim eſſentialiter ens ab alio, tam in ſuo conſervari quàm in ſuo eſſe; ergo, &c.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. Sunt quædam creaturæ incorruptibiles; ergo illæ permanere poſſunt, quin à Deo conſerventur.

Diſtinguo antecedens: incorruptibiles ab intrinſeco, quales ſunt omnes ſubſtantiæ, concedo: ab extrinſeco, quaſi Deus non poſſit eas annihilare, nego, quia † *ſolus habet immortalitatem.*

Objicies 2°. Agentia quædam ſuis communicant effectibus vim ſubſiſtendi, ſaltem per aliquod tempus, ſine conſervatione: ſic Architectus domui communicat vim illam; ergo à fortiori poterit Deus communicare vim eamdem creaturis.

1°. Nego

* c. 12. † 1. ad Tim. c. 6.

1°. Nego conſequentiam : nam, quòd poſſit Architectus vim illam communicare ſuis effectibus, illud non eſt argumentum potentiæ, ſed potiùs infirmitatis.

2°. Diſtinguo antecedens : ſine conſervatione procurandâ per illas creaturas, à quibus effectus non pendent eſſentialiter, concedo : à quibus pendent eſſentialiter, nego : porrò, cùm nullus ſit effectus qui non pendeat à Deo eſſentialiter, certè nullus eſt qui non egeat ab ipſo conſervari; nullus eſt qui poſſit ſubſiſtere, niſi velit.

SECUNDA PROPOSITIO.

Conſervatio non eſt perpetua creaturæ productio.

Probatur : repugnat enim creaturam perpetuò creari; nam creatio requirit ut ens tranſeat à non eſſe ad eſſe : implicat autem creaturam perpetuò tranſire à non eſſe ad eſſe; nam quod tranſit à non eſſe ad eſſe, priùs debet non eſſe quàm ſit ; alioquin tranſiret, & non tranſiret : tranſiret ex hypoteſi ; non tranſiret autem, quia jam exiſteret ; ergo repugnat creaturam perpetuò creari.

Conſervatio, reſpondet Magiſter Barbay, * differt à primâ productione, quòd prima

* §. 2. de Conſ.

productio denotet rem priùs non fuiſſe; conſervatio rem priùs productam fuiſſe: optimè; ergo conſervatio non eſt productio creaturæ, quia fruſtrà creatum jam exiſtens producitur: fides Catholica doceat Verbum æternum perpetuò generari, credo: Theologia id explicet, quia eſt intellectionis terminus, quæ intellectio perpetuò manet eadem, optimè: at continuata creatio, fateor, à me non intelligitur: quippe generatio Verbi non poſtulat ut aliquando verbum non extiterit, proindeque nihil impedit quominùs permaneat; creatio verò eſſentialiter poſtulat ut id quod creatur non extiterit; proindeque non video quomodò iterùm poſſit eſſe, niſi creatum deſinat.

Dices: creatura, ut conſervetur, magis pendet à Deo quàm lumen à ſole: atqui lumen conſervatur continuatâ productione luminis; ergo creatura continuatâ ſuî productione.

Difficultas hujuſce argumenti venit ab iſtis vocibus, *ſol producit lumen*; ſed evaneſcit, ſi dicamus ſolem eſſe materiæ ſubtiliſſimæ congeriem in centro, cujus partes circulariter agitatæ percutiant materiam aliam ſubtilem circumſtantem versùs circumferentiam: lumen nihil aliud eſſe quàm motum excitatum in materiâ circumſtante, proindeque non eſſe idem lumen, quia non

eſt idem modus : itaquè concedo majorem, & nego minorem.

TERTIA PROPOSITIO.

Creatio eſt perpetuus divinæ voluntatis influxus, quo Deus vult creaturam à ſe factam tamdiu permanere.

Probatur : nimirùm Deus ab æterno non modò decrevit productionem creaturæ pro tali parte ſuæ æternitatis, ſed etiam decrevit permanentiam hujuſce creaturæ pro tempore determinato; adeòque accedente tali parte, & producit, & conſervat, id eſt, vult illius creaturæ exiſtentiam per illud tempus determinatum.

Dices : ad creationem non ſufficit ut Deus velit rem creari : ſed prætereà requiritur actio omnipotentiæ, quâ creet; ergo ad conſervationem non ſufficit quòd Deus velit rem permanere : ſed prætereà requiritur actio omnipotentiæ, quâ eam conſervet.

Nego conſequentiam : diſparitas eſt quia in creatione res tranſit à ſtatu minimè poſitivo ad ſtatum poſitivum, proindeque requiritur actio omnipotentiæ, quæ illud efficiat : at in conſervatione res ſtatum ſuum poſſidet, nec ulla fieri debet mutatio; ideòque ſufficit ut eumdem ſtatum Deus velit.

De Concurſu.

Deus concurrit cum creaturis quibuſcumque, quia actio cujuſlibet creaturæ pendet eſſentialiter à Deo, ejuſque dependentia poſtulat ut fieri non poſſit, niſi agente Deo nobiſcum.

Itá concurrit cum ſubſtantiis neceſſariis quoad operari, ut ipſe ſolus ſit cauſa efficiens omnium illarum operationum, nam omnes illæ operationes ſunt à motu : porrò ſolus Deus eſt cauſa motûs, quantitatis motûs, & determinationis, ut videbitur in Phyſicâ, unde propriè omnia corpora, mineralia, metalla, plantæ, ipſæ belluæ aguntur à Deo, non agunt.

At nos creaturæ liberæ agimus propriè, ſed Deus nobiſcum.

Itaque concurſus divinus reſpectu noſtrî eſt perpetuus divinæ voluntatis influxus, quo Deus vult creaturam agere in tempore quæ ipſe ab æterno decrevit.

Quæritur autem quomodò faciat Deus ut quæ decrevit ab æterno nos agamus.

Durandus voluit Deum concurrere nobiſcum mediatè, quia produxit in nobis virtutem operandi; ſed negavit ipſum concurrere immediatè, id eſt, negavit Deum agere nobiſcum in iis quæ naturaliter fiunt, ſed permiſit duntaxat ut ageremus.

Thomiſtæ rigidiores volunt Deum qua-

litate quâdam phyſicâ, veluti manu ferreâ, præmovere nos ad agendum.

Alii molliores requirunt quidem præviam Dei actionem, ſed quæ non ſit infuſiva hujuſce qualitatis, actionem, quæ non tam pellit quàm excitat, non tam movet quàm perſuadet.

Alii denique in actionibus naturalibus poſtulant duntaxat concurſum ſimultaneum.

Ut præſens argumentum intelligatur, priùs expono voces aliquas ſine quarum notitiâ capi non poteſt.

Determinare eſt aliquid ad plura indifferens adſtringere ad unum; ergo determinatio ſupponit indifferentiam vel activam, vel paſſivam.

Quadruplex eſt indifferentia: ad ſpeciem, ad exercitium, ad intenſionem, & ad individuum.

Indifferentia ad ſpeciem eſt ea quâ res eſt indifferens ad formalitates ſpecie diverſas, aut ad effectus ſpecie diverſos: v.g. indifferentia ceræ, ad hoc ut ſit vel rotunda, vel quadrata: indifferentia in nobis ad amandum, vel odio habendum.

Indifferentia ad exercitium eſt ea quâ res eſt indifferens ad recipiendam formam, vel non; ad producendum effectum, vel non: v.g. indifferentia ceræ, ad hoc ut ſit rotunda, vel non; hominis ad amandum, vel non.

Indifferentia ad intenſionem eſt ea quâ res eſt indifferens ad recipiendas formas in majori gradu vel minori, ad producendos effectus, vel intenſiores vel remiſſiores: v. g. indifferentia ceræ, ut ſit magis vel minùs mollis, hominis ad amandum amore vehementiori, vel remiſſiori.

Indifferentia ad individuum eſt ea quâ res indifferens eſt ad formas ſolo numero diſtinctas, aut ad effectus ſolo numero multiplices: v. g. indifferentia ceræ ad recipiendam hanc rotunditatem, vel illam; hominis ad amandum amore hoc, vel illo.

Huic indifferentiæ quadruplici opponitur quadruplex determinatio.

Determinatio ad ſpeciem eſt ea quâ res indifferens ad formas ſpecie diverſas, aut ad effectus ſpecie diverſos, determinatur ad formam, aut ad effectum hujuſce ſpeciei, potiùs quàm alterius: v. g. determinatio ceræ ad recipiendam rotunditatem, potiùs quàm quadraturam, hominis ad amandum potiùs quàm odio habendum.

Determinatio ad exercitium ea eſt quâ res indifferens ad recipiendam formam, vel non, ad agendum, vel non, determinatur ad recipiendum, ad agendum: v. g. determinatio ceræ, ut fiat rotunda potiùs quàm non rotunda; hominis ad amandum potiùs quàm non amandum.

Determinatio ad intenſionem ea eſt quâ

res indifferens ad recipiendas formas intenſiores, vel remiſſiores, ad producendos effectus intenſiores, vel remiſſiores, determinatur ad formam recipiendam talis intenſionis, & effectum producendum talis intenſionis : v. g. determinatio ceræ, ut fiat magis mollis quàm minùs, hominis ad amandum amore vehementiori quàm remiſſiori.

Determinatio ad individuum eſt ea quâ res indifferens ad plures numerò formas recipiendas, & plures numerò effectus producendos, determinatur ad hanc numerò formam recipiendam potiùs quàm illam; ad hunc numerò effectum potiùs quàm illum : v. g. determinatio ceræ ad recipiendam hanc rotunditatem potiùs quàm illam, hominis ad amandum hoc amore potiùs quàm illo.

PRIMA PROPOSITIO.

Deus in tempore nos determinat tum ad ſpeciem, tum ad exercitium, tum ad intenſionem, tum ad individuum in actionibus ſupernaturalibus.

Probatur : ex verbis ipſius * Chriſti, *ſine me*, inquit, *nihil poteſtis facere ; non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos* : & Apoſtolus

* Joan. c. 15.

ſic hominem alloquitur † *quis te diſcernit? quid habes quod non accepiſti? ſi autem acceperiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?*

Hinc Theologi non modò admittunt gratiam comitantem, ſed prævenientem; iis verò propoſitionem hanc probandam relinquimus: ſufficiat obſervaſſe determinationem hanc, efficaciſſimam licèt, non nocere libero hominis arbitrio, ut iidem Theologi probant, præſertim ex S. Auguſtino.

SECUNDA PROPOSITIO.

Deus phyſicè nos determinat ad individuum actionis.

Probatur: nam, ſi careamus potentiâ nos determinandi ad individuum actionis, certè Deus nos determinare debet: porrò caremus hâcce potentiâ; inde libertas noſtra extenditur quidem ad ſpeciem, exercitium, & intenſionem, ſed non extenditur ad individuum: hinc nullum eſt meritum, nullum demeritum ex individuo actionis.

Obſerva propoſitionem eſſe de individuo actionis, non de individuo objecti: v. g. Petrus habet potentiam ſe determinandi ad amandum ſuum patrem potiùs quàm alium; ipſius pater eſt hic homo potiùs quàm ille: en individuum objecti; ſed

† 1. Cor. 4.

non habet potentiam ipſum amandi hoc numerò amore potiùs quàm illo.

TERTIA PROPOSITIO.

Determinamur in noſtris actionibus ab objectis quæ in nos agunt.

Patet experientiâ : nam, ſi objecta non moverent facultates noſtras, manerent inertes & otioſæ : hoc quippe diſcrimen eſt inter divinas & noſtras, quòd objectum divinarum ſit merè terminans, objectum verò noſtrarum ſit motivum; enimverò priùs quàm agamus, neceſſe eſt ut ſint in nobis impreſſiones; ſcilicet Deus nihil patitur : patimur autem nos ab extrinſeco : ſunt occaſione motuum in variis partibus corporis noſtri variæ impreſſiones in principio cogitante, ut dictum eſt, & fuſiùs exponetur.

QUARTA PROPOSITIO.

Objecta circumſtantia ferè ſemper imponunt animæ neceſſitatem ut ſentiat.

Patet eâdem experientiâ : ratio petitur ex concupiſcentiâ rebelli; nimirùm poſitâ ſemel certâ diſpoſitione mechanicâ in corpore noſtro, eſt protinùs in animâ ſenſatio: v.g. famis, poſitâ certâ diſpoſitione ventriculi, viſionis, poſitâ commotione nervi optici, amoris, poſito certo ſanguinis fluxu, certâ

temperie, &c. Hinc ſenſus peccatum non eſt, quia nemo peccat in eo quod cavere non poteſt; hinc motus primo primi peccata non ſunt; ſunt quidem imperfectiones Naturæ, quæ ab innocentiæ ſtatu excidit: ſed illæ imperfectiones non imputantur ad culpam: ſignificantur * grabato quod homo ſanus factus ferebat.

Dixi *ferè ſemper*: nam, ſi modò aliis objectis poſſit diſtrahi principium cogitans, fieri poteſt ut objecta non excitent impreſſiones, licèt validiſſimè feriant organa: v. g. miles totus vindictæ intentus nullum dolorem ſentit, licèt plurimis plagis afficiatur, quia non attendit, nec ullam ſui corporis habet rationem: ſic Preſbiter Affricanus de quo loquitur S. Auguſtinus, ità à corpore abripiebatur, ut nullo dolore tangeretur, licèt igne admoto combureretur.

Hinc majori dolore afficiuntur qui majorem corporis curam habent, qui ipſi conſervando ſemper ſtudent, ſi aliquatenùs lædantur, v. g. mulieres præſertim nobiles, quæ ſui corporis cultum affectant, ad minimam vel cuticulæ læſionem dolore maximo afficiuntur; ſic pariter quidam viri muliebriter inſanientes: at vir fortis & cordatus eadem omninò negligit, neque ullo dolore inde cruciatur. Hinc mirum non eſt ſi Mar-

* Joan. 5.

tyres, ſi Confeſſores, qui corpus jejuniis macerabant, lacerabant ſuppliciis, variiſque pœnitentiæ inſtrumentis, qui ſpectabant corpus ut ſarcinam impedientem ne ad Deum convolarent, exultaverint & iverint gaudentes, quoniam digni habiti fuerant pro Chriſto contumeliam pati, & acerbiſſima mors ipſis plena gaudii viſa fuerit: porrò, ut ità corpus ſpectarent, neceſſaria erat gratia Salvatoris.

QUINTA PROPOSITIO.

Objecta circumſtantia, dum movent, non imponunt animæ neceſſitatem ut conſentiat.

Probatur: nam non imponunt neceſſitatem ſubſtantiæ, quæ poteſt conſentire, vel non: atqui anima rationalis poteſt conſentire, vel non; eſt enim libera, ut probatur in Moralibus; ergo, &c.

Et certè, licèt ſenſus ſit neceſſarius, conſenſus liber eſt, ſi anima poſſit ſenſum minuere, & ad alia objecta ſe convertere: atqui id frequenter contingit; porrò, dum anima ad alia objecta ſe convertit, major propenſio vincit aliam, ipſamque debilitat, in quantùm pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus: ſenſui autem debiliori denegare conſenſum non ità difficile eſt.

SEXTA PROPOSITIO.

Præter illas motiones, neceſſarius eſt Dei concurſus, quo Deus ipſe nobiſcum agat.

Probatur: ut enim talis concurſus neceſſarius ſit, ſufficit quòd actio noſtra, etiam dum ſit, eſſentialiter à Deo dependeat: atqui dependet à Deo eſſentialiter; ergo, &c.

Quemadmodum autem actio quâ Deus conſervat creaturas in eſſe ſuo, nihil aliud eſt quàm perpetuus divinæ voluntatis influxus, quo vult eas ſemel factas tam diù permanere, ità actio quâ concurrit cum creaturâ nihil aliud eſt quàm perpetuus divinæ voluntatis influxus, quo vult creaturam, quæ habet potentiam agendi, peragere in tempore quæ ipſe decrevit.

Objectionum Solutio.

Objicies. Si Deus concurreret cum creaturâ ad omnes ejus actiones, eſſet auctor peccati: abſurdum conſequens; ergo & antecedens.

Diſtinguo majorem: peccati materialiter ſumpti, concedo: formaliter ſumpti, nego: pariter diſtinguo minorem, & nego conſequentiam.

Itaque, quia peccatum formaliter ſumptum non eſt quid poſitivum, non eſt actio ipſa, ſed abſentia bonitatis, ideò, licèt Deus

concurrat ad noſtras actiones, non eſt auctor peccati formaliter ſumpti.

Inſtabis : quando duo ſunt infallibiliter connexa, qui eſt auctor unius, cenſetur eſſe auctor alterius : atqui materiale peccati plerumque & formale peccati ſunt duo infallibiliter connexa; ergo Deus eſt auctor peccati formaliter ſumpti.

1°. Nego majorem : nam, v. g. claudicatio venit à cauſis omninò diverſis; nimirùm claudicatio, ut claudicatio eſt, venit à curvitate tibiæ, & claudicatio, ut eſt motus, oritur à vi motrice : atqui tamen claudicatio ut eſt motus, & claudicatio ut claudicatio eſt, ſunt duo infallibiliter connexa; ſcilicet, ut uno exemplo plura complectar, motus & determinatio motûs ſunt duo infallibiliter connexa; eſt tamen alia cauſa motûs, alia cauſa determinationis : v. g. pila habet à brachio quòd moveatur; habet à reticulo quòd ſuperiorem vel inferiorem partem petat : ſunt ejuſdem rei alia exempla. Egregius pictor utatur penicillo depravato, quidquid boni erit in tabellâ, ad pictorem, quidquid deficiet, ad penicillum referetur : pariter ſcriptor peritus dirigat manum tironis, quidquid erit benè ſcriptum magiſtro tribuetur; quidquid verò devium, intelligetur eſſe tironis opus : eâ ferè ratione Deus nos dirigit, quod bonum eſt in actione ab ipſo oritur; quod deficit, à nobis.

2°. Diſtinguo majorem : cenſetur eſſe auctor alterius permittendo, concedo : efficiendo, ſubdiſtinguo : ſi ſit poſitivum, tranſeat : ſi ſit abſentia poſitivi, nego : porrò formale mali poſitivum non eſt, ſed eſt abſentia bonitatis.

Inſiſtes : Pictor utens penicillo quem emendare poſſet, ſi vellet, cenſeretur auctor defectûs in tabellâ ; Deus verò poteſt nos emendare, ſi velit ; ergo cenſeri debet auctor defectûs qui in nobis eſt.

1°. Ad antecedens : Pictor utens malo penicillo quem poſſet emendare, non ideò cenſeretur auctor defectûs ; potuit enim ipſum non emendare, ut omnes intelligerent ſuam peritiam, in eo quòd malo uſus penicillo, rem tamen egregiam depinxerit ; quippè ex infirmitate inſtrumenti colligitur peritia opificis, ſicut ſapientia & omnipotentia colliguntur ex eo quòd, ſi Deus permittat mala, ex illis eliciat bona.

2°. Magna eſt diſparitas Deum inter & pictorem ; pictor quippe eſt cauſa particularis, quæ proinde operi ſuo invigilare debet : at verò Deus eſt proviſor generalis totius Univerſi, qui bono totius Univerſi debet ſtudere : porrò eſt de bono Univerſi ut mala quædam eveniant, ut patebit poſteà.

Urgebis : ſi Petrus concurrat cum Paulo ad actionem malam, certè Petrus erit auctor peccati formaliter ſumpti ; ergo etiam Deus,

ſi concurrat ad actionem malam cum creatura.

Nego conſequentiam : diſparitas eſt, quiâ Petrus concurrens non modò efficit materiale, ſed deficit in formali : porrò Deus nunquam deficit.

Probatur : ille deficit qui non impedit malum quod poteſt impedire : atqui Deus in hâc hypoteſi non impedit malum quod poſſet impedire.

Diſtinguo majorem : ſi ſit cauſa particularis, concedo : ſi ſit univerſalis, nego : ideò verò Proviſor generalis non deficit, etiamſi non impediat malum quod poſſet impedire, quia ipſe debet intendere bonum Univerſi, ut modò dicebam, debet intendere manifeſtationem ſuæ ſapientiæ, miſericordiæ, juſtitiæ, omnipotentiæ, &c. Porrò eſt de ratione boni univerſi & ejus perfectione, ut mala ſint, nec aliter poſſunt manifeſtari attributa divina; videlicet quomodò parceret Deus, quomodò puniret? nonne eſt maximum omnipotentiæ, ſapientiæ argumentum, quòd ex illis malis eliciat bona? quippe * *ſuſtinuit in multâ patientiâ vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, &c.* Si non eſſet perſecutio Tyrannorum, non eſſet patientia Martyrum; multa bona deeſſent

* Rom. c. 9.

Univerſo, ſi non eſſent mala: *Deus*, inquit Auguſtinus, * *Ordinationes ſæculorum tanquam pulcherrimum carmen quibuſdam antithetis honeſtat, & Univerſi pulchritudo conſurgit ex ordinatâ bonorum & malorum commixtione*; *ſicut*, inquit S. Thomas, *ſilentii interpoſitio dulciorem efficit cantilenam, & umbræ ipſæ tabellas exornant, ſine quibus omnis pictura, quantumvis lucidiſſimis coloribus expreſſa, foret imperfecta.*

Quotuplex ſit Deus.

Pagani plures admisêre Deos cujuſcumque generis, cujuſcumque ſexûs, mares & fœminas.

1°. Voluêre homines quoſdam heroas eſſe Deos, putà Saturnum, Jovem: deinde Inventores Artium vitæ humanæ inſervientium: Æſculapium, Mercurium, Cererem, Apollinem; imò in iis tenebris verſati ſunt, ut altaria vitiis conſecraverint, quò liberiùs iis indulgerent: Ebrietati ſub invocatione Bacchi; Luxuriæ ſub invocatione Veneris; Avaritiæ ſub invocatione Pluti; Ambitioni ſub invocatione Fortunæ, &c.

2°. Pecudes ipſas Deos voluêre: quidam vaccam, alii crocodilum.

3°. Solem alii, alii Lunam adorabant;

* Lib. 1. de Civ. Dei, c. 18.

imò legitur quoſdam magis inſulſos ipſum ventris crepitum Deum ſalutaſſe. Dies deficeret, ſi Deorum Dearumque familias, quas deluſa Gentilitas induxit, & etiamnum colit, recenſerem.

Hæretici quidam, quos Manichæos vocant, putantur exiſtimaſſe dari duos Deos; unum boni principium, alium qui foret mali origo: quas omnes opiniones ut execrandas deteſtetur qui vult ſapere.

Sunt enim cupiditatis & ignorantiæ proles opera tenebrarum; ſit itaque

CONCLUSIO.

Unus eſt Deus.

Probatur: nam, ſi eſſent duo Dii, Saturnus, v. g. & Jupiter, vel unus poſſet agere ſine alio, vel, ſi non poſſet agere Jupiter ſine Saturno, ergo infirmus Jupiter & impotens; ſi verò poſſet agere ſine Saturno, ergo Saturnus inutilis, & viciſſim: atqui repugnat Deus infirmus, vel Deus inutilis; Deus enim eſt ens omnipotentiſſimum, & neceſſarium; ergo Deus unus eſt.

Poſſet quis arguere rationem hanc militare contrà Trinitatem perſonarum, ſic inſtituendo argumentum: ſi eſſent tres perſonæ, vel una poſſet agere ſine duabus, vel non; ſi non poſſet agere ſine duabus, ergo infirma, proindeque non Deus; ſi

poſſet agere ſine duabus; ergo duæ inutiles, proindeque non Deus, & conſequenter una eſt perſona.

At maxima eſt diſparitas: reverà una perſona divinà agere non poteſt ſine duabus; ſed illud non oritur defectu potentiæ, ſicut oriretur in pluribus Diis: oritur illud in tribus perſonis divinis; quia, cùm ſit una tribus perſonis natura, una eſt earum potentia; proindeque non defectu potentiæ, ſed participatione ejuſdem potentiæ fit ut una perſona divina non poſſit agere ad extrà ſine duabus: at in pluribus Diis diſtincta foret natura, diſtincta foret potentia; proindeque ſi unus Deus non poſſet agere ſine alio, hoc oriretur ex defectu potentiæ, quæ aliam potentiam requireret adjuvantem & aſſiſtentem ſibi.

Et verò illi Dii plures, vel ſpecie differrent, vel numero diſtinguerentur: ſed neutrum dici poteſt; nam ſi ſpecie differunt, eſt ergo aliqua perfectio in uno quæ non eſt in alio, & viciſſim, proindeque non ſunt perfectiſſimi & conſequenter non ſunt Dii: non poteſt etiam dici quòd numerò diſtinguantur; nam ex hypotheſi amborum erit multiplex numerò natura, multiplex intellectus, multiplex numerò voluntas: ſed ex eo multa ſequuntur incommoda; nam, licèt concipiatur quomodò illi Dii idem ſemper velint in iis quæ neceſſariò

volunt, non concipitur quomodò conſentiant in iis quæ liberè efficiunt, & modis diverſis fieri poſſunt; hinc poterunt eſſe diſſidia, altercationes & bella inter Deos, quod & ipſi Poëtæ Paganorum Theologi faſſi ſunt, cùm Deorum Dearumque lites expreſsêre.

Denique ſi ſint Dii plures, quidni ſint infiniti; nulla quippe potior ratio eſt cur admittantur duo, tres, centum, mille, vel alius quilibet numerus quàm infinitus; quid autem iſto commento abſurdius fingi poteſt?

De Angelis.

Hoc nomen *Angelus* venit à Græco ἄγγελος, latinè nuntio, quia Angeli ſunt nuntii Dei, & veluti miniſtri; ideòque in ſcripturis vocantur adminiſtratorii ſpiritus, quia, ut docet Theologia, ſæpiùs deſtinantur à Deo in miniſterium & ſalutem hominum.

Quid ſit Angelus.

Angelus definitur à Theologis ſubſtantia ſpiritalis, contingens & completa.

Dicitur ſubſtantia, quia eſt ens per ſe ſubſiſtens, & in eo differt ab accidentibus.

Dicitur ſpiritalis, quia non habet plures partes entitativas, id eſt, quæ ſubſtantiæ ſint.

Dicitur contingens, quia eſt à Deo pro-

ducente ipſam ex nihilo ſuî, & ex nihilo ſubjecti.

Denique dicitur ſubſtantia completa; quia non unitur ſubſtantialiter corpori, atque in eo differt ab animâ rationali, quæ unitur ſubſtantialiter corpori noſtro, ut cum ipſo efficiat totum, quod eſt homo, id eſt, totum, quod conſtat ex corpore & ſpiritu.

Angelos non habere corpus probent Theologi, quibus incumbit ſatisfacere objectionibus quæ petuntur ex Scripturâ & Patribus. His ità poſitis, facilè intelligitur quid ſint Angeli, quodnam attributum ſit genus, quodnam ſit differentia.

An ſit Angelus.

Definiuntur Angeli; ergo ſaltem ſunt poſſibiles, nam attributa ex quibus conſtant, ità concipiuntur, ut unum non deſtruat alterum.

Verùm cùm in ideâ Angeli non includatur exiſtentia, quippe qui ſit ens contingens, ex illâ ideâ colligi non poteſt quòd exiſtat Angelus; proindeque exiſtentia Angelorum non probatur ex ſolâ ideâ, nec etiam petitur ex ſolâ relatione ſenſuum noſtrorum, quia Angeli materiales non ſunt; at nititur relatione divinâ, ſeu autoritate Scripturarum & traditionis.

Jam verò nos non agimus ex motivo

fidei in rebus philoſophicis: quærimus ergo quomodò poſſit detegi philoſophicè exiſtentia Angelorum; &, cùm exiſtentia non ſit in ideâ ex antedictis, quærimus utrùm poſſit detegi, vel ex parte cauſas efficientis Angelorum, vel ex parte effectuum, qui ipſorum exiſtentiam arguant: his poſitis, ſit

PRIMA PROPOSITIO.

Exiſtentia Angeli non poteſt certò colligi ex parte cauſæ quæ ipſum produxit.

Probatur: quia, cùm Deus ſit liberrimus in operibus ſuis, cùm liberè hæc vel illa decreverit, & nemo fuerit ejus conſiliarius, cùm nemo intraverit in ejus potentias, cùm ille ſit cujus viæ non ſunt inveſtigabiles, lucem habitans inacceſſibilem, ſanè non poſſumus certò colligere quòd reverà Angelos produxerit, vel non produxerit: illorum ergo exiſtentia ratione non conſtat à priori; reſtat ergo difficultas de demonſtratione à poſteriori, id eſt, per effectus; his poſitis, ſit

SECUNDA PROPOSITIO.

Exiſtentia Angelorum non poteſt certò colligi ab effectibus.

Probatur: nam exiſtentia Angelorum non poteſt certò colligi ab effectibus, ſi non habeant neceſſariam connexionem cum ſtupendis effectibus Energumenorum, Magorum

& Sagarum : atqui exiſtentia Angelorum non habet neceſſariam connexionem cum ſtupendis effectibus Energumenorum, Magorum & Sagarum; licèt enim omnes iſti ſtupendi effectus ſuam haberent fidem, & veritatem, licèt admitterem varias hiſtorias quæ circumferuntur, tamen nec inde probari poſſet eſſe Dæmonas, eſſe Lemures; quippe dici poſſet quòd animæ ſeparatæ à corporibus, Deo permittente, mirabiles hujuſmodi effectus producant, ſive una, ſive plures, junctis ſimul viribus id efficiant.

Licèt admittam ego auctoritate Scripturarum, Patrum, dari Magos & Sagas, Lemures & Dæmonas, tamen plerumque puerilia ſunt & inſulſa in illis narrationibus de Magis, Sagis & Lemuribus; ſæpè ſæpiùs decipiuntur rerum illarum auditores.

Dices: Magi & Sagæ damnantur ut ſontes & rei à Magiſtratibus; ergo, &c.

Diſtinguo antecedens : damnantur ob profanationem myſteriorum, concedo : ob magiam præcisè, nego.

Inſtabis : quidam ex illis fatentur ſe eſſe Magos, ſe allocutos fuiſſe Dæmonas quibus imperium ſuî permiſerint.

Hæc fateor, ſed illud fit quia deluſi ſunt phantaſmatibus, ob ſocordiam; ſunt enim iſti, ut plerumque vulgus putat, paſtores ovium, viri ſine litteris, & in ſummâ rerum ignoratione verſati, pigri homines

& inde plerumque nefarii : hi nullis opibus valent, licèt dæmon cenſeatur habere theſauros; tunc ob aliqua dicta quæ mentem præoccupant, ſanguis ità modificatus nervos pellit, ut excitentur in imaginatione illorum imagines difformium hircorum, ut putet ſe audire voces malignorum ſpirituum, non ſecùs ac qui acutis febribus corripiuntur, apertis tamen oculis & arrectis auribus vident objecta quæ non ſunt, audiunt voces quæ non ſunt, palpant ea quæ non ſunt; &c.

TERTIA PROPOSITIO.

Exiſtentia Angelorum poteſt probari aliquâ convenientiâ.

Hanc convenientiam olim dedit Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. nempe, cùm Deus fecerit creaturam merè corpoream, & alteram partim corpoream & partim ſpiritalem, decens erat ut merè ſpiritalem conderet.

Ex ſolâ ergo fide conſtat invincibiliter Angelorum exiſtentia; quippe Scripturâ ſacra ubique illorum mentionem facit.

Cur ſint Angeli.

Finis Angelorum eſt cognitio & amor Dei; ſiquidem finis omnis creaturæ intel-

lectualis eſt cognoſcere & amare quod eſt optimum & perfectiſſimum : atqui Angeli ſunt creaturæ intellectuales, intellectu & voluntate præditæ : Deus autem eſt quid optimum & perfectiſſimum; ergo finis Angelorum eſt Deus cognoſcendus & amandus.

Cauſa efficiens Angelorum nulla eſſe poteſt niſi ſolus Deus ; nam Angeli per ſolam creationem produci poſſunt : atqui ſolus Deus, ut anteà dictum eſt, creare poteſt ; ergo ſolus Deus eſſe poteſt cauſa efficiens Angelorum.

Cauſa materialis nulla eſt præter genus; formalis verò nulla præter differentiam, ſunt enim ſubſtantiæ merè ſpiritales quæ ex nullâ materiâ componuntur; genus iſtud jam fuit appellatum, ſicut & ipſa differentia.

Quales ſint Angeli.

Sub hoc titulo loquuntur Philoſophi cum Theologis, de loco, duratione, facultatibus, intellectu, voluntate & vi motrice Angelorum; ſit itaque

De loco Angelorum.

Angelos eſſe in loco ratio docet contrà Carteſianos, qui volunt ipſos eſſe nullibi; enimverò eſſe in loco nihil aliud eſt quàm reſpondere alicui parti divinæ immenſitatis: porrò

porrò quidquid exiſtit, eo ipſo neceſſe eſt ipſum reſpondere alicui parti divinæ immenſitatis; ergo; cùm Angeli exiſtant, neceſſe eſt eos eſſe in aliquo loco.

Prætereà Angeli ſunt ſubſtantiæ ſpiritales: porrò, ut anteà dictum eſt, ſubſtantiæ ſpiritales ſunt in loco; ergo Angeli ſunt in loco.

Non ſunt diviſibiliter in loco, ſed ſunt toti in ſingulis loci quem occupant partibus; nam quod eſt in loco diviſibiliter debet habere diverſas entitativè partes, quæ realiter extrà ſe ponantur: atqui Angeli non habent diverſas entitativè partes quæ realiter extrà ſe ponantur, ſunt enim ſubſtantiæ ſpiritales; ergo non ſunt in loco diviſibiliter. Hîc ſolent magnam movere difficultatem Philoſophi de ubicatione Angelorum, ſeu de ratione formali per quam ſint in loco.

Thomiſtæ omnes volunt rationem formalem per quam Angeli ſunt in loco, non eſſe niſi eorum operationem in loco, ità ut hoc ipſo intelligantur in loco, quatenùs in loco operantur; nam, inquiunt illi, modus eſſendi peculiaris ſubſtantiis ſpiritalibus eſt ex earum operatione in aliquâ loci parte, ità ut, dum non operantur in aliquâ loci parte, non ſint in loco: hinc Deus ante mundum conditum non erat in loco.

Cæteri negant, & volunt Angelos per

ſuam ſubſtantiam, hoc ipſo quòd exiſtant, eſſe in loco, ità ut operatio tranſiens Angelorum conſequatur eorum præſentiam in loco: hinc fatentur quidem ex operatione Angeli in hoc loco demonſtrari à poſteriori præſentiam Angeli in tali loco: ſed negant quòd concludi à priori poſſit. His aſſentior; ſit itaque

PROPOSITIO.

Operatio Angelorum non eſt ratio formalis à priori cur Angeli ſint in loco.

Probatur: nam operatio Angelorum non eſt ratio formalis, ſive à priori, cur Angeli ſint in loco, ſi concipiatur eos priùs eſſe in loco quàm operari in loco: atqui concipitur eos priùs eſſe in loco quàm operari in loco; ſicut concipitur aliquid priùs eſſe ſimpliciter quàm operari ſimpliciter; ergo operatio Angelorum non eſt ratio formalis, ſive à priori, cur Angeli ſint in loco.

Itaque Angeli ſunt in loco per extenſionem ſuam, quæ reſpondet certis partibus immenſitatis divinæ; nam unaquæque res formaliter intelligitur in loco, quoties ejus extenſio intelligitur applicata & reſpondens partibus divinæ immenſitatis: v. g. res corporeæ eatenùs in loco eſſe intelliguntur, quatenùs eorum extenſio reſpondet partibus divinæ immenſitatis; ergo pariter res ſpiri-

tales eatenùs in loco conſtitutæ intelliguntur, quatenùs earum extenſio ſpiritali modo reſpondet & applicatur partibus divinæ immenſitatis; ergo pariter res ſpiritales eatenùs in loco conſtitutæ intelliguntur, quatenùs earum extenſio ſpiritali modo reſpondet & applicatur partibus divinæ immenſitatis.

Quanquam illud eſt diſcrimen inter ſubſtantiam materialem & ſpiritalem, quòd non tantùm per varias partes extenſionis, ſed per varias ſubſtantiæ partes quæ ſubſtantiæ ſint, applicetur & reſpondeat variis partibus divinæ immenſitatis ſubſtantia materialis; quippe quæ plures habeat partes, quæ ſubſtantiæ ſint; è contrariò ſubſtantia ſpiritalis non per varias ſubſtantiæ partes, quippe quæ ſit entitativè una, ſed per varias duntaxat extenſionis partes applicatur variis partibus immenſitatis divinæ.

Hinc duplex contactus diſtinguendus eſt, putà contactus ſubſtantiæ materialis, & contactus ſubſtantiæ ſpiritalis: in contactu ſubſtantiæ materialis ſunt & variæ partes ſubſtantiæ, & variæ partes extenſionis: in contactu ſubſtantiæ ſpiritalis ſunt quidem variæ extenſionis partes, ſed non ſunt variæ ſubſtantiæ partes.

De Duratione Angelorum.

PROPOSITIO.

Durant Angeli.

Probatur: nam duratio eſt permanentia entis in eſſe ſuo: atqui permanentia entis in eſſe ſuo Angelis convenit; ergo durant Angeli.

Angeli initium habuêre & ſupponuntur finem nunquam habituri: ideò duratio Angelorum ſolet à Philoſophis ſpecialiter dici ævum; ævum quippe definitur duratio entis permanentis, initium habentis, non finem.

Duratio Angelorum, ut dictum eſt, realiter eſt ſucceſſiva, non quòd ſit res, ſed quòd habeat partes ſeparabiles abſolutè, nec ſecum invicem neceſſariò connexas, putà partes præteritas, præſentes & futuras; nam, ſi debeant in æternum permanere, illud non venit ab ipſorum naturâ & conditione, ſed à bonitate Dei, qui conſervat ipſos, quos poſſet, ſi vellet, annihilare.

Eorum autem ſubſtantia ſemper tota eſt pro quolibet inſtanti, quia indiviſibilis eſt, cùm ſit entitativè una; cum hoc tamen diſcrimine à Deo, quòd perfectiones habere poſſit Angelus ſucceſſivè; Deus autem omnes ſimul habeat, & quidem neceſſariò: ratio eſt, quia omnes perfectiones ſunt Deo eſſentiales; at perfectiones omnes quarum

capax eſt Angelus non ſunt ipſi eſſentiales.

De facultatibus Angelorum.

Tres in Angelis diſtinguunt facultates Philoſophi, intellectum, voluntatem, & vim motricem.

In Angelis non eſt facultas ſenſitiva qualitatum patheticarum: v. g. non vident colores, non audiunt ſonos, non guſtant ſapores, non olfaciunt, quia facultates illæ ſunt eatenùs utiles quatenùs eſt corpus conſervandum: atqui Angeli corpus non habent conſervandum; ergo, &c.

Eſt in Angelis facultas paſſiva obnoxia pluribus motibus: v. g. timori, gaudio, dolori, triſtitiæ, amori, odio, &c. cum hoc diſcrimine à nobis quòd anima rationalis ſuos affectus referat ad partes corporis organicas quæ fuerunt illorum affectuum occaſiones; at Angelus, quia eas patitur independenter à corpore cui ſubſtantialiter uniatur, ſibi ſoli refert.

Eſt in Angelis facultas ſibi repræſentandi extenſionem configuratam; eſt-ne igitur imaginatio in ipſis? quæſtio de nomine; nam non eſt hæc imaginatio quæ excitetur phantaſmatibus corporeis & ſpectris, ſed eſt imaginatio, ſi nomine imaginationis præciſè intelligatur repræſentatio extenſioſionis terminatæ; quis enim neget Angelos, quin & ipſum Deum concipere triangula,

quadrata, circulos, &c. ergo imaginatio hoc ſenſu in Angelis.

In ipſis eſt facultas percipiendi cum facultatibus judicandi, diſcurrendi, ordinandi.

Creato ſemel Angelo, quia innocens eſt, concipiuntur in ipſo facilitates inexiſtentes facultatibus, quia in ipſo non ſunt præjudicia, & facilem dare poteſt attentionem objectis propoſitis: at, ſi peccet Angelus, cùm peccati pœnæ ſint durities cordis & mentis cæcitas, certè in ipſo datur ignoratio rerum, niſi Deus aliter permittat; nam ipſe facere poteſt propter aliquem finem, v. g. ut magis puniat; poteſt, inquam, facere ut in peccatore remaneat perceptio, quâ bonum, quod amiſit, cognoſcat, ut inde doleat vehementiùs.

Licèt in Angelo innocente adſit perfecta facilitas cognoſcendi omnia, non ideò eſt omnium cognitio, quia ipſius mens finita eſt, eſt tantùm in ipſo cognitio eorum quæ proponuntur, ſi modò dederit attentionem, proindeque diſcurrendi facultas in eo eſt; diſcurrere enim eſt procedere à magis noto ad minùs notum, Angelo autem alia magis, alia minùs nota ſunt.

Hîc quæritur utrùm Angeli cognoſcant ſecretas cordium cogitationes.

Sibimet relicti poſſunt illas cognoſcere, ſunt enim entia naturaliter intelligibilia: Angeli autem habent facultatem intelligendi quæ ſit ipſis eſſentialis.

Non cognoſcunt tamen, niſi Deus ipſas cordium noſtrorum cogitationes ipſis proponat, quia, ut objectum cognoſcatur, proponi debet: porrò, ſi ſecretæ ſint cogitationes, à nobis non proponuntur; ergo à Deo proponi debent; ergo, niſi Deus illas ſecretas cogitationes noſtras ipſis proponat, nunquam eas cognoſcent.

Utrùm verò Deus reverà proponat ſecretas cordium cogitationes quærunt plurimi; alii affirmant, alii negant; pro quibus ſit

PROPOSITIO.

Deus non proponit Angelis ſecretas cordium cogitationes.

Probatur 1°. Ex Scripturâ. *Solus Deus*, inquit, *ſcrutatur corda* & *renes hominum*.

2°. Ratione ſic probatur. Subſtantia ſpiritalis percipiens ſui juris eſt & domina ſuorum actuum, quos proinde poteſt, & legere, & manifeſtare, in quo certè elucet præcipua dos ſubſtantiæ ſpiritalis percipientis; ergo videtur quòd Deus noſtra ſecreta cordium non proponat Angelis; proindeque illa non cognoſcit Angelus, niſi nos proponamus ipſi, & manifeſtemus, tuncque ſecreta non ſunt.

Ex his omnibus patet quanta ſit creaturæ ſpiritalis dignitas, quæ, ſi percipiat, ſoli Deo inferior eſt, & illi ſoli ſervire

debet; & , ſi creaturis utatur, propter ſolum Deum utatur neceſſe eſt : hinc primò timeamus ſolum Deum & homines propter ipſum : hinc ſecundò tenebras non quærat peccator ut peccet liberiùs; Deus, qui ſolus timendus eſt, & in cujus manus incidere terribile eſt , teſte Apoſtolo , ubique præſens videt omnia, intimior nobis intimo noſtro : hinc Pſaltes regius, *mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me , quid potero ad eam? quò ibo à ſpiritu tuo , & quò à facie tuâ fugiam? ſi aſcendero in cœlum , tu illìc es , ſi deſcendero in infernum , ades; ſi ſumpſero pennas meas diluculò, & habitavero in extremis maris, etenim illùc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.*

Ex hoc patet Angelum verè , certò & evidenter de ſecretis cogitationibus alterius Angeli non judicare , niſi alter Angelus proponat.

De Modo cognoſcendi Angelorum.

Angeli, hoc ipſo quòd ſint, vivunt : vita ſubſtantiæ ſpiritalis percipientis eſt cogitatio; ergo ſemper cogitant.

Circa modum cognoſcendi Angelorum graviter & copioſè diſputant Philoſophi & Theologi. Fateor ego à me non intelligi quæcumque de hoc argumento dicta ſunt: Quòd, quia fortaſſe oritur à noſtri ingenii infirmitate, non ideò illos arguo.

De Modo quo Angeli ſeſe alloquuntur.

Idem de hoc dubio dico, quod de præcedenti quæſtione. Neſcio utrùm ex præjudiciis agam in hiſce omnibus, utrùm ſufficientem dederim attentionem; feci tamen quod potui, & certò ſcio hæc à me non intelligi: verba quidem aliorum facilè proferrem; ſed nihil apud me ſignificant, & nullam ſuî ideam in mente meâ excitant, ſi demas repræſentationem litterarum & ſyllabarum.

De Voluntate Angelorum.

Voluntas eſt altera ſubſtantiæ ſpiritalis facultas, quæ intellectum conſequitur; proindeque eſt in Angelis voluntas, & conſequenter Angeli potuêre exercere actus omnes qui ad voluntatem pertinent.

De Libertate Angelorum.

Hoc ipſo quòd aliqua ſubſtantia ſit perceptionis capax, eſt illa libera: porrò Angeli ſunt perceptionis capaces; ergo Angeli ſunt liberi: ſi ſint liberi, potuêre eligere media, benè ſervato finis ordine; qui media idonea elegerunt, illi ampliùs adjuti, ſalvi facti ſunt, & dicuntur Angeli boni; qui verò aliter egêre, ſuo malè utentes libero

arbitrio, damnati ſunt, & dicuntur Angeli mali ſeu Cacodæmones.

De Vi motrice Angelorum.

Subſtantiis ſpiritalibus vulgò tribuitur vis motrix, quâ ſe moveant & alias ſubſtantias ſpiritales, nec-non corporeas; quod quidem plurimis ità certum videtur, ut non probent.

Hîc ego de hoc argumento non diſputabo; ſaltem ſubſtantiæ ſpiritales ſunt occaſiones cur ſint in ipſis motus & in aliis ſubſtantiis; quod ſufficit, ut dicantur ſe movere & alia.

His poſitis, Angelus habet vim quâ ſe moveat, quia Angeli dicuntur ſe movere in Scripturâ ſacrâ: v. g. Raphaël fuit comes itineris cum Tobiâ juniore; miſſus eſt Gabriel ad Mariam Virginem.

Deinde vim habent, quâ moveant alia corpora; patet ex Scripturis, in quibus Angeli aſſumunt corpora: ſic Angelus, qui luctabatur cum Jacob: ſic Angeli, qui venerunt ad Abraham; ſic Angeli, qui venerunt ad Lot; ſic Raphaël, qui venit ad Tobiam: hinc poteſtas illa conceſſa Dæmonibus quâ in aëre moveant tempeſtates, excitent ventos.

Quæres, qualia corpora aſſumebant Angeli.

Miror difficultatem hanc fuiſſe propoſitam; nam quid ad nos, ſive corpora mortuorum hominum aſſumpſerint, ſive corpora conflata de novo, aut ex aëre, aut ex aquâ, aut ex alio quovis corpore.

Quæres quomodò fuerint unita illis corporibus.

Non fuerunt certè unita ſubſtantialiter, nec enim reſultavit totum ex Angelis & corporibus; nec enim fuerunt in Angelis impreſſiones occaſione motuum in illis corporibus.

Quapropter movebant illa corpora ut artifex movet arte factum, v. g. horologium.

Sunt quidam qui dixerunt non aſſumpſiſſe corpora, ſed Deo volente, excitatas fuiſſe in hominibus impreſſiones de corporibus, quas conſequebantur relationes & teſtimonia ſecundùm quæ putabant homines eſſe vera corpora.

Sed alii negant & arguunt futurum fuiſſe ut inde foret illuſio & deceptio. Præterèa arguunt homines fuiſſe genitos ab hominibus, fuiſſe genitos à Dæmonibus, quod non potuiſſet fieri ſine corpore; ſed fabulavit hæc ultima ratio.

Quotuplex ſit Angelus.

Plures eſſe poſſe Angelos & naturam Angeli poſſe multiplicari evincit ratio: hæc

enim natura, cùm finita ſit & creabilis; certè nihil repugnat quominùs ſit multiplicabilis.

Difficultas inter Scholaſticos eſt utrùm ſint ſpecie multiplices, utrùm numero: ſed nullam ego agnoſco, quidni ſint Angeli qui differant? quidni ſint ſimiles?

Magni nominis Thomiſtæ volunt Angelos non poſſe multiplicari, niſi ſpecie, ità ut unus Angelus neceſſariò differat ſpecie ab alio: quia, inquiunt, duo Angeli non poſſunt eſſe duo individua, nec ſunt niſi duæ ſpecies; cujus pronuntiati rationem afferunt, quia materia ſignata eſt principium individuationis: porrò in Angelis non eſt materia ſignata. Suprà vidimus quàm malè aſſerant Thomiſtæ materiam ſignatam eſſe principium individuationis.

Auctor libri de cœleſti Hierarchicâ Angelos diſtribuit in tres Hierarchias, & in quâlibet Hierarchiâ reponit tres choros: porrò Hierarchia eſt ordo perſonarum Deo ſacrarum ſub uno Principe: chorus verò eſt cœtus perſonarum ſacrarum ſimili munere fungentium.

Prima Hierarchia continet Seraphinos, Cherubinos & Thronos; ſecunda Virtutes, Dominationes & Poteſtates; tertia Principatus, Angelos & Archangelos.

Totius Hierarchiæ Princeps vulgò creditur ſanctus Michaël, quia legitur ille in

Apocalipſi tanquam Anteſignanus & Dux, Satanam vincens & debellans.

Qui ſcire voluerit alia plurima ad Hierarchiam cœleſtem pertinentia, legat ſanctum Thomam 1. p. q. 108. ubi argumentum hoc rationum momentis proſequitur; ſed qualia ſint judicabis: legat librum de cœleſti Hierarchiâ, qui iiſdem ferè rationibus totus luxuriat. Id unum ego cum Scripturâ de Angelorum multitudine dico: millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.

DE ANIMA RATIONALI.

RECENTIORES noſtrum principium cogitans mentem dixerunt, prout ſumitur ſecundùm functiones illas quibus eſt à corpore independens; animam verò appellarunt, prout ſumitur ſecundùm functiones illas in quibus habendis à corpore dependet; ego, ne aliquid ſumam quod non probetur, ipſum ſimpliciter appellabo principium cogitans; itaque ſit

Quid ſit principium noſtrum cogitans, & an ſit.

Ego cogito: propoſitio certiſſima ex intimo & immediato conſcientiæ ſenſu, ut

vidimus : ergo exiſtit res aliqua cogitans : fatentur omnes : ſed quæritur quid ſit res illa, an corpus, an ſpiritus.

Democritus, Epicurus, Lucretius, cùm non admitterent niſi corpora, conſequenter opinati ſunt rem quæ cogitat in nobis eſſe corpus, non qualecumque, v. g. non terreſtre, non craſſum, ſed leve, tenue, putà ſpiritus animales, cremorem & fluorem ſanguinis: hinc explicant quomodò ſit in pueris fragile cogitandi principium, in ſenibus delirans, languidum in melancholicis, fervidum in iis quorum ſanguis effervefcit, &c. nimirùm diſpoſitionibus mechanicis partium noſtri corporis quas fatentur neceſſarias ad illas impreſſiones habendas, tribuunt ipſas impreſſiones : unde apud ipſos non modò ſunt occaſiones impreſſionum, ſed ſunt ipſæ cauſæ, aut patientes, aut producentes.

Hanc Epicuri ſententiam videntur ſequi litterati apud Sinenſes, volunt enim animam eſſe partem ſubtiliorem ſanguinis, ità ut morte ſeparetur hæc pars ſubtilis à parte craſſiori; ità ut petat ſublimem aëra, cœlos ipſos, deſcendatque vocata ad ſacrificia.

Hinc omnes qui animam voluêre corpus, non ideò exiſtimaverunt ipſam morte interire, & eſſe corruptioni obnoxiam : inter eos plures voluerunt partem ſubtiliorem hominis manere ſuperſtitem, & eſſe forſan

hujuſce tenuitatis, ut diſſolvi non poſſet, ut nihil pateretur à cauſis extrinſecis.

Socrates, Plato, Carteſius & his omnibus ſuperior Scriptura ſacra tum veteris, tum novi teſtamenti, tenent noſtrum principium cogitans eſſe ſubſtantiam à corpore diverſam: quas adhibuerit rationes Carteſius retuli, viſæ ſunt mihi minùs efficaces; alias, quas forſan indicavit, ſic ſubjungo.

PROPOSITIO.

Principium noſtrum cogitans eſt ſubſtantia à materiâ diverſa.

PRIMA DEMONSTRATIO.

Cogitatio non poteſt eſſe à materiâ ſuis inſtructâ modificationibus, qualeſcumque tandem illæ ſint; nam illæ modificationes vel veniunt ab extenſione materiæ, ab ejus diviſibilitate, vel impenetrabilitate, & reſpiciunt ſitum, texturam & configurationem partium; vel complectuntur motum, quantitatem & determinationem motûs: atqui cogitatio nequit eſſe ab illis modificationibus.

1°. Quidem cogitatio nequit eſſe à materiâ modificationibus primi generis donatâ, ut fatentur ipſi adverſarii, nam cogitatio non venit ab eo principio quod eſt adhuc iners,

paſſivum & otioſum, cujuſlibet actionis incapax, in quantùm quædam è noſtris cogitationibus poſtulant principium activum: atqui materia, inſtructa ſolis modificationibus primi generis, eſt adhuc iners, otioſa & merè paſſiva; eatenùs quippe materia, fatentibus adverſariis, intelligitur agens, quatenùs motu, quantitate motûs & determinatione prædita eſt; ergo cogitatio non venit à materiâ, &c.

2°. Cogitatio eſſe nequit à materiâ inſtructâ motu, quantitate motûs & determinatione; nam ad hoc ſatis eſt quòd intellecto motu, quâvis quantitate motûs, quâvis determinatione in materiâ quocumque modo figuratâ & diſpoſitâ, non ſequatur materiam cogitare: atqui intellecto motu, quâvis quantitate motûs, quâvis determinatione in materiâ quocumque modo figuratâ & diſpoſitâ, non ſequitur materiam cogitare; quippe id unum ſequitur quòd fiat præſens loco ſucceſſivè, quòd ipſa vel ejus partes celeriùs vel tardiùs moveantur; quòd ipſa vel ejus partes petant hanc vel illam loci partem; ergo cogitatio non venit, &c.

Et certè ipſa materia ut mota non cogitat, ſi motus ipſe ſit in materiâ, non à materiâ: atqui verum conſequens; nam *corpus quod quieſcit, in æternum quieſcit, niſi ab alio moveatur: corpus quod movetur, eâdem celeritate ſemper movetur, niſi ſit cauſa ex-*

trinſeca aut augens, aut retardans motum: corpus quod movetur, rectà movetur; ſi ſemel petat orientem, versùs hanc partem perget, niſi ſit obex repellens; *ergo*, *licèt* cogitatio prodiret à motu, à quantitate & determinatione motûs, non prodiret tamen ab ipsâ materiâ tanquam à re cogitante; ergo ſubſtantia cogitans eſt ſubſtantia diverſa à materiâ.

Reſpondent Epicurei hæc axiomata eſſe vera de corporibus terreſtribus & craſſioribus intellecta, ſed eſſe falſa, ſi referantur ad corpora exigua, tenuia, ipſo aëre & igne ſubtiliora, proindeque cogitationem non procedere ab illis craſſioribus, ſed poſſe oriri à ſubtiliſſimis.

At quàm inſulſa ſit hæc reſponſio in Phyſicâ docebitur; enimverò corpus, quantumvis tenue, non deſinit eſſe materia; ratio tenuitatis & parvitatis non impediunt quominùs maneat ſemper quid iners, paſſivum & otioſum; nempe, ſi à tenuitate corporis prodiret potentia ſe movendi, dividendo corpus in particulas minimas, v. g. lapidem, lignum, tandem fieret ut partes illæ acciperent potentiam ſe movendi & cogitandi, quo nihil abſurdius dici poteſt. Hoc tamen eſt Epicureorum ſyſtema: anima cogitans non eſt niſi cremor ſanguinis fluorque, pars ipſius ſubtilior; fluor ille & cremor ſunt ab alimentis: ergo quis

manducet panem, panis ille non eſt res cogitans; at accipitur ore, dentibus diſcerpitur, & atteritur, ſalivæ intimè unitus fit maſſa, deſcendit in ſtomachum in quo fermenteſcit, & iterùm attritus in pultem abit, deſcendit per pilorum; pars dilutior, purior & tenuior ſubit oſtiola venarum lactearum; iterùm attritus, percolatus, in partes tandem abit ſubtiliſſimas viâ aliquando exponendâ, in ſpiritus animales, ut loquuntur, ſicque fiet res cogitans; intoleranda ſanè abſurditas: hæc fuſiùs aliquando.

SECUNDA DEMONSTRATIO.

Principium noſtrum cogitans non eſt corpus, ſi præter impreſſiones quæ naſcuntur occaſione corporum, ſunt aliæ quæ naſci poſſunt occaſione objectorum quæ corpora non ſunt; ſi præter impreſſiones ſenſilium, ſunt impreſſiones inſenſilium: atqui præter impreſſiones quæ naſcuntur occaſione corporum, ſunt aliæ quæ naſci poſſunt occaſione objectorum quæ corpora non ſunt; præter impreſſiones ſenſilium ſunt impreſſiones inſenſilium, nam ſunt in nobis impreſſiones quæ ſunt conceptus; ſunt perceptiones entium quæ non ſunt extenſio terminata, verbo dicam, entium metaphyſicorum, v. g. univerſalitatis, or-

dinis, ſapientiæ, probitatis, &c. quæ naſci poſſunt occaſione objectorum, quæ corpora non ſunt: hanc rationem luculenter urget ſanctus Auguſtinus, dum obſervat in amico non diligi bona corporis, aut corpus; ſed fidem, benevolentiam, virtutem ipſam; dum obſervat nos aliquando perceptiones ſequi potiùs quàm ſenſationes: *Quid, inquit, in Sanctis diligimus? quid in Martyribus amamus? lanjata à feris membra? quid fœdius, ſi oculos carnis? quid pulchrius, ſi oculos mentis interroges?* oculus carnis deſignat impreſſionem quæ ſenſatio ſit; oculus mentis deſignat ipſum conceptum, quem perceptio ſequitur, quem propenſio naturalis comitatur: *quid tibi* (pergit idem Doctor) *videtur pulcherrimus adoleſcens? amas, diligis: ſi ſit fur, nonne horrent aures tuæ cùm audis quia fur eſt? fugis hæc animo: vides ex aliâ parte ſenem curvum, baculo innixum*, cujus inceſſus labilis eſt, frons rugis undequâque exarata, minio coruſcant oculi, artus carioſi ſunt & ſcabioſi: *quid vides quod oculos delectet? audis quia juſtus eſt, amas & amplecteris.* Ergo præter impreſſiones ſenſilium ſunt impreſſiones de inſenſilibus.

TERTIA DELIBERATIO.

Præteritorum recordamur, futuris tangimur, imò ſunt in nobis impreſſiones de iis quæ fuêre nunquam, quæ non ſunt & fortè nunquam futura ſunt, v.g. de poſſibilibus: attingimus diſtantia quæ ſunt ultrà viſum, auditum, guſtum, tactum, olfactum: imò infinitum ipſum definimus & concipimus; cùm verbi gratiâ, novimus extenſionem dari, dari durationem in infinitum protenſas, ità ut repugnet dari terminum ultrà quem non ſit extenſio, non ſit duratio: porrò quî pars cerebri, pulviſculus, cremor fluorque ſanguinis, aut alia quævis corpuſculorum congeries, poteſt præteritorum recordari, futuris tangi, poſſibilibus occupari, diſtantibus, quæ nulla feriunt organa, moveri; denique infinito non ſuperari; hîc certè deficiunt phantaſmata & idola Epicureorum: quæ imago infiniti delineari poteſt? nulla imago niſi terminata; infinitum verò caret terminis; igitur noſtrum principium cogitans non eſt corpus, qualecumque ſit.

QUARTA DEMONSTRATIO.

Eſt in nobis ratio, quæ eſt univerſalis entium menſura, cuncta ad ordinem revocans: porrò quomodò pulviſculorum

congeries hâc ratione poteſt eſſe prædita? ratione, quâ nihil moliatur aliud in ſuis actionibus, quàm diſponere entia & ordinem in illis conſtitutum detegere? igitur principium cogitans eſt à corpore diverſum.

ULTIMA DEMONSTRATIO.

Eſt in principio noſtro cogitante libertas, quâ nempe impreſſionibus poſſumus non conſentire; imò quâ aliud omninò poſſumus agere, ut infrà demonſtrabitur; eſt quædam appetitûs capacitas, quâ ſatiari non poſſumus re quâvis creatâ, & ampliùs expectamus: porrò corpus, qualecumque ſit, impreſſiones ſequitur, nec in contrarium movetur: in corpore, qualecumque ſit, non poteſt illa univerſalitas appetitûs; nam etiamſi foret in corpore appetitus aliquis, tamen aliquâ re creatâ expleretur; re, inquam, quæ ſibi commenſuraretur, ejuſdem figuræ, ejuſdem extenſionis, uno verbo, ejuſdem diſpoſitionis mechanicæ; ergo, &c.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. Extenſio ſtare poteſt cum cogitatione; ergo materia cogitare poteſt.

Nego conſequentiam: id unum quippe ſequeretur, extenſionem eſſe gradum communem & genericum principio cogitanti

& materiæ; nullatenùs autem ſequitur materiam cogitare.

Objicies 2°. Principium cogitans eſt quoddam corpus, ſi diſpoſitiones corporum ſequatur: ſed principium cogitans ſequitur diſpoſitiones corporum, motibus illorum reſpondet; putà languida eſt in melancolicis cogitatio, prompta in ſanguineis, delirans in ſenibus, propter malè compactas cerebri partes.

Diſtinguo majorem: ſi ſequatur diſpoſitiones corporum quoad omnes functiones, & eo modo quo unum corpus ſequitur aliud, concedo: quoad aliquas functiones, & alio modo quàm corpus, nego: porrò principium cogitans ſequitur quidem diſpoſitiones corporum quoad aliquas functiones; ſed non ſequitur eo modo quo corpus, non ſequitur quoad omnes.

1°. Quidem principium cogitans ſequitur diſpoſitiones corporum quoad ſenſus intimos, id eſt, animi pathemata & ſenſationes; nimirùm occaſione motuum qui ſunt in partibus organicis noſtri corporis, ſunt & ſenſationes & pathemata in nobis cogitantantibus; v. g. ad hunc oculorum motum eſt certa coloris ſenſatio, ad hunc auris pulſum eſt certa ſoni impreſſio; quod quidem adeò verum eſt, ut, ſi vel inter dormiendum ſanguis ſubtilior in arteriolis membranarum fluens eas pellat, nec-non

nervulos, & pungat, ſint profectò impreſſiones quæ ſolent excitari ab objectis ſimiliter impellentibus; ergo principium noſtrum cogitans ſequitur diſpoſitiones corporum quoad ſenſationes.

2°. Principium cogitans aliter ſequitur impreſſiones illas quàm corpus, quia corpus ità ſequitur motus ut contactum non ſentiat, non afficiatur amore, odio, &c. his autem motibus afficitur principium cogitans.

Et certè dum corpus tangitur, non poteſt non ſequi leges motûs: porrò principium cogitans poteſt non ſequi motus corporis; v. g. ſi non attendat ad illos motus. Sic miles totus ad vindictam & ad infligenda vulnera, nullo dolore afficitur de iis quæ ipſi infliguntur: ſic puero ægrotanti dantur munuſcula, ne ad morbum advertat: ſic quidam apertis oculis non vident, licèt objecta retinam feriant: ſic quidam de ſcabie corporis multùm quæruntur, de quâ ne quidem alii cogitant: ſic mulieres cultui ſui corporis plurimùm intentæ mentis ægritudine laborant ob labem in vultu, vel in cute ſciſſuram minimam: hinc tam vehementes in ipſis animi motus: hinc pravæ affectiones in ſimias, in canes, in feles, in pſittacos, ità ut attentione nimiâ nugis illis præſertim delectentur: ſic Auguſtinus refert preſbiterum Carthaginenſem nullo dolore affectum, etiam dum corpus comburebatur.

Denique ſunt plurimæ functiones in nobis quæ non veniunt à corporis diſpoſitione, ſed è contrariò poſitæ ſunt attentione noſtrâ. Averſamur juvenem pulcherrimum, ut ſuprà dicebamus, quia fur eſt, quem tamen amamus, ſi oculos carnis interrogemus: ergo, ut concludit Auguſtinus, alii ſunt oculi carnis, alii oculi mentis: ergo principium cogitans it contrà affectiones corporeas: v. g. ſupponatur vir probus qui plùs æquo liquorem inebriantem hauſerit, tunc blæſa fit lingua, oculi madent & fulgent, nutat inceſſus, ſanguis fervidiùs agitatur, fibrillæ cerebri fortiùs commoventur: ſtupet vir iſte & miratur ſe tam ſubitò mutatum; nollet ità ſe habere, vellet motus iſtos compeſcere, diſtinctè loqui, pede firmo progredi, videre non petulanter & protervè: porrò quî cremor ſanguinis & fluor agitatus liquore reſiſtit, contradicit, it contrà? quænam tandem figura, quæ textura, quæ tenuitas iſtud efficere poſſunt? quî corpuſcula improbent, arguantve motum communicatum à liquore? adeſt certè miraculum cui ab illis nihil reſponderi poteſt homine dignum; ergo fateantur eſſe in homine principium aliquod materiâ ſuperius, quod cogitatione ſuâ ultrà immenſos cœlorum orbes, ultrà ſæcula & tempora quævis aſſignanda, ſoli Deo inferius, extendit ſe, majus tempore; licèt ipſius

cum

cum animâ unionis dies ſint breves, majus loco, licèt partem minimam occupet.

Si adderem quomodò gratiâ Chriſti renovati fræna injicimus cupiditati, quomodò novum hominem induimus, vetus fermentum deponentes, facti azimi ſinceritatis & veritatis, quomodò Dei capaces, religionis ſpiritalis cultores, nobiliter aſſurgimus ad cœleſtia, utentes hoc mundo quaſi non utentes, certè pateret efficaciter principii cogitantis ſuperioritas, pateret independentia à rebus creatis, pateret ipſum eſſe quaſi divinæ mentis particulam. Hinc Poëtæ fabularum Auctores aut animum ab ipſo Deo immediatè proceſſiſſe, aut ipſum eſſe cœleſtem ignem à Prometheo ſubreptum dixerunt, quia ineſt nobis hæc virtus quâ dominamur, vel ipſis rebus quibus ſervimus, quâ improbamus quæ vel magis nos delectant, quæ magis placent: itaque & impius & juſtus ex intimo conſcientiæ ſenſu, ex pugnâ carnem inter & ſpiritum experitur ſe eſſe conditionis nobilioris quàm ſint cæteræ res creatæ: hinc virtus reverà virtus, quia non modò laudatur ab amicis ſuis, ſed etiam ab hoſtibus & adverſariis: porrò qualenam eſt illud bonum quod attentione datâ vel ab hoſtibus laudatur, quod exoptatur etiam ab illis qui ipſum averſantur?

Si adderem quòd Epicurei neſciebant fuiſſe ſtatum feliciorem in quo primus pater

poterat quoſlibet motus coërcere, factus Dominus piſcium maris, reptilium terræ & animalium, volatilium cœli, ità corporis ſui, certè pateret quanta ſit dignitas, quanta nobilitas, quanta ſuperioritas principii cogitantis : hinc corpus jam non ſpectatur ut ſocius, ſed ut ergaſtulum, non ut compars, ſed ut vincula, compedes, catenæ; & hoc quidem vel ab ipſis paganis dictum fuit.

Objicies 3°. Belluæ cogitant; & ſi vellemus ſincerè loqui, nullâ invidiâ aut præjudicio ducti, utilitate ducuntur, recordantur præteritorum, provident de futuris, imò major eſt diſtantia ruſtici à Philoſopho quàm ſit ſimiæ à ruſtico : atqui tamen in belluis nihil eſt præter materiam diverſis affectionibus modificatam; ergo cogitatio oritur à materiâ taliter modificatâ.

Tranſeat major : argumentum iſtud tractabitur in Phyſicâ ad minorem; id unum dico : eſſe in belluis, ſi cogitent, ſubſtantiam à materiâ diverſam; quænam ſit illa tunc dicetur.

Utrùm anima rationalis actu cogitet.

Hæc quæſtio à Carteſii temporibus facta eſt celeberrima : animam rationalem definiit principium actu cogitans : quid adverſarii? dixerunt animam rationalem non

ſemper actu cogitare, etiam dum exiſtit.

Cogitationis nomine intelligitur quævis animæ functio, cujus immediatè conſcii ſumus: hoc ſenſu, dubium, amor, ſenſatio famis, &c. dicuntur cogitationis ſpecies: his poſitis, ſit

PRIMA PROPOSITIO.

Anima rationalis malè definitur à Carteſianis quibuſdam principium actu cogitans.

Probatur: nam in definitione nihil eſſe debet quod non ſit eſſentiale definito: atqui actu cogitare, non eſt quid eſſentiale animæ rationali; enimverò ſi actu cogitare, foret eſſentiale animæ rationali, anima rationalis eſſentialiter actu cogitaret, proindeque eſſentialiter actu exiſteret: atqui anima rationalis eſſentialiter actu non exiſtit, adeòque malè definitur principium actu cogitans.

Et certè hæc definitio nulla eſt, in quâ non eſt gradus differentialis per quem anima rationalis differt ab aliis: atqui cùm dicitur principium actu cogitans, non affertur gradus differentialis, per quem anima rationalis differat ab aliis: ſcilicet & anima belluarum, ſi quæ ſit, Angelus, & Deus, actu cogitanti; ergo, &c.

SECUNDA PROPOSITIO.

Anima rationalis, hoc ipſo quòd actu exiſtat, cogitat.

Probatur: nam hoc ipſo quòd exiſtat, vivit: atqui hoc ipſo quòd actu vivat, actu cogitat, quia vivere ſubſtantiarum ſpiritualium, eſt actu cogitare; ergo, &c.

Et verò animam rationalem actu cogitare infallibili poteſt demonſtrari argumento: videlicet anima rationalis unitur ſubſtantialiter corpori, quæ quidem unio, ut demonſtrabitur poſteà, poſita eſt in actione reciprocâ utriuſque ſubſtantiæ; quæ quidem actio motûs eſt in corpore, in animâ verò cogitatio; igitur ſi una deſit, vel ambæ, deſinit unio; ſi deſinit unio, mors adeſt: porrò anima, dum creatur, unitur ſubſtantialiter corpori, ut docuit Lateranenſe Concilium: ergo cùm unio ſubſtantialis hæc ſit ut occaſione motuum ſint in ipsâ impreſſiones, quas conſequuntur teſtimonia, propenſiones, judicia, ideò à primo creationis inſtanti cogitat; & ſi non cogitat, ſaltem à corpore ſeparatur; quod adverſarii non poſſunt admittere.

Hinc ſomnus habetur ut mortis imago, quia partim ceſſant motus exteriores corporis, quia impreſſiones ſunt ſine memoriâ in principio cogitante; & ideò mors advenit cùm non ſunt in organis motus quorum

occaſione poſſint eſſe in animâ impreſſiones.

Hinc etiam pars corporis mortua eſt, quæ cùm priùs eſſet organum impreſſionum, jam non poteſt motus illos pati requiſitos ad eas impreſſiones excitandas : hinc certè anima ſeparata eſt ab hâc parte, ut ſeparatur à corpore toto, ſi organa omnia fuerint labefactata, & deſtituta principio ; unde fiunt motûs capacia.

Dices : quis credat infantes in utero matris actu cogitare, hominem dormiendo actu cogitare ? hæc certè nullam videntur habere probabilitatis ſpeciem.

Iit certè qui nôrunt quid ſit ſubſtantialis unio corpus inter & animam noſtram ; nam ſi ea non ſit niſi actio reciproca utriuſque ſubſtantiæ, quâ ad tales motus in organis ſunt tales impreſſiones in animâ, & ad tales propenſiones in animâ ſunt tales motus in organis : profectò anima nequit eſſe unita quin cogitet ; porrò unita eſt à primo creationis inſtanti, unita eſt per ſomnum ; aliàs ſomnus non eſſet mortis imago, ſed mors ipſa : ergo cogitamus à primo creationis inſtanti, & per ſomnum.

Et certè dum adverſarii tot clamoribus negant infantes cogitare nec-non dormientes, hoc uno ducuntur argumento, quia non recordantur illi ſuarum cogitationum : at invalidum ſanè argumentum ; pueri, qui cogitant, non recordantur tamen adulti

cogitationum quas habuerunt in pueritiâ.

Nec eſt quòd cum clariſſimo Moro obſerves cogitationem à quadam agitatione mentis, à quadam reflexione & virtute proficiſci, cujus infantes & dormientes non ſunt capaces: ſcilicet poſthabitâ etymologiâ hujuſce vocis, monui me nomine cogitationis intelligere functionem quamlibet animæ cujus intimè & immediatè conſcii ſumus; quapropter ſi infantes, ſi dormientes patiantur impreſſiones, ſi habeant propenſiones, exiſtimo eos cogitare; hæc, forſan minùs accuratè dicta juxtà Grammaticorum regulas, licent Philoſopho, quia veritati cognoſcendæ ſunt aptiora.

Utrùm anima rationalis ſit cogitatio.

Dixerat Carteſius animam rationalem eſſe rem cogitantem: faſſus fuerat diſcrimen eſſe inter ipſam rem & cogitationem: tamen diſcipuli ejus, cùm viderent non poſſe demonſtrari diſcrimen corpus inter & ſpiritum, ſi cogitatio & extenſio modificationes forent, quia diverſæ modificationes poſſunt ineſſe eidem rei, quid præſtiterunt? ſumpſêre cogitationem eſſe ſpiritum ipſum, & extenſionem eſſe corpus; nimirùm, quod fatendum eſt, cogitatio & extenſio ſunt entia diverſa; cogitatio eſt res ſpiritalis, inquiunt, extenſio eſt res corporea: ergo

res ſpiritalis & res extenſa ſunt res diverſæ.

Sic Dominus Regis, cap. 2. Metap. hiſce fermè verbis : *Je prendrai bien garde dorénavant de dire que je ſuis un animal raiſonnable : & même, ſi je veux parler exactement, je ne dirai pas que je ſuis une ſubſtance qui penſe :* quid ergo ipſe eſt ? *je ſuis une penſée qui ſubſiſte en elle-même & qui eſt le ſujet de toutes les façons de penſer.*

Dixerat vel pag. 2. operis philoſophici, modos alios eſſe veros, alios apparentes : apparentium autem dederat exemplum extenſionem & cogitationem ; quo nihil abſurdius eſſe poteſt apud Philoſophos, nec enim ſumi debet quod demonſtrandum eſt. Itaque ſit

Anima rationalis malè dicitur cogitatio.

Probatur : res dici non debet modificatio : atqui anima rationalis eſt res, cogitatio eſt modificatio. 1°. Nomen *cogitatio* eſt abſtractum. 2°. Cogitatio concipitur ut formalitas ; enimverò cogitatio ineſt rei cogitanti & inhæret : atqui quæ diverſimodè concipiuntur poſitivè diverſa ſunt ; ergo anima rationalis non eſt cogitatio.

Et certè Carteſius nobiſcum ſentit ; dixerat, * *ſum mens, ſum anima, intellectus,*

* Med. 2.

ratio; objecit Angelus Philoſophus: ineptè hoc dicitur, *ego ſum cogitans*: *ergo ego ſum cogitatio*: *ego ſum intelligens*, *ergo ego ſum intellectus*: nec enim dici poteſt: *ego ſum ambulans*; *ergo ego ſum ambulatio*; quia diſtingui debet inter ſubjectum, facultates & actus. Quid reſpondit Carteſius? Hiſce nominibus *mens*, *anima*, *intellectus*, *ratio*, non intellexi facultates ſolas, ſed res ipſas hiſce facultatibus præditas; ambulatio ſemper ſumitur ut actus; at cogitatio (Carteſius loquitur) ſumitur aliquando ut actio, aliquando ut facultas, aliquando ut res ipſa cui ineſt hæc facultas; nec unquam volui intellectionem & rem intelligentem eſſe unum & idem; imò nunquam poſtulavi rem intelligentem & intellectum eſſe quid idem, ſi intellectus accipiatur ut facultas; denique Auctorem laudat quòd dixerit actum concipi non poſſe ſine ſubjecto; v. g. cogitationem ſine re quæ cogitet, ſcientiam ſine re quæ ſciat; ambulationem ſine re quæ ambulet: ergo Carteſius ipſe diſcrimen admittit inter rem ipſam & actum, inter cogitantem & cogitationem.

Objectionum Solutio.

Objicies: anima rationalis non eſt quidem cogitatio præciſè, ſed eſt cogitatio in

ſe ſubſiſtens, quæ ſit ſubjectum omnium cogitandi modorum.

Abſurdum abſurdo confirmatur: abſurditas eſt, ſi res dicatur modificatio: alia eſt abſurditas, ſi modificatio dicitur ſubſiſtens in ſe, ſi dicitur ſubjectum aliarum omnium modificationum: quaſi verò lac dici poſſet albedo ſubſiſtens in ſe & ſubjectum modificationum lactis; novi equidem Deum ſignificari terminis abſtractis, putà cùm dicitur ipſa ſapientia, via, veritas & vita; ſed hoc loquendi modo ſignificamus duntaxat perfectiones illas ab ipſo poſſideri eminentiſſimâ ratione, eſſe ipſi eſſentiales, proindeque ab ipſo inſeparabiles; quâ ratione dicitur, v. g. de adoleſcente qui ſapit in actionibus ſuis, quòd ſit ipſa ſapientia; de viro erudito, quòd ſit ipſa eruditio; de Philoſopho magni nominis, quòd ſit ipſa Philoſophia: quæ quidem dicuntur ut ſignificetur aliqua prærogativa, aliqua excellentia: ſed, ſi hunc loquendi modum converſationi permittit Philoſophia, certè non adhibet præſertim Metaphyſica.

Objicit clariſſimus Regis analyſi poſſe facilè demonſtrari hoc modo animam rationalem eſſe cogitationem; * *aprés avoir reconnu que je ſuis, & que j'exiſte, je pourrai*

T v

* Metap. c. 2.

facilement découvrir quelle eſt ma nature par cette analyſe. Le doute & la certitude ſont des propriétés que je connois en moi : les propriétés ne peuvent exiſter, ni être conçues hors du ſujet duquel elles ſont les propriétés : le doute & la certitude ne peuvent exiſter hors de la penſée : la penſée eſt donc le ſujet du doute & de la certitude : or eſt-il que je ſuis auſſi le ſujet du doute & de la certitude .... je ſuis donc une penſée ... & c'eſt ce que je cherchois.

Quot verba, tot errores; atque primò ſi formam reſpiciamus illius ſyllogiſmi, reperiemus in eo quatuor terminos; videntur enim ſyllogiſmi propoſiti à Domino Regis ejuſdem generis cum ſequentibus, *filii non poſſunt exiſtere ſine Patre : Petrus & Paulus non poſſunt exiſtere ſine matre ; ergo mater eſt pater Petri & Pauli.* Aliter : *filii exiſtunt ſemper dependenter à Patre : Petrus & Paulus exiſtunt ſemper dependenter à matre ; ergo mater eſt pater Petri & Pauli.* Scilicet terminus *filii* reſpondet termino proprietates, voces *ſine patre* reſpondent iis *ſine ſubjecto ; Petrus & Paulus* reſpondent illis, *dubium & certitudo*; denique hæc verba *ſine matre* reſpondent verbis *ſine cogitatione.*

2°. Supponamus rectè concludi ab ipſo, *la penſée eſt donc le ſujet du doute & de la certitude* : ex quo ſic colligit : *or eſt-il que je ſuis auſſi le ſujet du doute & de la certi-*

tude... je ſuis donc une penſée. Peſſima ſanè concluſio; hâc quippe viâ demonſtrabo me eſſe intellectum, voluntatem, durationem, Logicam, &c. Intellectus eſt ſubjectum intellectionis, voluntas eſt volitionis, duratio eſt ſubjectum quantitatis, Logica eſt ſubjectum ſcientiæ, quia intellectio eſt in intellectu, volitio in voluntate, duratio eſt quantitas, & Logica eſt ſcientia: atqui pariter ego ſum ſubjectum intellectionis, volitionis, quantitatis, ſcientiæ: ergo ego ſum intellectus, ſum voluntas, ſum duratio, ſum Logica.

Si noſtræ Scholæ prima rudimenta cum cæteris Carteſianis non neglexiſſet Auctor, ſciviſſet aliud eſſe ſubjectum inhæſionis *quo* ſeu proximum; aliud eſſe ſubjectum inhæſionis *quod* ſeu remotum; & licèt cogitatio ſit ſubjectum inhæſionis *quo* dubii & certitudinis, ipſe verò ſit ſubjectum inhæſionis *quod* utriuſque, non collegiſſet; ergo ego ſum cogitatio.

Urgebis cum eodem: non poteſt equidem dici de modo vero quòd ſit exiſtens in ſe, ſed illud dici poteſt de modo apparenti: porrò cogitatio non eſt modus verus, ſed eſt modus apparens, cùm ſit ſubjectum omnium cogitandi modorum.

En præjudicii fœtus. Si cogitatio non ſit in rei veritate modus, ergo ſubſtantia eſt; nihil quippe medium datur inter ſub-

ſtantiam & modum : jam verò ſi ſubſtantia ſit, cur termino abſtracto ſignificatur? Si ſit in rei veritate ſubſtantia, ſi ſit modus tantùm apparens, ergo ſibi contradicit Auctor his verbis : *je ne dirai pas même, quand je voudrai parler exactement, que je ſuis une ſubſtance qui penſe* : nimirùm accuratè loquitur qui entia nominibus diſtinctè ſignificantibus exhibet.

Quid ſibi vult per modos apparentes? entia quæ non ſunt modi, ſi Philoſophum agere velit, non debent ſpectari ut modi; Philoſophus enim favet præjudicio, ſi non ſpectet entia ut in ſe ſunt : doceat ergo talia entia ſpectari non debere ut modos: deinde ad ſignificanda eadem entia non utatur terminis abſtractis quibus ſignificantur veri modi, ſed terminis quibus ſignificari ſolent res ſive ſubſtantiæ.

Deinde quid ſibi vult dum ait modos apparentes ſpectari ut modos, licèt reverà non ſint? à quânam functione ſic ſpectantur? non quidem à viſione quæ fit per oculum : ergo vel conceptu, vel judicio : ſi judicio, quo motivo nititur? eſt certè conceptus oculus mentis; quidni dicatur quòd concipitur? poſſuntne aliter concipi? alium hunc conceptum excitet; at quinam ſunt illi modi apparentes? ſunt, inquit, extenſio & cogitatio : miror Dominum Regis, qui in exemplum laudat ea quæ in

controverſiam veniunt; ſuntne alii modi apparentes? ſi forent, laudarentur: hoc certè felix & fauſtum quòd ſint modi apparentes, iique ſint præcisè & nominatim, extenſio & cogitatio: ſed, amabo te, vir doctiſſime, unde hoc habes, extenſionem & cogitationem eſſe modos apparentes? ex eo, inquis, quòd mens ſoleat ſpectare res ut modificatas: poteſtne eas aliter ſpectare? ſi poteſt, quomodo ſpectat? quomodo deſuevit ab illâ conſideratione? quia ſpiritus & corpus ſunt entia ſimplicia. Repones? Verùm præter corpus & ſpiritum nulla eſt alia ſubſtantia; ſi corpus & ſpiritus, ſi ſubſtantiæ ſunt entia ſimplicia, quænam ſunt compoſita? undenam habes ea eſſe ſimplicia, ſi ita ſpectentur, ut in duas veluti partes diſtrahantur, quarum alia ſit ſubjectum, alia ſit modificatio.

Dicendum quod res eſt; apud ſe ſtatuerat vir clariſſimus extenſionem eſſe corpus & cogitationem eſſe ſpiritum; idipſum vel in primo Philoſophiæ limine inſinuare voluit; ſcilicèt cùm iſtud nullâ ratione probari poſſet, & aliunde omnes, quotquot ſunt, fateantur ſe habere corpus & ſpiritum, ut res ſive ſubſtantias, extenſionem autem & cogitationem, ut modificationes; ideò modorum diſtinctionem ſtatim propoſuit, id eſt, inter definitiones & axiomata, quæ ſunt totius Philoſophiæ principia; porrò

ſi hoc non ſit ex præjudicio agere, non intelligo quid ſit præjudicium.

Cur ſit Anima rationalis.

Reſpondet Catechiſmus hanc eſſe factam ut Deum cognoſcat, & amet, & ipſi ſoli ſerviat. Deus quippe in omnibus operibus ſuis ſemetipſum propoſuit cognoſcendum & amandum: porrò cognoſcitur ut principium & finis; ergo ipſi ſoli ſerviendum eſt, & cætera haberi debent ut media quibus uti licet, non frui.

Deus autem modo planè diverſo cognoſcitur & amatur in hac vitâ & in alterâ: in hac vitâ Deum cognoſcimus abſtractivè per ſpeculum, in ænigmate, quia Deus non per ſemetipſum immediatè præſentem agit in nos, ſed per creaturas, quæ ſunt virtutis & divinitatis ſigna: unde non eſt in nobis perfectus Dei amor qui futurus eſt in Gloriâ, ex conditione miſeriæ noſtræ; ex eo quòd diſtrahamur occupati objectis ſenſilibus & maneamus irretiti amore terreſtrium: ſic enim perfectè non implemus preceptum maximum: * *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; ſed perfectè adimplebitur in alterâ vitâ, † *tunc* enim *ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.*

* Deut. † 1. Joan. 3.

Cauſa exemplaris animæ rationalis eſt Deus ipſe, juxtà hæc verba Geneſeos, c. 1. *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram* : enimverò homo factus non eſt ad imaginem Dei ratione corporis, quia Deus corpore caret : factus eſt ergo ad ipſius ſimilitudinem ratione animæ.

Quanquam homo ratione corporis factus eſt ad ſimilitudinem corporis Chriſti, quia, ut habet Tertullianus, *cùm Adam de luto formabatur, Chriſtus cogitabatur homo futurus.*

Prætereà dici poteſt corpus noſtrum excellenti ſuarum partium compage indicare ineſſe nobis aliquid præſtantiſſimum, quod ſit ad ſimilitudinem Dei, quod ſit quaſi divinæ mentis particula, quod demonſtret nos eſſe propter Deum factos: hinc Ovidius:

Os homini ſublime dedit cœlumque tueri
Juſſit & arrectos ad ſydera tollere vultus.

Hinc fingebat fabula Prometheum ignem cœleſtem ſubripuiſſe. Hæc ſimilitudo ratione animæ non eſt ratione omnium facultatum, v. g. ratione appetitûs ſentientis & naturalis, quia caret Deus illis motibus & affectibus; non eſt etiam ſimilis ratione judiciorum, quia plerumque falſa ſunt incerta & obſcura.

Ex duobus igitur hæc ſimilitudo videtur

eſſe repetenda : primò mihi videtur ſimilis ratione perceptionis , quia infallibilis homo quando id unum judicat quod percipit.

Eſt etiam aliquatenùs ſimilis ratione ſuperioritatis & independentiæ à rebus creatis, quia mens noſtra, appetitus rationalis, magis patent quàm univerſa creabilia , quia homo mente ſuâ & appetitu major eſt orbe univerſo.

Hîc intellige, homo, dignitatem tuam, quâ ſolo Deo minor es, quâ ipſo ſolo ſatiari potes : hinc utamur hoc mundo tanquam non utentes, ut Deo ſolo perpetuò fruamur.

Superioritatem hanc & independentiam ſignificavit Moyſes his verbis : *Et ait Deus , faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram ; & præſit piſcibus maris & volatilibus cœli & beſtiis , univerſæque terræ.*

Similitudo hæc in Adamo innocente non ità perfecta fuit quàm nunc eſt in ſanctis , quia licèt in ipſo eſſet facilitas veri cognoſcendi & facilitas recti faciendi, erat aliunde potentia peccandi quæ non eſt in beatis, qui Deo immobiliter adhærent.

Peccavit Adamus & ex illo peccato potuiſſet in ipſo & in poſteris omninò extingui hæc ſimilitudo ut extincta fuit in Angelis , ſed bonitate Creatoris aliquâ ſervata ſunt prioris ſtatûs dona ; inde tamen homo fuit obnoxius , & mentis cœcitati , & cordis duritiei : occaſione motuum quos plerumque

non poteſt coërcere ſunt in animâ vel invitâ affectus quorum pudet: caruit ſuperioritate, quâ priùs pollebat, tum in corpus ſuum, tum in cætera corpora; peccator factus vidit creaturas pugnantes & armatas contrà ſe, ſimilis potiùs belluis quàm Angelis & Deo: ſi diſpoſitio corporis mechanica in priore ſtatu arguebat ſimilitudinem animæ cum Deo, certè jam indicat ipſam eſſe ferè oblitteratam & deletam: ut animus anxius eſt ad moleſtiam, humilis ad timores, pronus ad libidines, ità corpus nudum eſt fragile & infirmum: ut primùm naſcimur, malè viva caro gravitate ſuî depreſſa terram oſculatur, nec jam os ſublime cœlum tuetur, nec ſunt vultus arrecti ad ſydera: à ſuppliciis vitam auſpicamur, flet animal cæteris imperaturum; infans fit quadrupes, rituque ferarum, membra trahit; ſed tandem erigitur: at vires fiunt perniciſioſſimæ cupiditatis ſatellites; nec ſtatus ille durabilis, febrium cohors terris incubat, lethique neceſſitas corripuit gradum.

Inde egemus parentibus qui nativitati conſulant, & proli educandæ invigilent; Magiſtris qui nos edoceant; Medicis qui ſanent; Judicibus qui judicent; Principibus, qui regant; quid plura? Plurimi moriuntur in matrum utero, & à partu ante rationis uſum: qui ſuperſunt ex his plures cœci, alii ſurdi, alii gibbi, omnes variis

morbis obnoxii, omnes cum concupiſcentiâ rebelli; in omnibus præjudicia, præcipitatio; ideòque veri & recti difficultas.

Igitur ferè oblitterata & deleta erat hæc ſimilitudo, niſi Jeſus-Chriſtus, mediator Deum inter & nos, repara?et hanc ſimilitudinem ſuâ gratiâ, faciens ſacramentis quæ inſtituit ut ſignati ſanguine ſuo poſſimus eſſe ipſi conformes & cum ipſo cohæredes regni cœleſtis. Fide judicia fiunt infallibilia; ſpe reſurrectionis mors non timetur, patienterque ferimus quæcumque ſunt incommoda; charitate ad Deum erigimur, ut ipſo fruamur, ipſi ſoli ſervientes, & cæteris propter ipſum.

Cauſa efficiens animæ rationalis ſolus Deus eſt: ſcilicet definiente Lateranenſi Concilio, infundendo creatur, & creando infunditur.

Veritas hujuſce propoſitionis patet ex eo quòd ipſa ſit ſpiritus: Tertullianus, qui ipſam volebat corpus, dicebat ex traduce naſci: Auguſtinus, qui ipſam fatebatur ſpiritum, contendebat eamdem admitti debere traductionem; ut feliciùs peccatum originale exponeret, utebatur ſimilitudine lucis quæ ſine ullâ imminutione venit ab alterâ luce: ſed Hieronimus feliciùs dimicavit contrà Auguſtinum, qui præconceptam opinionem vix reliquit.

Ratione philoſophicâ probatur noſtra

ſententia ; nam anima rationalis ſubſtantia eſt : porrò ſolus Deus creare poteſt, & ſubſtantia ſolâ creatione produci poteſt ; enimverò totuplex productio quotuplex eſt ens : ens autem vel eſt res, vel eſt modus ; ergo productio rei & productio modi : productio rei eſt creatio ; productio verò modi, eductio.

Et certè lux fit ſolâ communicatione motûs, q ia lux in objecto motûs eſt peculiaris, & lux à luce naſcitur communicatione motûs, qui ſi non reſtauraretur in face communicante, imminueretur lux hujuſce facis : at verò ſubſtantia, quæcumque ſit, communicatione motûs produci non poteſt; ergo eductione & traductione oriri non poteſt anima rationalis.

Cauſa materialis ejuſdem animæ eſt ipſius genus, cauſa formalis eſt ipſius differentia : cùm dicitur ens, convenit cum omnibus : cùm dicitur ſubſtantia, convenit cum ſubſtantiis omnibus & differt ab accidentibus ; cùm dicitur ſpiritus, convenit cum omnibus ſpiritibus, & differt à corporibus; cùm dicitur contingens, differt à Deo, qui neceſſarius eſt, & convenit cum aliis ſpiritibus creatis; cùm dicitur incompleta, differt ab Angelis & fortè convenit cum animâ belluarum ; denique cùm dicitur perceptionis capax, differt ab animâ belluarum, quæcumque ſit.

Qualis ſit Anima rationalis.

Eatenùs concipitur ſubſtantia, quatenùs concipiuntur ejus modificationes, ut habet egregiè Carteſius : addam eò loci facultates ipſas optimè cognoſci ex functionibus; quapropter inquirendo diligentiſſimè proprietates animæ rationalis, perfectiori modo natura ipſius innoteſcet, & agendo de variis ipſius functionibus, ſive ſint paſſiones, ſive ſint actiones, quarum in nobis eſt ſenſus intimus & immediatus, deprehendetur quæ ſint ipſius potentiæ.

Proprietates animæ revocari poſſunt vel ad facultates, vel ad habitus, vel ad actus; actus cenſentur cogitationes omnes; porrò cogitatio eſt quævis animæ functio, cujus intimè & immediatè conſcii ſumus : hoc ſenſu affirmatio, dubium, idea, motus appetitûs ſunt cogitationes. Quod ſpectat animæ functiones, vide * Introductionem ad univerſam Philoſophiam.

Quæritur hîc apud Philoſophos quotuplex animæ facultas : Peripatetici duas recenſent, intellectum & voluntatem, quam diviſionem retinuêre Carteſiani; ſed dixerunt judicium pertinere ad voluntatem, quia anima intelligendo patitur, judicando agit: porrò aliud eſt agere, aliud eſt pati; ergo

* Tom. 1. p.

alia facultas intelligens, alia judicans; ergo intellectus intelligit, & voluntas judicat.

Peripatetici volunt judicium pertinere ad intellectum; intellectus autem definitur ab iis facultas ſpiritalis cognoſcitiva, & cognitio dicitur ab iiſdem objecti repræſentatio in mente; tamen apud ipſos error eſt cognitio, divina fides eſt cognitio.

At ſi Peripateticos inter & Carteſianos hîc de ſolo nomine diſputatio ſit, ut modò probabitur, erit quòd poſteritas rideat; neutri parti aſſentior.

PRIMA PROPOSITIO.

Si duæ ſint tantùm facultates, intellectus & voluntas, ut Peripatetici volunt; ſi intellectus definiatur facultas ſpiritalis cognoſcitiva; ſi denique cognitio ſit repræſentatio objecti in mente, vitalis expreſſio, aſſimilatio, &c. certè judicium pertinet ad voluntatem, proindeque error, opinio, fides, tum humana, tum divina, ſunt voluntatis, non intellectûs functiones.

Probatur: nam ad hoc ſatis eſt quòd judicium non ſit objecti repræſentatio in mente: atqui judicium non eſt objecti repræſentatio in mente, plura quippe judicantur quæ non concipiuntur: ſcilicet quæcumque cupiditate nituntur, relatione aliorum hominum, relatione noſtrorum ſen-

ſuum, relatione Dei; ergo in hypotheſi Peripateticorum judicium pertinet ad voluntatem.

Quapropter qui vult judicium pertinere ad intellectum, qui vult errorem, opinionem, fidem tum divinam, tum humanam eſſe cognitiones, is non definiat cognitionem objecti repræſentationem in mente; definiatur ergo cognitio judicium ex quolibet motivo; ſecùs, ſi quid timendum ſit ab iſtâ propoſitione, *judicium pertinet ad voluntatem*, agnoſcant Peripatetici id ſequi ex principiis quæ poſuerunt: ſed ſit

SECUNDA PROPOSITIO.

Tot ſunt animæ facultates, quot ſunt functiones diverſæ.

Probatur: nam ubi ſunt functiones diverſæ, ibi ſunt objecta diverſa; ubi ſunt objecta diverſa, ibi ſunt facultates diverſæ; quippe facultates ſpecificantur ab objectis, ut loquuntur Philoſophi; definiuntur enim in ordine ad objecta; quot autem ordines, totidem objecta, quot objecta, totidem ordines; ſi ſint objecta diverſa, diverſi ſunt ordines; ubi diverſi ordines, diverſæ ſunt definitiones; ergo tot ſunt facultates diverſæ, quot ſunt diverſæ functiones.

Quapropter alia eſt facultas intelligendi, alia judicandi, alia diſcurrendi, alia ordi-

amandi, alia amandi, alia odio habendi, alia gaudendi, alia volendi, alia nolendi, alia eligendi, &c.

Imò alia eſt facultas concipiendi circulum, alia concipiendi quadratum, quemadmodum alia eſt potentiâ in materiâ ad recipiendam figuram circularem, alia ad recipiendam quadratam; ergo infinitæ ſunt in nobis facultates diverſæ, quia infinita objecta diverſa quæ poſſunt agere in noſtras potentias, tum in ordine ſenſilium, tum in ordine inſenſilium; nam ſi totum phyſicum ſpectemus, ſunt in eo partes actu infinitæ; capax eſt infinitarum figurarum; ſunt infinitæ determinationes motûs; quantitas motûs in infinitum augeri poteſt, vel minui; ſi totum metaphyſicum, ſunt in eo formalitates actu infinitæ, eæque diverſæ.

Et certè functiones diverſæ poſtulant potentias diverſas, ſeu principia quibus diverſa, licèt habeant unum & idem principium *quod*: atqui functiones infinitæ eæque diverſæ, poſſunt eſſe in animâ rationali; v.g. repræſentationes formalitatum metaphyſicarum, repræſentationes configurationum & ſenſationes. Infinitudo ſenſationum poſſibilis ſuaderi poteſt unâ vel duplici animadverſione in eas quæ ſimplices vulgò putantur, v.g. in ſenſationem ſoni; videlicet quot ſunt motus diverſi in aure, tot ſunt variæ ſonorum ſenſationes: quot autem ſint

recenſe, ſi potes: v. g. numera varias hominum voces, varias modificationes ejuſdem humanæ vocis; varios animalium clamores, boatus, pipitus, ſtridores, clangores, gannitus, &c. gemitus, ſuſpiria, murmura, ſonos, quicumque redduntur machinis, & alia quæ in infinitum abeunt recenſe, ſi potes, varias colorum ſenſationes; imò unius ejuſdemque coloris, putà albedinis, varios gradus; ſunt ergo infinitæ potentiæ eæque diverſæ in animâ rationali.

Dices: facultates ſunt perfectiones: ſed repugnat eſſe in principio cogitante creato perfectiones infinitas; ergo repugnat eſſe facultates infinitas.

Diſtinguo majorem: facultates ſimul cum actibus ſunt perfectiones, concedo: ſeorſim ab actibus ſuis, ſubdiſtinguo: aliquæ, concedo: omnes, nego: ſimiliter diſtinguo conſequens; ergo non ſunt infinitæ facultates ſimul omnes cum actibus ſuis, concedo: quarum aliquæ ſint cum ſuis actibus, & cæteræ ſine ſuis, nego: porrò repugnat eſſe in animâ rationali infinitas perfectiones; proindeque repugnat eſſe infinitas facultates cum ſuis actibus, ſed non repugnat infinitas eſſe facultates, ità ut quædam tantùm ſuis actibus ſint inſtructæ.

Itaque, quia actus alter eſt perfectivus ſui ſubjecti, alter eſt minimè perfectivus ſui ſubjecti, ideò facultas alia eſt quæ habet actum

actum perfectivum, alia eſt quæ habet actum minimè perfectivum.

Facultas cujus actus eſt minimè perfectivus ſeorſim ab actu perfectio eſt, v. g. omnipotentia divina ſeorſim ab actu, putà à creatione, perfectio eſt, quia creatio non eſt actus perficiens Deum; ſic in nobis potentia ambulandi ſeorſim ab ambulatione perfectio eſt, quia ambulatio non eſt perfectio ſubjecti; facultas verò cujus actus perfectivus eſt ſeorſim ab actu perfectio non eſt, ſed potiùs eſt tendentia ad perfectionem: quapropter, ſi ſeparetur ab actu, perfectio non eſt, & eatenùs perfectio eſt, quatenùs eſt conjuncta cum actu: v. g. intellectio perfectio eſt; ergo potentia intelligendi ſeorſim ab intellectione perfectio non eſt, ſed potiùs tendentia ad perfectionem: quapropter in Deo perfectiones ſunt infinitæ, quia intellectiones ſunt ſimul & neceſſariò cum potentiis intelligendi: at in nobis, à quibus intellectiones ſunt ſeparabiles, potentiæ intelligendi non ſunt perfectiones; ſunt enim potentiæ intelligendi reſpectu principii cogitantis creati, ut potentiæ recipiendi, configurationes reſpectu materiæ: porrò, licèt ſint infinitæ capacitates in materiâ, putà in cerâ, ad recipiendas configurationes, tamen illæ capacitates non ſunt ſimul omnes affectæ ſuis configurationibus: imò fieri non poteſt ut cera

quadrata ſit, dum circularis eſt : pariter ſunt infinitæ capacitates intelligendi in nobis, ſed illæ capacitates non ſunt ſimul affectæ ſuis actibus & formis; repugnat enim animam noſtram ſimul intelligere omnia, quia ad omnia attendere non poteſt, quia occupata his objectis, aliis non occupatur; hinc illud effatum :

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

Corollarium.

Ne tamen hâcce facultatum infinitudine obruatur mens noſtra, ideò omnes revocari debent ad quædam capita.

1°. Eſt in nobis facultas patiendi impreſſiones.

Hæc vel eſt facultas patiendi ſenſus intimos, quæ vel eſt appetitus naturalis, vel eſt appetitus ſentiens, vel eſt facultas patiendi ſenſationes; quæ pro variis organis vel eſt facultas videndi, vel eſt facultas audiendi, vel guſtandi, vel odorandi, vel denique tangendi.

2°. Partis ſuperioris & rationalis tres ſunt facultates, intellectus, voluntas & libertas : intellectus eſt facultas percipiens ſimul & judicans tum enuntiando, tum diſcurrendo, tum ordinando; ſicque judicium pertinebit ad intellectum; hâc conditione, ut intellectus dicatur facultas cognoſcitiva; hâc con-

ditione, ut cognitio non definiatur objecti repræſentatio in mente; nam aliquando judicatur id quod non concipitur; v. g. judicatur Alexandrum viciſſe Darium; judicatur exiſtere Romam, exiſtere corpora: porrò, licèt concipiatur hæc omnia eſſe poſſibilia, non concipitur tamen quòd ſint exiſtentia, quia non reperimus exiſtentiam in illorum eſſentiâ. Plus dico; judicatur etiam de iis quæ poſſibilia non concipiuntur: ſic judico dari tres perſonas in unâ naturâ divinâ, neque tamen ullus eſt conceptus hujuſce ineffabilis Myſterii.

Voluntas eſt facultas quæ verſatur circà finem.

Libertas eſt facultas quæ verſatur circà media.

Utrùm Anima rationalis ſit unita corpori.

Hæ ſunt variæ facultates animæ rationalis, hæ ſunt variæ functiones; ſed explicari debet quomodò functiones illæ excitentur, & utrùm dependeat anima ab aliquo corpore, ut eas patiatur, vel eliciat; ſicque ampliùs exponetur principii cogitantis eſſentia: hinc plurima dubia naſcuntur; primum, an ſimus certi exiſtere corpora; ſecundum, an ſimus certi inter ea eſſe aliquod quod noſtrum ſit, cui ſubſtantialiter unita ſit anima noſtra: tertium, quid ſit hæc unio ſubſtantialis: quartum, an anima noſ-

tra poſſit eſſe corpori ſuperſtes: quintum, an reverà maneat eidem corpori ſuperſtes: ſextum, an principium cogitans ſit incompletum, & quomodò.

An ſimus certi metaphyſicè exiſtere corpora.

Certitudo metaphyſica ea eſt quâ major dari nequit, cui ne divinitùs quidem poteſt ineſſe falſitas.

Exiſtentia corporum primo intuitu tam manifeſta apparet, ut non permittatur locus dubitationi: attamen, ſi judicium illud attentiùs meditemur, ea non debet eſſe ſecuritas qualem ſibi fingunt plurimi, qui volunt nihil notius & certius afferri poſſe; enimverò, ſi ſpectemus illam propoſitionem, *corpora exiſtunt*, profectò non eſt per ſe nota, quippè exiſtentia non eſt in ideâ & de ideâ corporis, nec ab ipsâ excluditur: non includitur quidem; nam, ſi includeretur, foret eſſentialis corpori; & proinde vel genus, vel differentia, vel ſpecies, vel proprietas corporis, & conſequenter corpus exiſteret neceſſariò, quod abſurdum eſt; non excluditur etiam, quia compatibilis eſt cum corpore; ergo nec concipi poteſt corpus eſſe exiſtens, nec concipi poteſt corpus eſſe non exiſtens.

Itaque, ut cognoſcatur illa propoſitio, *corpus eſt exiſtens*, requiritur medium ali-

quod præter conceptum denotans unionem exiſtentiæ cum corpore; quale verò ſit illud medium, hoc præſenti titulo inquirimus, num ſit ſufficiens ad certitudinem metaphyſicam, vel non.

Auctor libri De Inquiſitione Veritatis, vir, ſi quis unquam fuit, Metaphyſicus, atrox bellum ſenſibus intulit, ut concluderet ipſorum teſtimonia non eſſe à Metaphyſicis ullatenùs audienda; proindeque judicium illud, *exiſtunt corpora*, quod nititur eorum relationibus, eſſe non poſſe metaphyſicè certum: huic ſuffragati ſunt alii ferè omnes Metaphyſici, contrà quos ſit

PROPOSITIO.

Certus ſum metaphyſicè exiſtere corpora.

Probatur: nam judicium illud, *exiſtunt corpora*, nititur quâvis relatione ſenſuum, & omnibus animæ teſtimoniis ſine ullâ oppoſitione, in quovis loco, in quovis tempore, in quovis ſexu, & in quâvis ætate; & quidquid anima faciat, vires ſuas omnes exerat, non poteſt non referre omnes ſuas impreſſiones ad corpus, & quid ſimile pluribus ex illis ad corpora quæ ſpectantur ſaltem ut illarum impreſſionum occaſiones: porrò, ſi relationes & teſtimonia non poſſunt eſſe falſa vel divinitùs, profectò certus ſum metaphyſicè exiſtere corpora: atqui rela-

tiones hujuſce generis & teſtimonia non poſſunt eſſe falſa; nam conſtantiſſimum eſt iſtud principium, *Deus non poteſt nos fallere, nec ipſe poteſt falli* : atqui, ſi relationes hujuſce generis & teſtimonia poſſent eſſe falſa, vel divinitùs, tunc Deus nos falleret; nam tunc cenſeri deberet nos fallere, quando, ipſo inſtituente, volente, ordinante, omnes teſtes ab ipſo dati nos fallerent, nec ullum ſupereſſet medium detegendi erroris : atqui teſtes omnes nobis dati à Deo nos fallerent, ſi hæc omnia teſtimonia forent falſa; neque ullum ſupereſſet medium detegendi erroris.

Quòd teſtes à Deo dati nos fallerent, patet jam, quia fiunt hæc teſtimonia in nobis, vel invitis & repugnantibus; quia fiunt, Deo inſtituente, quia inutilia ſunt animæ ſoli, & eatenùs eſſe poſſunt utilia, quatenùs ſunt corpora extrà nos.

Deinde nullum ſupereſſet medium detegendi erroris; nam vel intellectu, vel relatione Dei detegeretur error : porò nec intellectu, nec relatione Dei detegi poteſt error; non quidem intellectu; nam, ſi intellectus non concipit corpora eſſe exiſtentia, certè non concipit ea eſſe non exiſtentia; quin imò concipit ea eſſe poſſibilia; non relatione Dei, quia Deus non retulit corpora non exiſtere; imò relatio Dei ſupponit exiſtentiam corporum; ergo nullum ſupereſſet medium detegendi erroris; proindeque certus ſum, &c.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. Quod eſt metaphyſicè certum debet eſſe metaphyſicè verum : atqui hæc propoſitio, *exiſtunt corpora*, non eſt metaphyſicè vera ; ergo, &c.

Diſtinguo : quod eſt metaphyſicè certum certitudine objecti, concedo : certitudine ſubjecti & motivi, nego. Lege tomum primum.

Inſtabis : nihil eſt metaphyſicè certum certitudine ſubjecti & motivi, quod non ſit metaphyſicè certum certitudine objecti.

Nego : 1°. Certum eſt certitudine ſubjecti & motivi me cogitare ; tamen hæc propoſitio certa non eſt certitudine objecti, eſt enim in materiâ contingenti. 2°. Certum eſt certitudine ſubjecti & motivi Verbum fuiſſe carnem factum ; tamen hæc propoſitio, *Verbum caro factum eſt*, non eſt certa certitudine objecti ; denique Deo certum eſt eâdem certitudine quòd Anti-Chriſtus ſit venturus : datur in Deo ſcientia viſionis de contingentibus ; contingentia verò non ſunt certa certitudine objecti.

Urgebis : non agitur eò loci de certitudine ſubjecti, quæ veniat ex intimo ſenſu, non agitur etiam de eâ quæ veniat ex relatione Dei : denique non agitur de certitudine judicii divini, ſed agitur de certitu-

dine judicii humani, & quidem metaphyſicâ: atqui non eſt in judiciis noſtris certitudo metaphyſica, quæ nec nitatur intimo ſenſu, nec relatione Dei, niſi ſit de objecto immutabili; ergo nulla reſponſio.

Nego minorem: nam, cùm agitur de exiſtentiâ corporum, datur medium denotans infallibiliter exiſtere corpora; nam dantur omnia animæ teſtimonia, perpetua, ſine ullâ oppoſitione, Deo inſtituente & ordinante, quæ quidem non poſſunt eſſe falſa, vel divinitùs, quia Deus non poteſt nos fallere: hinc Tertullianus, *ſi ſenſus perpetuò nos deciperent, culpanda foret divina Providentia, quæ tam fallaces veritatis internuntios nobis dediſſet.*

Premes: Deus facere poteſt ut non ſint corpora extrà nos cogitantes poſita, & tamen ſint in nobis eædem impreſſiones; ergo poteſt eſſe falſitas in hoc judicio, *exiſtunt corpora.*

Diſtinguo antecedens: ut ſint eædem impreſſiones ſine relationibus animæ & teſmoniis, quæ fiant, ipſo ordinante, in nobis vel invitis, tranſeat: cum illis teſtimoniis, nego: porrò exiſtentiam corporum non demonſtramus ex ſolis impreſſionibus, ſed præſertim ex teſtimoniis quæ ſequuntur impreſſiones.

Objicies 2°. Illud judicium non eſt cer-

tum certitudine metaphyſicâ, quod nititur motivo fallaci: atqui judicium iſtud, *exiſtunt corpora*, nititur motivo fallaci, nititur enim ſenſibus: atqui ſenſus ſunt fallaces; ergo.

Nihil frequentius in Scholis quàm ſenſus eſſe fallaces: imò quidam Recentiores, Malbranchius, D. de Cordemoy, non ſatis attendentes, meo quidem judicio, ad dona Creatoris, integra ferè volumina ſcripſerunt, ut demonſtrarent eſſe teſtimoniis ſenſuum falſitatem & fallaciam.

Nota eſt omnibus tironibus Peripateticorum ſolutio: ſenſus, inquiunt, ſunt fallaces ſublatis quatuor conditionibus: ſed non ſunt fallaces poſitis illis conditionibus.

Prima conditio eſt, inquiunt, ut objectum ſit in legitimâ diſtantiâ, cujus defectu turris quadrata eminùs videtur rotunda; altera eſt ut organum ſit benè affectum, cujus defectu febricitans res dulces percipit ut amaras; tertia eſt, ut non ſit duplex medium inter facultatem & objectum, cujus defectu baculus mediâ ſuî parte aquis immerſus, fractus apparet; quarta denique conditio eſt, ut facultas verſetur circà objectum proprium, cujus conditionis defectu acus horologii videtur immobilis.

Hæc Peripatetici: ſed quis non videt conditiones illas non ſufficere ad certitudinem metaphyſicam? nam requiritur alia regula quâ ſciatur quandonam objectum

ſit in legitimâ diſtantiâ, an organum ſit benè affectum, an facultas verſetur circà proprium objectum; an ſit, vel non ſit medium duplex: porrò quis hæc definiat & determinet?

Diſtinguo minorem: ſenſus ſunt fallaces, aliqui, minimè perpetui, & cum oppoſitione teſtantes, concedo: omnes, perpetui, & ſine ullâ oppoſitione teſtantes, nego: pariter diſtinguo conſequens.

Itaque ex relatione ſenſuum vel judicamus de entibus, ut in ſe ſunt, vel de entibus, ut ſe habent in ordine ad nos; ſi judicandum ſit de entibus, ut ſe habent in ordine ad nos, quæcumque relationes ad id ſufficiunt, nec poſſunt eſſe fallaces; idem verò dici non debet, ſi judicandum ſit de entibus, ut in ſe ſunt; nam, ſi aliqui ſenſus duntaxat, cum oppoſitione & interruptis vicibus, aliquid teſtentur, certè ſenſus poſſunt eſſe fallaces: at, ſi omnes ſenſus referant, Deo inſtituente, ordinante & volente, ſi referant perpetuò ſine ullâ oppoſitione, certè non ſunt fallaces: porrò omnes omninò ſenſus, ſine ullâ oppoſitione, & perpetuò ad idem teſtandum concurrunt; ergo non poſſunt eſſe fallaces; concurrunt, inquam, & illud ſit, Deo inſtituente, volente & ordinante; famę, ſiti, dolore, viſione, amore habemus exiſtere corpora; proindeque ſolutio bona eſt.

Inſtabis : ſenſus in hâc occaſione non eſſent fallaces, quia relationes ſenſuum fiunt, ordinante Deo : atqui hæc ratio nulla eſt; nam relatio qualitatum ſenſilium, putà coloris, odoris, caloris, ad objecta extrà nos poſita, fit à nobis cogitantibus, Deo ordinante : atqui hæc relatio falſa eſt ex nobiſmetipſis; calor enim non eſt in igne; odor non eſt in lilio, ut dolor non eſt in acu; ergo relationes ſenſuum ad corpora ſunt fallaces; nec tamen Deus nos decipit, quemadmodum non decipit, dum referuntur qualitates ſenſiles ad corpora.

Diſtinguo majorem: relatio qualitatum ſenſilium fit, Deo ordinante, & ſupereſt medium quo detegatur error, & eſt ratio petita ex ſapientiâ & bonitate Dei cur fiat, concedo : nec ſupereſt medium quo detegatur error, nec eſt ratio petita ex ſapientâ & bonitate Dei cur fiat, nego : diſtinguo conſequens : relationes ſenſuum ad corpora ſunt omnes fallaces; nec tamen Deus nos decipit, ſi ſuperſit medium quo detegatur error, ſi in hâc hypoteſi ſit ratio petita ex ſapientiâ & bonitate Dei cur fiat, concedo : ſi nec ſuperſit medium quo detegatur error, nec ſit ratio petita ex ſapientia & bonitate Dei cur fiant illæ relationes, nego.

Itaque non modò relationes qualitatum ſenſilium fiunt à nobis, Deo ordinante,

ad objecta extrà nos poſita, verùm etiam relationes omnium animæ impreſſionum fiunt ad partes organicas corporis; relationes illæ omnes ſunt falſæ, nec Deus nos decipit : 1°. Quia ſupereſt medium quo detegatur error in illis relationibus : ſcilicet eſt in nobis facultas percipiens ſuperior omnibus illis relationibus; hâc autem primò deprehendo partes corporis noſtri non eſſe capaces ſenſuum intimorum, ſive ſint motus utriuſque appetitûs naturalis & ſentientis, ſive ſint ſenſationes. 2°. Deprehendo nihil eſſe in objectis extrà nos cogitantes poſitis ſimile ſenſationibus : at, dum judico exiſtere corpora, nullum ſupereſt medium detegendi erroris in illis relationibus; quia, ſi medium aliquod ſupereſſet, vel eſſet Dei auctoritas vel, perceptio : atqui nec auctoritate Dei, nec perceptione detegi poteſt falſitas in illis relationibus; non quidem auctoritate Dei, quia Deus non retulit corpora non exiſtere; imò non modò ſuppoſuit, verùm etiam eorum exiſtentiam declaravit; non perceptione, quia percipitur corpora poſſe exiſtere; ergo medium non ſupereſt quo detegatur falſitas in illis relationibus.

Deinde, quia etiamſi partes corporis noſtri non patiantur illas impreſſiones, etiamſi non ſint in corporibus qualitates patethicæ ſimiles ſenſationibus, eſt ratio petita ex bonitate & ſapientiâ Dei, cur & fiant re-

lationes impreſſionum ad corporis partes, & qualitatum ſenſilium ad corpora; enimverò Deus uniendo principium cogitans corpori, inſtituendo ut corpus foret organum impreſſionum, & objecta quæ ipſum circumſtant, forent occaſiones, debuit, ſi voluerit, conſulere & proſpicere conſervationi ſui operis, facere ut principium cogitans cognoſceret quænam partes ſint ad has vel ad illas impreſſiones deſtinatæ; debuit facere ut anima cognoſceret quænam objecta ſint occaſiones harum vel illarum impreſſionum.

1°. Quidem debuit facere ut principium cogitans cognoſceret quænam partes deſtinatæ ſint ad has vel illas impreſſiones; v. g. quænam pars ſit deſtinata ad vivendum, quænam ad audiendum, quænam afflicta foret, ut ipſi mederetur; alioqui ſi hæc œconomia latuiſſet principium cogitans, cùm voluiſſet videre, forſan moviſſet pedes, aut aperuiſſet manus, quando pars aliqua fuiſſet afflicta, in incertum fluctuans, alteri parti remedium quod paraſſet fuiſſet noxium, ſicque de aliis organis: porrò nullâ tutiori, breviori & faciliori viâ potuit facere ut principium cogitans noſſet quænam partes corporis ſint organa ſuarum impreſſionum, quænam benè ſe habeant, quænam malè, quàm inſtituendo, ut referret ſuas impreſſiones ad organa; hoc quippe, naturâ duce,

ſine arte, ſine præceptis fit ab infantibus, amentibus, ſapientibus, verbo dicam, ab omnibus; ſic facilè & certò judicatur oculos eſſe viſionis organa, aures auditûs, ventriculum famis, fauces ſitis, cor amoris, &c.

2°. Debuit facere ut anima cognoſceret quænam objecta ſint occaſiones harum vel illarum impreſſionum, nam corpus illud noſtrum, cui unita eſt, dependet ab aliis circumſtantibus, quorum alia ſibi noxia ſunt & incommoda; alia verò commoda & utilia inter ea diſtinguere debet, ut commoda ſumat, & noxia repellat; aliàs peribit continuò corpus: porrò nullâ tutiori, breviori & faciliori viâ potuit facere ut anima corpora diſtingueret, ſecerneret utilia ab incommodis, quàm inſtituendo ut referret quid ſimile ſuis ſenſationibus ad objecta extrà nos cogitantes poſita; nam hâcce viâ ſine præceptis, ſine arte, ferè dixi, ſine attentione, corpora ſecernuntur; ideò gypſum non ſumitur pro pane, acetum pro vino generoſo & laudabili: ſecernuntur, inquam, ab omnibus, quandiù machina non eſt labefactata. Quòd ſi Deus iſtud reliquiſſet attentioni noſtræ & diligentiæ examinandum, quæ fuiſſet hominis calamitas? inſpice in infantibus in quibus nullus eſt rationis uſus; tunc non potuiſſemus diſtinguere inter lapides & aërem: ah! quoties caput fuiſſet percuſſum? debuit

igitur Auctor ſapiens & inſtituere ut impreſ- ſiones referrentur ad organa, & quid ſimile ſenſationibus ad organa quæ ſunt occaſiones; atque ideò nos non decipit, licèt organa non patiantur impreſſiones, licèt nihil ſimile ſit ſenſationibus in corporibus quæ ſunt occaſiones.

Jam verò idem dici non debet de iiſdem relationibus, prout reſpiciunt exiſtentiam corporum : ſcilicet ſi non ſint corpora, quænam ratio petita ex ſapientiâ & bonitate Dei fecit ut illæ relationes, omnes, perpetuæ & ſibi concordes, forent versùs corpora? cui bono & impreſſiones plures & omnes relationes, ſi corpora non ſint? nihil eſt quod adverſarii reponant.

Urgebis : licèt relationes de exiſtentiâ corporum fiant, ordinante Deo; licèt Deus non dixerit corpora non exiſtere, licèt concipiantur poſſibilia, licèt non ſuperſit medium quo detegatur falſitas, ſupereſt tamen aliquod quo ſit dubitandi locus, & poſſimus à judicando abſtinere; ergo nulla ſolutio.

Nego ſequelam antecedentis : nam hiſce præſuppoſitis, ſub Deo bono & veraci non eſt quòd dubitemus de veritate teſtium quos ipſe fecit & ordinavit.

Probatur ſequela : frequenti experientiâ conſtat nos decipi in relationibus ſenſuum; ergo ſupereſt dubitandi locus.

Diſtinguo antecedens : quando non ſunt

omnes, non ſunt perpetuæ, non ſunt concordes; quando contrarium habetur aut auctoritate Dei aut perceptione, ſubdiſtinguo: ſi dicant corpora eſſe talia vel talia, concedo: ſi dicant ſimpliciter eſſe corpora, nego: ſi omnes, ſi perpetuæ, ſi concordes ſenſus id referant, nec contrà ſtent auctoritas Dei vel perceptio, iterum nego: ergo, &c. nego conſequentiam.

Premes: quando refertur rotunditas ad turrim quadratam, &c. neque contrarium haberi poteſt ſive auctoritate Dei, ſive perceptione; ergo, &c.

Diſtinguo antecedens: & tunc illæ relationes non ſunt omnes conſtantes & perpetuæ, ſed diſcordes pro variâ loci mutatione, pro diverſis ſenſibus, concedo: & ſunt omnes conſtantes & perpetuæ ſine ullâ oppoſitione, nego: poſſunt ergo eſſe falſæ, ſi non ſint omnes conſtantes & perpetuæ: at, ſi omnes ſint conſtantes & perpetuæ ſine ullâ oppoſitione, non poſſunt eſſe falſæ.

Itaque magnum eſt diſcrimen inter relationem, v.g. quâ rotunditas per mentem tribuitur turri quadratæ eminùs poſitæ & relationes de exiſtentiâ corporum quæ fiunt, ordinante Deo: enimverò relatio rotunditatis ad turrim quadratam non eſt omnium ſenſuum, non eſt conſtans & perpetua, ſed pro variis locis mutatur & variat, refertur

è longinquo, non refertur propiùs; ſi ex viſu referatur, non refertur ex tactu.

Denique ratio optica medium eſt quo poſſit dubitari; demonſtrat enim in certâ diſtant â radios ità frangi debere, & in oculo diſponi, ut debeat naſci impreſſio rotunditatis, vel occaſione objecti quod quadratum eſt; proindeque falsò dicitur in objectione contrarium non poſſe deprehendi, aut ſaltem non ſupereſſe medium quo poſſit dubitari : at dici non poteſt idem de relationibus quibus exiſtentia refertur ad corpora; nimirùm relationes illæ omnes ſunt perpetuæ, conſtantes, neque mutantur pro variis locis; nulla eſt ex quâ non judicetur corpora exiſtere. Denique nulla ratio demonſtrat ea non exiſtere; quapropter, ſi culpanda foret divina Providentia quòd dediſſet fallaces veritatis internuntios, profectò, quando nos ſenſus deciperent, dum idem omnes referunt perpetuò, & ſine ullâ oppoſitione, dum nec auctoritas Dei, nec ulla ratio contrarium aſſerit, aut ſaltem, dum nullam incertitudinem inducit.

Inſiſtes : conſecrato pane Euchariſtico, eædem manent impreſſiones in animâ, eædem ſunt relationes eæque conſtantes & omnium ſenſuum : atqui poſt conſecrationem relationes illæ falſæ ſunt, nec tamen Deus nos decipit; ergo, &c.

Diſtinguo minorem : quia auctoritate ſuâ

quæ divina eſt, & quâvis relatione ſenſuum ſuperior, contrarium revelavit, cùm dixit, *hoc eſt corpus meum*, concedo: tunc enim facit ut jam non credamus relationibus ſenſuum; nec auctoritate ſuâ contrarium revelavit, nego.

At, inquies, aliquis poteſt neſcire conſecrationem fuiſſe factam, is tamen non decipitur; ergo relationes omnes perpetuæ, concordes poſſunt eſſe falſæ, nec tamen Deus nos decipiet.

Diſtinguo conſequens: relationes de tali corpore, de naturâ & eſſentiâ, concedo: de exiſtentiâ tantùm, nego: itaque maxima diſparitas eſt inter relationes de naturâ & eſſentiâ corporum, & relationes de exiſtentiâ ſimpliciter: equidem relationes de eſſentiâ & naturâ poſſunt eſſe falſæ quin Deus nos decipiat, quia non ſunt medium ſufficiens, datumque nobis ut metaphyſicè judicemus de eſſentiâ & naturâ corporum: ſed relationes de exiſtentiâ corporum non poſſunt eſſe falſæ quin Deus nos decipiat, quia medium ſunt ſufficiens ut per eas metaphyſicè judicemus de exiſtentiâ ſimpliciter corporum; quapropter ſit hoc vel illud corpus, ſemper certum eſt quòd ſit aliquod corpus quod eſt occaſio impreſſionum quas conſequuntur relationes & teſtimonia: illud patebit ampliùs ex dicendis.

An ſimus certi metaphyſicè dari corpus quod noſtrum ſit.

Idem de hâc quæſtione cenſuit Auctor libri De Inquiſitione Veritatis, quod de ſuperiore; clariſſimus & doctiſſimus de Cordemoy in ſermone inſcripto, *de la diſtinction du corps & de l'ame*, ultrà provectus, non tantùm aſſerit cum Carteſio mentem humanam eſſe quid notius corpore, verùm etiam contendit nullâ ratione naturali poſſe demonſtrari exiſtentiam noſtri corporis; & concludit ipſam eſſe ſolius fidei divinæ articulum, non rationis fœtum, hocce ratiocinio; *par exemple, je me repréſenterai que Dieu s'eſt fait homme comme moi; & comme il eſt de foi qu'il avoit un véritable corps, je croirai que j'en dois avoir un, puiſque autrement il n'auroit pas été homme comme moi; & au lieu que l'ame eſt à quelques-uns un article de foi, je m'en veux faire un du corps, & raiſonner ſur ce fondement plus sûr que tous les autres*: contrà eos ſit

PROPOSITIO.

Certus ſum metaphyſicè dari corpus quod meum ſit.

Probatur: ſum metaphyſicè certus eſſe in me cogitante impreſſiones; earum quippe datur ſenſus intimus & immediatus, ità

ut, ſi ore negaretur exiſtentia illarum impreſſionum, reclamaret conſcientia: ſum metaphyſicè certus impreſſiones illas originem dare relationibus & teſtimoniis, quibus portio aliqua materiæ mechanicè diſpoſitæ ſpectatur ut organum illarum impreſſionum, quod quidem accidit in omnibus impreſſionibus: v. g. perceptio refertur ad ſummitatem capitis, tanquam ad organum; imaginatio ad partem frontalem, viſio ad oculum, ſitis ad fauces, gaudium ad cor, dolor ad digitum, &c. atqui relationes illæ & animæ teſtimonia non poſſunt eſſe falſa; id eſt, reverà quædam materiæ portio mechanicè diſpoſita debet eſſe organum illarum impreſſionum: nam primò, quidquid agat anima noſtra, attendat quantùm voluerit, non poteſt non ſpectare corpus, quod vocat ſuum, tanquam organum impreſſionum: ſecundò relationes illæ, Deo ordinante, fiunt, omnes ad idem teſtandum concurrunt, ſuntque totidem voces fortiores quâvis demonſtratione ſpeculativâ, clamantes exiſtere corpus, quod noſtrum ſit; perpetuæ ſunt illæ relationes in quovis tempore, in quovis loco, in quovis ſtatu, ſive vigilemus, ſive ſomniemus, ſive ſapiamus, ſive non, ſive pueri, ſive viri, ſive ſenes, ſive mares, ſive fœminæ, ſive Barbari, ſive Docti, ſive Plebeii, ſive Aulici; ergo ſum, &c.

Et certè natura nihil facit fruſtrà, finemque ſibi propoſitum habere debet; propenſiones naturales non poſſunt eſſe fruſtraneæ: porrò, ſi non ſit corpus cui ſit unitum meum principium cogitans, natura aliquid fecit fruſtrà, & omnes propenſiones naturales ſunt fruſtraneæ; nam cui bono fames & ſitis, ſi non ſit corpus nutriendum? cui bono viſio, auditio, &c. ſi non ſit corpus conſervandum? cur corpori cui unitum ſe putat ex omnibus ſuis impreſſionibus principium cogitans, naturaliter favet & ſtudet? cur de hoc corpore adeò ſollicita fugit, timet, dolet? itàne tendunt ad illius conſervationem omnes ferè functiones? cui bono propenſio maris ad fœminam, ut ſpecies propagetur? profectò hæc omnia fruſtranea ſunt, ſi non ſit corpus quod meum ſit; & erravit naturæ Auctor; quod abſurdum eſt, & in Creatorem blaſphemum; ergo certus ſum metaphyſicè, &c.

Denique qualis eſt articulus fidei quem nobis proponit celeberrimus de Cordemoy? vult exiſtentiam ſui corporis eſſe ſibi cognitam, in quantùm de fide eſt Chriſtum habuiſſe corpus, quia *Verbum caro factum eſt*; quaſi verò fides de humanitate Chriſti non ſit ex auditu, quaſi verò non ſupponat nos habere corpora, non ſupponat Moyſem, Prophetas: porrò, hoc poſito, priùs ex ratione naturali certum eſſe debet nos habere

corpus, quàm certum ſit Chriſtum habere & habuiſſe: hinc Eccleſiæ Patres, cùm diſputaverunt adversùs Hæreticos de verâ Chriſti carne, ſuppoſuerunt eſſe veram in nobis, & probaverunt in Chriſto fuiſſe veram, quia talis fuit, qualis eſt in nobis; quippe * *per omnia fratribus debuit ſimilari*, inquit Apoſtolus. Tandem ex primo Geneſeos capite certum eſt nos habere corpus; ergo independenter ab Incarnatione hæc conſtaret veritas.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. Cùm eodem, loco citato: aliquando putavi, ſi velis, ſomnians, me habere corpus quod ad nubes accedebat, vel erat centupedale; nunc cogito me non habere tale corpus, aut ſaltem dubito utrùm habeam; cur igitur certus ero me nunc habere corpus quintupedale? cur ero certus me aliquod habere? quippe tam facilè tolli poſſunt quinque pedes qui ſuperſunt, quàm facilè nonaginta-quinque detracti ſunt; nec eſt quòd dicas, cogito firmiſſimè me habere corpus quintupedale; nam idem firmiſſimè cogitabas de centupedali: his adde quoſdam quibus eſt abſciſſa manus, quibus abſciſſa eſt tibia,

* Heb. c. 2.

qui tamen exiſtimant ſe dolorem pati in digitis, in pede; ergo quis poterit exiſtimare ſe habere corpus, & tamen eo carebit?

Nego conſequentiam: nam non dixi nos eſſe metaphyſicè certos de extenſione determinatâ corporis: id unum dixi, nos eſſe metaphyſicè certos de exiſtentiâ alicujus corporis, cui ſubſtantialiter ſit unitum noſtrum principium cogitans: porrò diſparitas eſt maxima inter eum qui exiſtimat ſe habere corpus centupedale, & eum qui exiſtimat ſe habere corpus, qualecumque ſit, nihil determinando de magnitudine: nam primò, qui exiſtimat ſe habere corpus centupedale, id forſan exiſtimat in aliquo ſtatu poſitus; v. g. ſomniando, aut per amentiam, non autem in omni ſtatu: è contrariò qui exiſtimat ſe habere corpus abſtrahendo à tali vel tali magnitudine, illud exiſtimat in quovis tempore, in quovis loco, in quovis ſtatu, ſive vigilet, ſive ſomniet, ſive ſapiat, ſive deſipiat.

Deinde qui exiſtimat ſe habere corpus centupedale, & tamen non habet, id forſan exiſtimat occaſione unius aut alterius impreſſionis, & per alias relationes detegit ſe non habere tale corpus: v. g. homines illi qui dolorem referunt ad crus ligneum, deprehendunt ope tactûs illud eſſe ligneum; proindeque non eſſe doloris organum; qui dolorem referunt ad manum ligneam, ope

viſûs & tactûs detegunt manum non eſſe carneam ; ſic pariter Dominus *de Cordemoy*, dum putabat ſe habere corpus centupedale, ope viſûs & tactûs deprehendere potuiſſet ſe non habere tale corpus ; at verò qui exiſtimat ſe habere corpus abſtrahendo à tali vel tali magnitudine, illud habet ex omnibus relationibus quæ ſuas conſequuntur impreſſiones, illud habet in quovis ſtatu, in quovis loco, in quovis tempore ; illud colligit ex fame, ſiti, dolore, &c. ex amore, odio, &c. ex viſu, auditu, &c. ex imaginatione & perceptione, ex naturali propenſione in corpus, ſollicitudine, curâ, &c. nec contrarium ullâ quâvis impreſſione detegere poteſt.

Denique, licèt fieri poſſit ut credam corpus meum eſſe centupedale, & tamen non ſit, non poteſt fieri ut credam me habere corpus & nullum ſit : nec enim explicari poteſt quomodò qui non habet centupedale corpus exiſtimet ſe habere illud corpus, niſi quia aliquod habet corpus cujus occaſione adſunt in principio cogitante impreſſiones, quas conſequuntur relationes quibus ſic exiſtimat ; niſi quia nervi per totum corpus diffuſi eo commoventur modo quo reverà commoverentur, ſi corpus eſſet centupedale ; ſic qui non habent niſi crus ligneum, niſi manum ligneam, exiſtimant crus & manum eſſe

organa

organa impreſſionum cum aliis partibus corporis, & referunt dolorem ad lignum, quia nervi, qui anteà diffundebantur per tibiam & manum, eo modo jam commoventur ac anteà commovebantur: ſic, licèt corpora non ſint præſentia nobis, ſi modò nervuli ſanguine in arteriis pulſante, & membranæ præſertim cerebri, eâ commoveantur ratione, quâ ſolent commoveri ab illis corporibus, dummodò motus ille ſit fortior, illa corpora creduntur eſſe præſentia nobis, ut videre eſt in ſomniantibus, in phreneticis & iis qui ardentiſſimâ febri laborant; inde quidam credunt ſe videre mortuos, propinquos, amicos: hinc in mulieribus præſertim & pueris quorum nervuli faciliùs agitari poſſunt, ſunt phantaſmata quæ ſibi obvia putant: ſed hæc omnia perfici non poſſunt, niſi mediante aliquo corpore; ergo vel ex illis erroribus colligitur infallibiliter eſſe corpus aliquod cui unitum ſit ſubſtantialiter noſtrum principium cogitans; proindeque ex ipſâ hypotheſi viri clariſſimi reſultat demonſtratio de exiſtentiâ corporis.

Objicies 2°. Sunt in animabus damnatorum impreſſiones famis, ſitis, doloris, triſtitiæ & cæterorum affectuum independenter à corporibus; nec enim Religio Chriſtiana proponit quod pagana, cujus Poëtæ ſimiles noſtris Pictoribus, ut exhibe-

rent in damnatis eas ſenſationes, fingebant corpora quæ ſaltem erant organa illarum ſenſationum: ſic vultur rodit cor Ixionis; ſic

* *Tantalus à labris ſitiens fugientia captat pocula.*

Ergo poſſunt eſſe in nobis omnes illi ſenſus, licèt corpore careamus.

1°. Tranſeat quòd ſint in damnatis ſenſus illi in objectione recenſiti, putà famis & ſitis, quales ſunt in nobis; quippe forſan iſta non ſunt niſi Scripturæ hieroglyphicæ quibus ſignificare voluerunt Scriptura & Patres, per eas miſerias quarum conſcii ſumus, quis ſit hujuſce miſerrimi ſtatûs horror, ut à peccatis homines deterrerentur, non quòd talia ſint in damnatis ſupplicia, ſed quòd ſint majora.

Prætereà ſunt quidam affectus communes & Angelis, & animabus, qui proinde non dependent abſolutè à partibus corporis tanquam ab organis, putà dolor, triſtitia, deſperatio, &c. qui quidem affectus excitantur in damnatis à Deo vindice & juſto, quem ideò execrantur; forſan etiam excitantur ab igne inferno tanquam ab occaſione; & proinde ſi ipſum ut occaſionem ſpectent, in eo non decipiuntur: ut ut eſt.

* Hor. Sat. 1.

2°. Diſtinguo antecedens: ſunt impreſſiones independenter à corporibus, quas proinde non conſequuntur relationes ad corpora, concedo: quas conſequuntur relationes ad corpora, nego: proindeque, nego conſequentiam.

Itaque exiſtentiam mei corporis non probavi ex ſolis impreſſionibus, verùm etiam ex relationibus omnibus, perpetuis, conſtantibus quæ conſequunter omnes impreſſiones quæ ſunt in nobis ſine præceptis, ſine arte, independenter ab educatione, quæ fiunt, nobis vel invitis & repugnantibus, inſtituente Deo, ordinante, quibus unuſquiſque exiſtimat ſecundùm teſtimonium intrinſecum, perpetuum & conſtans, altam conſcientiæ vocem, mille teſtes, ſe dependere in ſuis impreſſionibus ab aliquâ ſubſtantiâ quæ non ſit Deus; imò quæ ſit ipſo principio cogitante inferior.

Quamobrem ſint omnes illi affectus in damnatis independenter à corporibus, quid contrà me, dummodò relationes non conſequantur affectus illos, relationes, inquam, ad corpora, dummodò ex illis affectibus perpetuò, conſtanter non judicent damnati ſe habere corpora quibus uniti ſint ſubſtantialiter?

Quid ſit Unio ſubſtantialis corpus inter & animam noſtram.

Ut intelligatur natura principii cogitantis non ſufficit noſſe illud eſſe unitum ſubſtantialiter corpori, quod ideò noſtrum dicitur: quæritur præterea quid ſit hæc unio ſubſtantialis; quod quidem ut explicetur diſtingui debet unio, alia localis, alia intentionalis, alia affectiva.

Unio localis eſt præſentia duorum in eodem loco, aut unio duorum ſibi contiguorum.

Unio intentionalis eſt actio facultatis cognoſcentis circà objectum cognitum, ſic intellectus & objectum uniuntur intentionaliter; quando ipſe cognoſcit, & objectum cognoſcitur.

Unio affectiva eſt actus amoris, ſeu pondus in objectum amatum, & viciſſim; ſic eſt unio inter amicos.

His poſitis, quæritur an unio ſubſtantialis ſit merè localis; an intentionalis, an affectiva, quare ſit

PRIMA PROPOSITIO.

Unio corpus inter & animam rationalem non eſt merè localis.

Probatur; nam unio corpus inter & animam rationalem facit ut ex corpore &

ſpiritu reſultet una quædam ſubſtantia totalis : atqui unio merè localis facere non poteſt ut ex corpore & ſpiritu reſultet una ſubſtantia totalis ; nam eſt unio localis, Deum inter & creaturas ſuas, quia omnia ſunt in Deo : fuit unio localis aut potuit eſſe Angelorum cum corporibus aſſumptis : atqui ex Deo & creaturis reſultare non poteſt ſubſtantia totalis, neque reſultabat ex Angelis & corporibus aſſumptis; ergo unio, &c. Imò unio corpus inter & animam rationalem eſſe poteſt quin ſit localis : ità certè, licèt anima localiter abeſſet à corpore, poſſet eſſe abſolutè unio, quam poſtulant omnes corpus inter & animam rationalem.

Quanquam juxtà ordinem à Deo conſtitutum probabile eſt animam rationalem unitam ſubſtantialiter corpori eſſe ipſi localiter præſentem : quemadmodum enim motus non derivatur in corpus B juxtà ordinem à Deo conſtitutum niſi occaſione corporis A tangentis corpus B ; licèt tamen potuiſſet Deus ordinare ut corpus B moveretur, quando corpus A ſive mediato ſive immediato contactu moveretur ; ità juxtà eumdem ordinem non ſunt in animâ rationali impreſſiones occaſione corporis noſtri, niſi anima ſit localiter præſens corpori præſentiâ vel mediatâ vel immediatâ parti, quæ tangitur ; licèt abſolutè potuerit inſti-

tuere Deus, ut ſint eædem impreſſiones in animâ occaſione motuum in corpore quod non eſſet ipſi præſens localiter, mediatè vel immediatè; hinc, licèt anima foret in vortice Saturni, corpus verò in quo nunc jacet loco, tamen poſſet adeſſe unio ſubſtantialis quam poſtulamus.

Dixi naturaliter animam eſſe localiter præſentem corpori, quia corpus noſtrum ſpectatur ut tabernaculum, ſedes, domicilium animæ; aut cum Platonicis, ut ergaſtulum.

SECUNDA PROPOSITIO.

Unio Corpus inter & Animam rationalem non eſt merè intentionalis.

Probatur: nam ad hoc ſatis eſt quòd per unionem merè intentionalem non reſultet una ſubſtantia ex objecto cognito, & ſubſtantiâ cognoſcente: atqui verum conſequens; alioquin primò, ex Deo cognoſcente, & creaturâ cognitâ reſultaret unio ſubſtantialis. Secundò, ex Angelo cognoſcente, & ex corporibus aſſumptis pariter reſultaret eadem unio; ergo, &c.

TERTIA PROPOSITIO.

Unio corpus inter & animam rationalem non eſt merè affectiva.

Probatur : nam unio affectiva debet eſſe mutua : atqui non eſt ; nam , ſi anima corpus amat , quod conſtantiſſimum eſt , non redamatur à corpore : abſurdè ageret qui reciprocam corporis versùs animam admitteret propenſionem ; ergo mutua non eſt hæc unio ; ergo , &c.

Et certè unio affectiva tendit quidem ad aliquam ſimilitudinem ex utrâque parte , ſi mutua ſit , ſed non facit totum illud ſubſtantiale quod quærimus : amor eſt unitivus , ſed mutuus ſit neceſſe eſt.

Denique unio quam quærimus , manet ſine affectu animæ in corpus , ut patet vel deſperatis qui ſibi mortem inferunt.

QUARTA PROPOSITIO.

Unio ſubſtantialis corpus inter & animam in eo poſita eſt quòd occaſione motuum qui ſunt in partibus organicis noſtri corporis , ſint in nobis cogitantibus impreſſiones quas conſequuntur propenſiones , odia , relationes animæ , judicia ; & viciſſim occaſione functionum illarum communicentur motus partibus noſtri corporis , & mutentur determinationes.

Probatur : nam in eo poſita eſt unio ſubſtantialis, quo poſito , intelligitur quomodò ex corpore & ſpiritu tanquam ex ſubſtantiis partialibus conſtituatur una ſubſtantia to-

talis : atqui hiſce poſitis benè intelligitur quomodò ex ſubſtantiâ corporeâ, & ſubſtantiâ ſpiritali reſultet una ſubſtantia totalis quæ dicitur natura humana ; nam ad totalitatem requiritur ut ſubſtantia habeat omnes ſuas perfectiones, nec habeat plures : porrò, hoc poſito, corpus quidem & anima omnes ſuas habent perfectiones, ut omnibus patet, & habent plures ; nimirùm corpus eſt organum cogitationum, eſt inſtrumentum animæ, ut videat, audiat variiſque animi motibus afficiatur ; ergo, hoc poſito, benè intelligitur quomodò ex corpore & animâ rationali reſultet una ſubſtantia totalis ; ergo unio, &c.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. Corpus non poteſt agere in animam, & anima viciſſim non poteſt agere in corpus ; ergo, &c.

Diſtinguo antecedens : non poteſt ut cauſa efficiens, concedo : ut organum & occaſio, nego : proindeque, nego conſequentiam.

Itaque reverà corpus non agit in animam, & anima non agit in corpus ; ſed corpus eſt organum ut ſint impreſſiones in animâ quas conſequuntur propenſiones, odia, relationes, judicia, &c. & viciſſim omnes illæ functiones ſunt occaſiones motuum in partibus organicis corporis.

Inſtabis: anima corpore ſuperior eſt; ergo in ſuis functionibus non dependet à corpore tanquam organo.

Diſtinguo antecedens : ratione idearum quas abſolutè poteſt habere independenter à corpore, concedo : ratione motuum & ſenſationum, nego : proindeque, diſtinguo conſequens : in ſuis functionibus quæ ſunt ideæ non dependet à corpore tanquam organo ſubdiſtinguo : abſolutè, concedo : juxtà præſentem ſtatum, nego : non dependet ratione motuum animi & ſenſationum, nego.

Itaque, ut infinities dictum eſt, impreſſiones vel ſunt intimi ſenſus, vel ſunt ideæ; ſenſus intimi vel ſunt motus utriuſque appetitûs vel ſenſationes : anima non pendet quidem abſolutè à corpore tanquam organo, ut ſint ideæ, proindeque functiones cæteræ quæ conſequuntur ideas ; inde poteſt eſſe corpori ſuperſtes, ut poſteà dicetur; ſed pendet juxtà præſentem ſtatum ; deinde pendet abſolutè ratione ſenſationum putà viſionis, auditûs; pendet etiam ratione quorumdam motuum, famis, ſitis, nempe eorum qui ordinantur à Deo ad conſervationem corporis.

Urgebis : ſæpiùs ſunt in corpore noſtro motus quorum occaſione non ſunt ſenſationes in animâ noſtrâ; ergo falſum eſt occaſione motuum qui ſunt in corpore noſtro, adeſſe ſenſationes.

Diſtinguo antecedens : & illi motus ſunt minores, ſuntque alii majores qui ſuas excitent impreſſiones quibus occupatur anima, concedo : ſecùs, nego : ergo, &c. nego conſequentiam.

Itaque ſimul & eodem inſtanti varii ſunt motus in partibus organicis noſtri corporis : inter eos alii ſunt majores, alii ſunt minores : anima noſtra non poteſt ſimul ad omnes attendere ; patitur impreſſiones occaſione majorum quibus plerumque tota occupatur, & inde non patitur impreſſiones occaſione minorum qui ſunt majores, fiunt aliquando magis remiſſi ; & qui minores anteà erant, quia aut perſeverant, aut augentur, majores fiunt, ideòque ſunt occaſiones aliarum impreſſionum : ſic, v. g., objectum aliquod de die viſum excitat quemdam motum in ſanguine noſtro ; motus ille, quia alter major eſt quo diſtrahimur, non eſt occaſio impreſſionum, ſive ſint animi motus ſeu pathemata ; ſive ſint ſenſationes & ideæ quas impreſſiones conſequantur propenſiones aut odia : at, quia ut videre eſt in eo qui profundè dormit, clauduntur oculi, laxiores fiunt nervi, nec tranſmittunt motus ad cerebrum aut membranas motus hic primùm excitatus & perſeverans, factus major excitat eas impreſſiones quæ anteà non excitabantur ; inde relationes & teſtimonia quibus objectum

ſit præſens, cum quo loquimur, quod audimus, quod guſtamus, quod fugit, quod amamus, quod odio habemus, & ſic de cæteris.

Hinc ſuprà obſervatum eſt * Sacerdotem Africanum nullo dolore tangi, dum igne corpus urebatur, quia non attendebat ad illos motus: hinc miles totus ut infligat vulnera, ſæpè nullum patitur dolorem, dum infliguntur ſibi: at, poſtquam æſtus iræ deferbuit, attentione jam datâ in ſuum corpus, maximo dolore premitur: hinc quidam eâ attentione meditantur & ſtudent, ut murmura, tumultus maximos, non audiant: quidam ſunt præſertim Metaphyſici, qui ità diſtracti ſunt & abſtracti à negotiis terreſtribus, domeſticis & ſervilibus ut, licèt aliis feliciter incumbant, hæc nec audiant, nec videant; inde aliquando nec guſtant, nec olfaciunt: hinc ſunt qui nullo ferè dolore tanguntur aut abſentiâ, aut amicorum parentumque morte, & nullo gaudio afficiuntur commodis fortunæ & naturæ: ſunt qui nullâ ferè ſollicitudine torquentur circà bona corporis & animi, hi verò vix patiuntur aliquod ex læſione corporis; è contrario qui nimis attendunt ad voluptates ſenſiles, cætera negligunt, & otio torpent inertiſſimo, apti ad fabulas,

* Aug, l. 14. de Civ. Dei. a. 24.

X v

garrulitates, nænias, ludos, nugas; apti ad ornatum corporis & quædam vitæ ſentientis commoda in quibus muliebriter inſaniunt. Hâc viâ explicari poteſt quomodò tot Martyres coporis ſui jacturam paſſi fuerint ferè ſine ullo doloris ſenſu, aut ſaltem cum animi patientiâ; cùm enim illi toti Deo adhærerent pro quo mori apud eos erat vivere, cùm nihili facerent terreſtrem hanc vitam, quia ſe habebant ut exules filios Evæ in valle lacrymarum, quia cupiebant diſſolvi & eſſe cum Chriſto, certè corpus ſuum non ità impensè diligebant: carcer erat, ergaſtulun, pondus, ſarcina; ideòque, ſi quæ veniebant incommoda, ſi exilio, virgis, crurifrag o puniebantur, ibant gaudentes, quoniam digni habiti erant contumeliam pati pro Chriſto Jeſu, qui quidam affectus iis ineſſe non poſſunt qui cœleſtia non ſapiunt, & terreſtribus bonis fruuntur: cupiditas excitat attentionem ad terreſtria, gratia Salvatoris ad cœleſtia, ab attentione naſcitur amor, ut amor excitat attentionem: porrò qui amat corpus ſuum, aut animæ functiones, ut inclinant ad corpus plùs quàm Deum, non eſt Deo dignus: hæc audiant Chriſtiani, hæc intelligant.

Premes: ſi occaſione motuum majorum eſſent in animâ attendente ſenſationes, affectus animi, putà gaudii, doloris, anima non poſſet non gaudere aut dolere: ab-

ſurdum conſequens; ergo & antecedens.

Diſtinguo majorem : quoad ſenſum, concedo : quoad conſenſum, nego : ſimiliter diſtinguo minorem, nego conſequentiam.

Inſiſtes : ſenſum ſequitur infallibiliter conſenſus; ergo nulla ſolutio.

Nego antecedens : nam ad hoc ſatis eſt quòd poſſit eſſe alia impreſſio oppoſita in homine libero : atqui poteſt eſſe alia impreſſio & quidem oppoſita in homine libero, v. g. per divinum auxilium, quod ex meritis Chriſti tribuitur hominibus lapſis, & vocatur gratia Salvatoris.

Itaque ſenſus neceſſarius eſt, ex quo ſequitur eum nullatenùs peccare qui ſentit; imò meretur gloriam æternam, ſi appetitui reſiſtat inclinanti contrà præceptum, ſi reſiſtat, inquam, ex motivo à Spiritu ſancto : mercedem autem humanam, ſi ex alio quodam motivo non malo ducatur.

Objicies 2°. Si occaſione propenſionum in animâ eſſent in corpore noſtro motus ad arbitrium voluntatis, Pigmæus poſſet opprimere gygantem, puer, virum : contrà experientiam conſequens; ergo & antecedens.

Diſtinguo majorem : ſi eſſent motus qui ſuperarent præſentem diſpoſitionem mechanicam corporis, concedo : qui reſponderent viribus præſentibus corporis, nego : concedo minorem : pariter diſtinguo conſequens.

Itaque non dico occaſione propenſionum

in animâ ſequi in corpore noſtro motus quoſlibet; hoc enim eſt contrà experientiam quâ infirmitas humana ſatis demonſtratur: non dico eos excitari qui vires præſentes machinæ corporeæ ſuperent; id unum dico, eos communicari motus qui ſtructuræ organicæ partium, & quantitati motûs in illo corpore exiſtentis reſpondeant: ſcilicet occaſione volitionis noſtræ motus de novo non producitur, ſed communicatur tantùm mutaturque determinatio; quod quidem ſufficit ad explicanda rectè phœnomena: v. g. infans non habet vires quas adultus, licèt aliunde ſit generoſior; oſſa quæ ſunt vectes, non ſunt tam firma; ligamenta quæ ſunt funes, non ſunt tam valida; nervi qui ſunt cordæ, non ſunt ità tenſi; muſculi laxiores ſunt & nimiùm poroſi; ſanguis tanto impetu non agitatur; mulier etiam furioſa, (qui ſtatus eſt majoris fortitudinis) non eſt ejuſdem roboris cum viro; caro muſculorum magis eſt fungoſa; ideòque difficiliùs implentur muſculi ſanguine & humoribus, difficiliùs ideò turgeſcunt; ligamenta oſſium molliora ſunt & laxiora quàm in viris, ea præſertim quæ ſunt versùs juncturas manuum, pedum, genuum, circà & renes.

Inſtabis: ſi occaſione impreſſionum in animâ eſſent ad voluntatis nutum in corpore motus qui reſponderent præſenti diſpoſi-

tioni mechanicæ, anima quando vellet, impediret motus quoſdam novam ponendo determinationem: atqui anima quando vult, non impedit motus illos, nec ponit novam determinationem; v. g. anima ebrii non poteſt impedire vacillationem corporis, blæſas linguæ voces, capitis dolorem; ergo, &c.

Diſtinguo majorem: anima quando vellet, impediret quoſdam motus novam ponendo determinationem, cujus determinationis præſens diſpoſitio corporis mechanica foret capax, concedo: non foret, nego: diſtinguo minorem: nec ponit novam determinationem cujus præſens diſpoſitio mechanica corporis non eſt capax, concedo: cujus eſt capax, nego.

Itaque anima quando vult, non impedit quoſdam motus, nec ponit novam determinationem, quando præſens diſpoſitio mechanica corporis non eſt capax hujuſce mutationis: quippe ex Adami culpâ ſunt quidam motus involuntarii quos anima non poteſt penitùs coërcere, quia ex illo tempore corpora noſtra ſequuntur leges ordinarias motûs quas Deus poſuit, à quibus tamen pluribus immunis erat Adamus, cùm animale corpus, gratiâ Dei magnâ, beſtialem libidinem non ſentiret, inquit Auguſtinus ſed, quando vult anima, impedit quoſdam motus, & novam ponit determinationem cujus proinde tunc eſt capax præſens diſ-

poſitio mechanica corporis, & in exemplis allatis optimum eſt noſtræ reſponſionis fundamentum, putà ex hypoteſi quòd incedat ebrius, non poteſt non vacillare : ſed, ſi ſuperſit ea vis mentis quâ ſuam nolit vacillationem, arbitrio ſuo ſedet, & impedit vacillationis determinationem ponendo aliam: ex hypoteſi quòd loquatur, non poteſt non blæſa verba reddere ſono gracili, ſed ſuo nutu tacere poteſt.

Quamobrem non impedit anima motus quoſlibet, non ponit quaſlibet determinationes, ſed aliquos impedit, & aliquas ponit; enimverò in homine lapſo, ut nunc eſt, motus triplicis generis diſtingui debent: alii ſunt naturales quibus corpus noſtrum tanquam machina naturalis conſervatur: v. g. motus pulmonum, cordis, ſanguinis; alii ſunt involuntarii qui contrà voluntatis propenſionem permanent, quales ſunt motus in febricitantibus; oriuntur etiam illi ex legibus quas Deus naturæ corporeæ communes fecit, differuntque à naturalibus, quia naturales permittuntur à nobis, adjuvantur, & faciunt ad conſervationem corporis; involuntarii verò ſunt contrà nutum voluntatis quæ ideò, quantùm in ſe eſt, eos coërcet; nocent plerumque eidem conſervationi : denique liberi ſunt ad voluntatis præſcriptum, non quidem novâ productione, ſed communicatione & determi-

natione cujus eſt occaſio anima rationalis.

Ex his motibus intelligitur imperium animæ in corpus; ex involuntariis ipſius ſervitus : quamquam eorum domina fieri poteſt ratio, & paulatim eos coërcere poteſt & frangere; ſi teneatur ordo vitæ quo indoles noſtra temperetur; liber enim eſt homo, ut accipiat quoſdam cibos & potus quibus ſanguinis efferveſcentia minuatur atque proinde fiat minùs promptus ad iram, luxuriam & alia vitia; hoc enim obſervare debent populorum Rectores, vitia & pravos habitus quorumdam hominum ex ipſo ſanguine, & corporis habitudine præſertim repeti; quapropter ad emendationem ſanguinis perveniendum, ut ipſis perfectè medeantur; inde jejunia ſunt inſtituta; inde uſus vini temperatus: ſed hoc caveant, ne, dum mutant cibos, alii accipiantur calidiores, transfundentes in ſanguinem majus elaterium & animoſiores.

Objicies 3°. Si unio ſubſtantialis animam inter & corpus conſiſteret in illo commercio de quo priùs, per illud commercium anima foret pars hominis, nec foret ſubſtantia totalis : ſed anima non eſt pars; habet enim omnes ſuas perfectiones, nec habet plures quàm ſuas, etiam unita corpori; ergo, &c.

Nego minorem & ſequelam: habet enim anima unita corpori plures perfectiones quàm ſuas, ſi per unionem cum corpore perficiatur: atqui anima per unionem cum

corpore perficitur, anima per unionem cum corpore varias patitur impreſſiones quibus careret ſine corpore : atqui perfectio eſt animæ quòd illas patiatur impreſſiones; quis enim neget perfectionem eſſe quòd quis diſtinctè videat, colores benè diſtinguat, aptet & ſociet, cantûs dulcedine rapiatur, varias ſonorum modulationes diſtinguens, benè guſtet & olfaciat : hæc certè in ordine ſaltem phyſico meliora ſunt, quàm ſi non eſſent viſio, auditus, &c. enimverò illud eſt in anima perfectio quo judicat de pluribus de quibus ſibi relicta non poſſet judicare : ſed anima, ope ſenſationum, judicat de plurimis de quibus ſibi relicta non poſſet judicare; v. g. judicat de exiſtentiâ corporum, de numero, pulchritudine, mirâ Orbis univerſi diſpoſitione, atque vario partium concentu : porrò ſibi relicta de iis judicare non poſſet : quippe ſub illis rationibus corpora non poſſunt attingi ab ideis; ergo anima unita corpori plures habet perfectiones quàm ſuas.

Inſtabis : ſi anima unita corpori plures haberet perfectiones quàm ſuas, ſeparata & ſine corpore minùs eſſet perfecta : ſed à corpore ſeparata non eſt minùs perfecta quàm unita corpori; ergo, &c.

Diſtinguo majorem : eſſet minùs perfecta cæteris paribus, concedo : cæteris imparibus, nego : pariter diſtinguo minorem, & nego conſequentiam.

Itaque anima ſeparata, dum ſpectatur in ordine ad ſe unitam, vel ſpectatur ità ut cætera ſint paria, vel ſpectatur cæteris imparibus: v.g. ſi ſpectetur anima Beatorum ſeparata à corpore, non eſt minùs perfecta quàm unita corpori, quia cætera non ſunt paria; nam caret illa præcipitatione, præjudicio; ipſi proponuntur objecta nobiliora, adjuvatur auxilio ſupernaturali & efficaciori quo Deum videt facie ad faciem: àt in præſenti ſtatu unionis præcipitatione & præjudicio laborat, terreſtribus objectis manet irretita, & delectatione ſenſilium occupatur quâ propendet in ea quæ ſunt carnis & ſanguinis: at, ſi cætera paria forent, ſi anima Beatorum jam ſeparata ſpectaretur in ordine ad animam, ut aliquando uniendam corpori, quando mortale hoc induet immortalitatem, jam minùs perfecta eſt quàm futura ſit: hinc Theologi aiunt ipſius beatitudinem nondum eſſe completam; ſcilicet poſt Reſurrectionem alias patietur impreſſiones quæ ipſam non modò non ſollicitabunt contrà rationem; ſed juvabunt & excitabunt ad Deum magis collaudandum: viſio Chriſti Sanctorumque corporalis concurret cum cognitione ad amorem Dei: ex omnibus impreſſionibus excitabitur perfectum gaudium & perfecta requies; non audietur illud, *quouſque, Domine, vindicas ſanguinem noſtrum*: hinc, ſi

anima ſeparata à corpore quæ Deum non videret intuitivè, quæ ſibi relinqueretur, comparetur cum eâdem animâ unita corpori, certè minùs perfecta foret.

Urgebis : ſi viſio, auditus, &c. perfectiones forent, eſſent in Deo in quo omnis eſt perfectio : atqui non ſunt; ergo, &c.

Diſtinguo majorem : eſſent in Deo eminenter, quia eſſet aliquid perfectius, concedo : eſſent in Deo formaliter ut ſunt ſenſationes, nego : porrò viſio, auditus, &c. non ſunt in Deo formaliter ut ſenſationes, quia Deus nihil patitur ab extrinſeco, ſed ſunt in Deo eminenter. Qui formavit oculum, non videbit? qui plantavit aurem, non audiet? ſunt, inquam, eminenter, quia eſt quid perfectius, quid nobilius quo Deus omnia attingit à fine uſque ad finem : nimirùm eatenùs ſenſationes illæ quas in nobis conſequuntur relationes; ſunt perfectiones reſpectu noſtrî; quatenùs, cùm anima non ſit præſens omnibus, hiſce mediantibus, commercium habet cum illis à quibus diſtat, quatenùs, cùm non decreverit eorum futuritionem, nec fecerit exiſtentiam, poteſt de iiſdem ex illis teſtimoniis judicare : at Deus præſens eſt omnibus, omnia concipit; omnia decrevit, omnia fecit; ideò modo perfectiori, nobiliori, verbo dicam, ſuavi & infallibili hæc attingit omnia independenter à ſenſationibus.

Objicies 4°. Abſurdùm eſt animam noſtram non aliter uniri corpori quod noſtrum eſt, quàm corporibus quæ ipſum ambiunt: atqui, poſitâ noſtrâ ſententiâ, anima haud aliter uniretur corpori noſtro quàm cæteris; ergo, &c.

Nego minorem: nam, poſitâ noſtrâ ſententiâ, arctius eſt vinculum inter corpus noſtrum & animam, dependentia major quàm ſit inter eamdem animam & cætera corpora in quantùm etiamdum abſunt; ipſa patitur impreſſiones quas eædem conſequuntur relationes, ſi ſint in partibus noſtri corporis motus quos ſolent excitare ambientia corpora.

Probatur minor: ut corpus noſtrum occaſio eſt impreſſionum in animâ; ità cætera corpora ſunt occaſiones earumdem impreſſionum; ergo, poſitâ noſtrâ ſententiâ, anima haud aliter uniretur corpori noſtro quàm cæteris.

Nego antecedens: nam corpus noſtrum eſt occaſio immediata impreſſionum: atvero corpora quæ noſtrum ambiunt, occaſiones non ſunt, niſi mediantibus partibus noſtri corporis.

Contrà ſolutionem: ſaltem anima non aliter uniretur partibus exterioribus noſtri corporis, putà muſculis externis, pedibus, manibus quàm corporibus quæ noſtrum ambiunt; quia partes exteriores non ſunt occa-

ſiones immediatæ; ſcilicet poſſet eſſe ſenſatio colorum & luminis in animâ, quin ſit motus luminis in oculo; ſenſatio ſoni, quin aures verberentur aëre, &c. ſufficit enim quòd organum immediatum commoveatur eo modo quo commoveri ſolet, dum eædem partes tanguntur : atqui abſurdum eſt animam non aliter uniri partibus exterioribus ſui corporis quàm corporibus quæ noſtrum circumſtant; ergo, &c.

Nego majorem : quia corpora noſtrum circumſtantia ſunt meræ occaſiones : at partes exteriores noſtri corporis non modò ſunt occaſiones, ſed præthereà ſunt organa, ut dictum eſt.

Urgebis : voces ſunt in iſtâ ſolutione, neque ullum eſt diſcrimen poſitivum inter partes exteriores corporis & corpora ambientia in ordine ad animam, niſi quòd libuerit appellare organa partes exteriores corporis; corpora verò quæ circumſtant, occaſiones.

Nego propoſitionem, & dico diſcrimen eſſe poſitivum inter partes exteriores corporis & corpora ambientia in ordine ad animam; dico denominationem organi quæ tribuitur partibus exterioribus corporis, & negatur corporibus ambientibus fundari in aliquo reſpectu poſitivo qui convenit partibus exterioribus noſtri corporis, nec convenit corporibus ambientibus : enimverò hoc accuratè obſervandum eſt, omnes impreſſiones

noſtras referri ad aliquam partem corporis, neque referri ad corpora proximè ambientia; ſic percepitio, ut dictum eſt, refertur ad ſummitatem capitis, amor ad cor, viſus ad oculum, auditus ad aurem, dolor ad digitum; ergo aliter reſpicit anima partes corporis ſui exteriores, aliter reſpicit corpora circumſtantia; ſic pariter refert quid ſimile ſenſationibus ad corpora circumſtantia, v. g. albedinem ad lac, odorem ad roſam; nec quid ſimile iiſdem refert ad organa, v. g. non refert albedinem ad oculum: hinc, ſi referat albedinem ad manum, quâ relatione manus dicatur alba, tunc manus non ſe habet ut organum talis ſenſationis, ſed ut occaſio agens in oculum: hæc porrò omnia fiunt à nobis, Naturâ duce, ordinante Deo, ut operi ſuo, id eſt, homini conſuleret.

Itaque parùm accuratè Auctor artis cogitandi tribuit arbitrio noſtro quòd calor referatur ad ignem, ſenſus verò ad manum: hæc ſunt ejus verba, * *& comme ces idées ne ſont point naturelles, mais arbitraires; on y a agi avec une grande bizarrerie; car, quoique la chaleur & la brûlure ne ſoient que deux ſentiments; l'un plus foible, & l'autre plus fort; on a mis la chaleur dans le feu, & on a dit que le feu a de la chaleur : mais on n'y a pas mis la brûlure, ou la douleur qu'on*

* c. 9.

ſent en s'en approchant de trop près, & on ne dit point que le feu a de la douleur.

Hæc, inquam, parùm accurata ſunt; nec enim ex arbitrio noſtro fit ut ſenſus referantur ad organa, non referantur autem ad corpora circumſtantia; non fit ex eodem arbitrio ut quid ſimile ſenſationibus referatur ad corpora circumſtantia, non ad organa: enim verò, ſi calor referatur ad ignem, certè non refertur ut ſenſus; hæc ergo fiunt neceſſariò ex ipſis legibus quas Auctor naturæ poſuit, ut firmum foret corpus inter & animam commercium; ideò hæc fiunt ab omnibus etiam ab iis qui, attentione datâ, certi ſunt neque partes corporis dolere, neque eſſe in corporibus quid ſimile ſenſationibus; ità certè ego qui jam ſcribo ignem non eſſe calidum, atramentum non eſſe nigrum, chartam non eſſe albam; qui ſcribo oculos meos non videre, aures meas non audire, non eſſe dolorem in manu meâ, dum ipſam propiùs admoveo ad ignem; refero tamen & quidem neceſſariò calorem ad ignem, nigredinem ad atramentum, albedinem ad chartam, viſionem ad oculos, auditum ad aures, dolorem ad manum; neque enim iſta meo permittuntur arbitrio; ſicut qui novit baculum aquis immerſum mediâ ſuî parte non eſſe fractum, refert tamen & neceſſariò fracturam ad baculum.

Inſiſtes: poſitâ hâc reſponſione, tibia

lignea

lignea ad quam aliquando refertur ſenſus ipſe, foret organum.

Nego: ſed foret tantùm ſuffecta in locum organi ad ſuſtentandam machinam; per accidens enim eſt quòd ſenſus ille referatur, nec continuò refertur & conſtanter; dolor qui refertur, non oritur occaſione motuum in tibiâ, ſed ex eo quòd nervuli femoris eâ ratione percutiantur quâ percuti ſolebant, dum aderat tibia carnea; ſpectatur ergo lignea ut fulcrum corporis; & inde hâcce utilitate amor naſcitur in tibiam, qui certè augeretur, ſi lignea non poſſet facilè recuperari.

Utrùm principium noſtrum cogitans poſſit manere corpori ſuperſtes.

En difficultas maxima quam alii tractant ſub hoc titulo, *utrùm anima rationalis ſit immortalis*, ſed infeliciter; penè dixi ineptè, nimirùm ſubſtantia quævis, quatenùs ſubſtantia eſt, ſive ſit corpus, ſive ſit ſpiritus, eſt ab intrinſeco immortalis, ut ipſe docet Ariſtoteles, quia ſolâ creatione producitur, ſolâ annihilatione perit: hinc quo ſenſu immortalis ſpiritus, eo corpus immortale; quia, quemadmodum ſubſtantia ſpiritûs non generatur, non corrumpitur, ità nec ſubſtantia corporis; quo ſenſu mortale eſt corpus, mortalis eſt anima; nimirùm mortale eſt corpus, quia pereunt ipſius modificationes,

& aliæ accedunt : atqui pariter pereunt modificationes animæ; imò animus noſter magis mutabilis quàm corpus noſtrum, & minùs agnoſcimur ex vultu quàm ex judiciis noſtris : ſit tamen illud diſcrimen quòd nimirùm ſubſtantia corporea plures habeat partes quæ ſubſtantiæ ſint, quibus proindè addi, à quibus detrahi poteſt, quæ poſſunt diverſimodè tranſponi : at verò ſpiritus caret partibus quæ ſubſtantiæ ſint, quæ proinde tranſponi non poſſunt : his poſitis, feliciùs quæritur à nobis utrùm principium noſtrum cogitans poſſit eſſe corpori noſtro ſuperſtes.

Certum eſt principium noſtrum cogitans exiſtere poſſe ſeorſim à corpore, ſi modificationes ſuas habere poſſit ſeorſim; ſic, v. g. pars globi poteſt exiſtere ſeorſim ab aliâ parte, quia ſuas modificationes habere poteſt ſeorſim : at, ſi ſubſtantia ſuas modificationes habere non poſſit ſine alterius conſortio, certum eſt quòd exiſtere nequeat ſine alterâ; putà ſi quædam materiæ pars per impoſſibile non poſſet habere ullam configurationem ſine aliâ, certè non poſſet exiſtere ſine illâ, &, unâ annihilatâ, annihilaretur altera : hinc, ſi ſpiritus non poſſit ullas habere functiones independenter ab organis corporeis, quantumvis ſit à corpore diverſus, quantumvis ſit ſubſtantia, non poterit tamen exiſtere ſine corpore ; impoſſibilis enim eſt ſubſtantia cujus potentiæ nullo afficiantur actu; v. g. materia

cujus infinitæ capacitates aliquo actu non ſint determinatæ; hæc impoſſibilitas meliùs patet in ſubſtantiis ſpiritalibus: ſcilicet exiſtere nequeunt, quin vivant, ut anteà dicebatur, vivere non poſſunt, quin cogitent; ergo, ſi ità dependerent ab organis corporeis, ut ſupponi non poſſent in ipſis cogitationes independenter ab iiſdem organis, profectò exiſtere non poſſent, iis deſtructis.

Hinc quæſtio propoſita coincidit cum illâ, an principium cogitans poſſit adhuc aliquas habere functiones, vel annihilato corpore: ſit

PROPOSITIO.

Principium noſtrum cogitans poteſt manere corpori ſuperſtes, quia poteſt, deſtructis organis, habere independenter ab ipſis aliquas functiones.

Probatur: nam in nobis præter motus utriuſque appetitûs, præter ſenſationes ſunt conceptus & ideæ inſenſilium, ſunt judicia: atqui independenter ab organis corporeis poſſunt haberi conceptus inſenſilium; proindeque de illis judicari poteſt, putà conceptus veritatis, bonitatis, ſapientiæ, &c. ergo.

Quapropter Auguſtinus meritò diſtinguit oculos carnis & oculos mentis: ſic pulcherrimus adoleſcens placet, inquit S. Doctor, ſi oculos carnis interroges: audis, quia fur eſt; diſplicet, ſi oculos mentis interroges: ideò,

ſi ſenex ſit, cujus facies carioſa & ſepulchralis, oculi minio rubentes & lippientes, frons rugis arata, labia tremula, naſus exſiccatus, totum corpus cadaveroſum, diſplicet, ſi oculos carnis audias: audis, quia Pater Patriæ, protector innocentiæ, placet, ſi ſint oculi mentis.

Hinc, præter impreſſiones factas ab objectis ſenſilibus, ſunt aliæ quæ fiunt ab inſenſilibus quæ non conſequuntur leges motuum in corpore noſtro; imò quæ eunt contrà, & reſiſtunt.

Probatur : ſit vir probus, qui liquorem inebriantem plùs æquo hauſerit, videt ſe ſubitò mutatum; nutat inceſſus, dentes approximantur, blæſa fit lingua, oculi fulgent; tamen intùs improbat motus illos, it contrà, alium ſe vult; ergo adſunt impreſſiones probitatis oppoſitæ motibus corporis.

Præterea certum eſt à nobis concipi ea quorum imagines pingi non poſſunt in oculis, quæ nequeunt auribus audiri, manibus tangi, guſtari linguâ, olfieri naſo, &c. putà concipitur æternitas, concipiuntur immenſitas, ordo rerum, &c. concipiuntur non modò præſentia, præterita & futura, ſed etiam poſſibilia; ergo principium noſtrum cogitans poteſt, deſtructis organis, habere independenter ab ipſis functiones, & conſequenter certò certius eſt quòd poſſit eſſet corpori noſtro ſuperſtes.

Denique conſtat ex deſiderio principii cogitantis; ex cognitione æternitatis & immenſitatis; ex cognitione ſubſtantiæ perfectiſſimæ & beatificantis ſine quâ irrequietum eſt cor noſtrum, donec in ipsâ quieſcat, animam noſtram expectare vitam illam beatam : conſtat ex capacitate ejuſdem principii cogitantis nos eſſe quâvis re creatâ ſuperiores, inferiores ſoli Deo; jamverò finis noſter ſolus ſuperior eſt nobis; ergo quæcumque creata ſunt, non ſunt finis noſter; ergo ſolus Deus, cui ſoli ſubjacemus, cæteris autem propter ipſum : porrò quæcumque ſunt, ipſa animalia ſuo fine gaudent & fruuntur : non fruimur autem noſtro, & cognoſcentes ipſius æternitatem, hanc expectamus; ergo principium cogitans in nobis poteſt eſſe ſuperſtes corpori noſtro.

Dices : principium cogitans in belluis, licèt ſit à corpore diverſum non poteſt eſſe corpori belluino ſuperſtes; ergo nec noſtrum.

De belluis dicetur in Phyſicâ, ideòque tranſeat antecedens, ſed nego conſequentiam : enimverò, licèt in belluis ſint ſenſationes, non ſunt tamen conceptus & impreſſiones independentes ab organis corporeis : quapropter, deſtructo corpore belluino, deſtructis organis, jam non ſunt capaces animæ belluarum ſuarum cogitationum : porrò, ſi non cogitent, non vivunt; ſi non vivant, non exiſtunt, quia ſpiritus

exiſtere nequit quin vivat, vivere non poteſt quin cogitet; & ideò forſan ſpiritus dicitur actus, quia ſeparari non poteſt ab actu: at noſtrum principium cogitans præter impreſſiones dependentes ab organis corporeis alias habet independentes, ut probatum eſt; ergo ſeorſim ab organis cogitare poteſt; ergo vivere; ergo exiſtere.

Utrùm noſtrum principium cogitans maneat corpori ſuperſtes.

Plures ex iis qui docuerunt principium cogitans eſſe corpus aliquod ſubtiliſſimum, tenuiſſimum, congeriem partium puriorum & ſubtiliorum, cremorem fluoremque ſanguin s, licèt in errore turpiſſimo verſarentur, crediderunt tamen ex multis momentis quibus perſuadetur expectandam eſſe vitam alteram, illud eſſe reverà corpori ſuperſtes, præſertim ſi Deo benè ſervierit ut beatâ vitâ fruatur, ſuâ ſubtilitate ſuprà avolare ad cœlos; ſicque non poſſe aliis diſſolvi corporibus & in partes diſtrahi ut cætera diſſolvuntur & diſtrahuntur.

Docuimus ſuprà principium cogitans diverſum eſſe à corpore: docuimus ipſum eſſe poſſe corpori ſuperſtes: at, quia ità productum eſt, ut potuerit non produci, certè hoc eſt Dei dominium in omnia quæ creavit, ut, ſi ea poſſit conſervare, poſſit

etiam annihilare : itaque ſupereſt difficultas an reverà voluerit conſervare principium cogitans quod poteſt annihilare; an reverà idem principium annihilet quod poteſt conſervare; jam verò nemo eſt conſiliarius Dei, nemo ingreſſus eſt in ipſius potentias; quânam ergo viâ poſſumus ſcire an reverà ipſum conſervet?

Patet profectò hæc conſervatio ex Scripturis ſacris, ut Theologi demonſtrant; ſed hoc non agitur apud nos : dubium eſt an ſint motiva ex humanâ ratione petita quibus perſuaderi poſſit reverà principium cogitans manere corpori ſuperſtes, reverà ipſum conſervari à Deo, nec annihilari; cui quæſtioni ut fiat ſatis, ſit

PROPOSITIO.

Noſtrum principium cogitans manet corpori ſuperſtes.

Hæc propoſitio jam demonſtrata fuit in Philoſophiâ morali, ubi quæſitum eſt an detur altera vita; quæ ibi dicta ſunt, hîc paucis concludo, Deus eſt, legem ſcripſit in cordibus noſtris : ſunt quædam de ſe honeſta, quænam de ſe turpia: datur conſcientia ex quâ timor, ſi contrà præſcriptum hujuſce legis agamus; fiducia verò, animi pax, vel inter hujuſce ſæculi conflictationes, ſi agamus ea quæ jubentur : & timor

& pax à naturâ veniunt : Deus autem poteſt reddere ea quæ promiſit diligentibus ſe ; nec eſt neceſſe ut dolo utatur ad aſſequendos fines ſuos : propoſuit autem ſemetipſum nobis, ut primam veritatem cognoſcendam, ut primam bonitatem amandam ; ergo ipſe finis eſt noſter ; ergo, deſtructis organis, aut juſtum, aut miſericordem experiri debemus ; ergo datur altera vita.

Hinc miſerabiliores hominum eſſemus, ſi lavantibus manus noſtras cum innocente non eſſet ſpes alterius vitæ, foret, ſi ità loqui fas eſt, quædam crudelitas non frui Deo, quem jam cognoſcimus & amamus : quale amabo vos donum creationis foret : novi ſummum verum, ſummum bonum ; novi infinitam eſſe durationem & capacitatem in me, ut per illam poſſim permanere ad fruendum Deo, contemplando veritatem, & amando ejus bonitatem, &, morte accedente, illum ampliùs nec cognoſcerem, nec amarem. Bone Deus ! concipiat homo eſſe poſt mortem infinita ſæcula tranſeunda, & hoc ſibi perſuadeat ſe ampliùs non eſſe futurum ; quæ infelicitas ! quæ deſperatio ! vita noſtra licèt foret mille annorum & ampliùs ; ſi finita ſit, zero eſt in æternitate, & veluti nihilum reputari debet : hæc cognitio foret animarum ſupplicium, flagellum potiùs quàm donum & perfectio, ſi non ſit ſpes hominis alterius vitæ.

Prætereà quæ juſtitia, quæſo, in Deo! legem ſcripſit in cordibus noſtris, præcepta tulit; hic mavult perdere omnia quàm ire contrà præceptum; v. g. mentiri, aſſumere nomen Dei in vanum, furari, prodere; & ideò caret bonis præſentibus, neglectus, vexatus, quæ quidem mala, ſi vellet, effugeret: alii verò, quia ultrò contemnunt & præcepta & præceptorum Auctorem; ideò iiſdem bonis deliciiſque affluunt, imò optimâ fruuntur famâ, quia cautè furantur, mentiuntur & imitantur opera quædam quæ ad virtutes proximè accedunt: certè, ſi non ſit altera vita, non concipitur quâ juſtitiâ ſervus Dei tot mala patiatur præcisè quia Deum timet & amat; eſt igitur altera vita, eſt ſpes reſurrectionis.

Objectionum ſolutio.

Objicies 1°. Nemo eſt conſiliarius Dei, nemo ſcit quæ decreverit ipſe: porrò poteſt ut conſervare principium cogitans, ità annihilare; igitur dubium eſt utrùm conſervet, utrùm ipſum annihilet.

Diſtinguo majorem: quæ decreverit ipſe niſi ea manifeſtet, concedo: ſi ea manifeſtet, nego: porrò multifariam multiſque modis locutus eſt nobis Deus de conſervatione principii cogitantis; ità fecit ipſum, ut ſe illi propoſuerit tanquam objectum cognoſ-

cendum & amandum : dedit legem inde conſcientia, inde ſpes, inde fides : porrò voces illæ naturales clamant altiùs tubâ, Deum conſervaturum animam rationalem.

Inſtabis : clamor ille internus Deum conſervaturum animam rationalem non oritur à Naturâ, nec à Deo Auctore naturæ, ſed ab hominis ſuperbiâ & præjudiciis.

Nego : clamor enim ille quo omnes Gentes, Philoſophi, Oratores, Grammatici, Ruſtici, Aulici teſtantur ſe de animarum immortalitate perſuaſos venit ab ipſo Deo, quem omnes naturaliter invocant teſtem, & judicem expectant.

Probatur : hæc opinio contendit hanc alteram vitam eſſe ſtatum in quo virtus debet præmiari & crimen puniri : ſed illud oritur à præjudicio; ergo, &c.

Nego minorem : nam quò magis quis præſentem opinionem circumſpicit, eò magis in eâ confirmatur, & ſic exiſtimant, Naturâ duce, omnes homines; quia in omnibus eſt appetitus & capacitas hujuſce ſtatûs, quia ſunt præcepta virtutis quæ ad hunc ſtatum tendit; quia aliter ſumus ipſis belluis infeliciores & conditionis deterioris; ſcilicet hactenùs exiſtimatum eſt humanam cognitionem præſtare belluarum indoli, exiſtimatum eſt hominem hâc parte vincere belluas, ſed quòd homo attentione & reflexione cognoſcat eſſe durationem ſine

fine, noverit nihilum eſſe ſummum malum; ſic præſentibus bonis & commodis utatur, ut videat ea eſſe finem habitura; profectò nihil ipſo poterit cogitari infelicius, ſi non ſuperſit ſtatus ille poſt mortem: quapropter quò fortuna lætior erit, opes copioſiores, ſervi magis obſequentes, amici magis fideles, quò majora erunt vitæ commoda, Naturæ munera, Fortunæ dona, eò major erit miſeria hâc cogitatione, quia futurum eſt, ut tandem illa omnia nobis eripi debeant in æternum: ad hæc attendant Grammatici, nec ſuum Martialem laudent, cùm recenſet quæ vitam beatam faciunt; ſi epigramma ad uſum belluarum foret, ingenioſum certè, ſed ſtupidum, cœcum eſt, ſi ſit homini dictum.

Probatur minor: vel in hoc præſenti ſtatu datur virtuti præmium, & pœnæ ſtatutæ ſunt criminibus; ergo fruſtrà expectatur ſtatus alter.

Nego antecedens: innocentes opprimuntur ſæpiùs, nefarii verò dominantur plerumque, ut conſtat experientiâ.

Probatur: eſt animi pax & ſecuritas in eo qui rationis dictamen ſequitur: eſt autem conſcientiæ vermis hoſtis interior ejus qui agit contrà dictamen illud: ſed pax illa eſt ſtatutum virtuti præmium, conſcientiæ verò vermis ſunt pœnæ criminibus ſtatutæ; ergo.

Diſtinguo majorem: eſt animi pax, eſt

vermis propter ſpem alterius vitæ, concedo: ſine ſpe alterius vitæ, nego: pariter diſtinguo minorem: & ſine ſpe alterius vitæ non eſſet illa pax, non eſſet ille vermis, concedo: eſſet pax illa, eſſet ille vermis, nego: proindeque nego conſequentiam.

. Itaque reverà eſt animi pax & ſecuritas in eo qui rationis dictamen ſequitur: eſt autem conſcientiæ vermis in eo qui dictamen idem non ſequitur: pax illa eſt reverà ſtatutum virtuti præmium, eſt aliqua beatitudinis anticipatio; vermis ille eſt reverà ſtatutum criminibus ſupplicium eſt anticipatio æterni horroris: ſine hâc pace virtus non eſſet adeò amabilis, ſine verme vitium non eſſet adeò horribile; ſine pace & verme non eſſent officia, neque ſervarentur leges; ideòque ſocietas humana non conſiſteret; ſed contendo & illam pacem oriri à ſpe alterius vitæ, & illum vermem oriri à metu ejuſdem vitæ: ſcilicet ſi ſtatus ille nec ſit ſperandus, nec ſit metuendus, fruſtrà pax eſt & ſecuritas, fruſtrà clamat conſcientia; & arguit; non erit ergo ſine opinione alterius vitæ datum virtuti præmium, datum criminibus ſupplicium.

Inſtab s: forſan Deus, ut humana ſocietas ſervaretur, indidit nobis hancce ſpem quâ alliceremur ad exerc tium virtutis, & hunc metum quo deterreremur à peccatis; ſicut politicus Gubernator ſtatuit præmia

quibus alliciat homines ad tale quid faciendum; ſed inde non ſequitur futurum eſſe hunc ſtatum.

En ultimum nequitiæ effugium: ſi attenderent veritatis hoſtes, politicos Gubernatores falſa polliceri, quia vera non poſſunt retribuere, Deum autem potentem eſſe reddere ea quæ promiſit, certè paritatem hanc non inſtituerent: præterea, licèt politicus ille promiſſa non reddat, tamen inhumanus eſt crudelis & injuſtus, ſi, cùm poſſet impedire, permittat tamen ut, qui allecti promiſſorum ſpe diligentiſſimè ſuæ voluntati obſecuti ſunt, opprimantur, vexentur, crucientur ab aliis propter ſuum obſequium: porrò Deus permittit ut, qui ſequuntur rationis dictamen, qui legis naturalis præcepta ſequuntur, vexentur ab aliis, crucientur & opprimantur, hoc poteſt impedire ipſe; ergo foret crudelis & injuſtus: impium conſequens; ergo antecedentia: de his fuſiùs in Philoſophiâ morali.

Utrùm noſtrum Principium cogitans ſit completum vel incompletum.

Ne ſit quæſtio de nomine, priùs exponi debet quid intelligatur nomine completi, quid nomine incompleti.

Completum dicitur generatim illud quod omnes ſuas habet perfectiones, nec plures

habet, ut probatum eſt agendo de ſubſiſtentiâ : porrò, ſi non poſſit perfici ab alio quocumque cui adjungatur, vel adjungi poſſit, eſt completum eſſentialiter: ſic tres perſonæ divinæ, nihilque aliud præter ipſas eſt eſſentialiter completum, ut dicebatur ibidem : ſi verò ſeorſim ab alio omnes ſuas habet perfectiones, tunc & completum eſt, ſed contingenter, v. g. Michaël & Petrus.

Incompletum ergo illud eſt quod ſuas quidem habet perfectiones adjunctum alteri, ſed habet plures : quod, ſi ſeparatum poſſit ſuas omnes perfectiones retinere, incompletum eſt contingenter, & in ſtatu ſeparationis fit completum : at, ſi ſeparatum non poſſit habere omnes ſuas perfectiones, tunc eſt incompletum eſſentialiter : his poſitis, ſit

PROPOSITIO.

Noſtrum principium cogitans eſt eſſentialiter incompletum.

Probatur : nam illud eſt eſſentialiter incompletum quod poſtulat uniri corpori, ut habeat functiones, ad quas dicit potentiam eſſentialem : atqui noſtrum principium cogitans poſtulat uniri corpori, ut habeat functiones ad quas dicit potentiam eſſentialem, v. g. ut videat, audiat, &c. nam principium noſtrum cogitans, poſtulat uniri cor-

pori, ut habeat illas ſenſationes, ſi eas habere non poſſit independenter à corpore cui uniatur : atqui non poteſt eas habere independenter à corpore cui uniatur; nam præterquam quòd illæ ſenſationes jam non ſunt in animâ, niſi quatenùs ſunt in corpore certi motus : quæro ab adverſariis undenam anima haberet illas ſenſationes, ſi non haberet occaſione corporis? videlicet non poteſt illas habere; niſi propter finem ſapienter inſtitutum à Deo; quia non modò Deus eſt omnipotens, ſed ſapiens: ſapientia initium eſt viarum ſuarum, ipſius comes in ſuis operibus, quia facit omnia in intellectu : porrò nullus eſſe poteſt finis illarum ſenſationum, putà visûs, auditûs, olfactûs & cæterarum hujuſcemodi, ſapienter à Deo inſtitutus, quàm ut occaſione earum anima diſtinguat corpora, nullus niſi ſit corpus unitum.

Quamobrem, dum anima ſeparatur à corpore, eſt in ſtatu violento, in quantùm caret functionibus ad quas habendas habet potentiam ſibi eſſentialem, putà potentiam ſentiendi; & ideò motus in ipsâ ad corporum reſurrectionem.

Objectionum Solutio.

Objicies 1°. Noſtrum principium cogitans non eſt incompletum eſſentialiter : ſi poſſit exiſtere ſeorſim à corpore : atqui noſ-

trum principium cogitans poteſt exiſtere ſeorſim à corpore; ergo non eſt incompletum eſſentialiter.

Diſtinguo majorem: ſi poſſit exiſtere ſeorſim à corpore à quo ſeorſim ſupponi poteſt habere omnes ſuas functiones ad quas habet potentiam eſſentialem, concedo: à quo ſeorſim non poteſt ſupponi habere omnes ſuas functiones, nego: porrò noſtrum principium cogitans poteſt quidem exiſtere ſeorſim à corpore, quia ſeorſim à corpore poteſt habere functiones aliquas, putà ideas: ſed non poteſt ſupponi habere omnes, putà ſenſationes, in quantùm hæc potentia ſentiendi, ut ſuas patiatur impreſſiones, dependet à corpore cui ſubſtantialiter uniatur.

Objicies 2°. Illud non eſt eſſentialiter incompletum quod unitum fuit corpori, Deo liberè volente: atqui noſtrum principium fuit, &c. ergo, &c.

Diſtinguo majorem: quod unitum fuit corpori, Deo liberè volente, ità ut de ſe non diceret ordinem ad corpus, concedo: ità ut de ſe diceret ordinem ad corpus, nego: porrò noſtrum principium cogitans fuit quidem unitum corpori, Deo liberè volente, quia 1°. Deus liberè voluit hominis productionem. 2°. Quia potuit abſolutè ipſum producere ſeorſim à corpore, ut poteſt ipſum conſervare corpori ſuperſtes; ſed dicit ſemper ordinem ad corpus, in

quantùm habet potentiam ſentiendi ſibi eſſentialem, quæ non poteſt ſupponi habere ſuas functiones ſeorſim à corpore; proindeque noſtrum principium cogitans eſt eſſentialiter incompletum.

Quapropter perficitur, ut anteà docuimus, idem principium per unionem ſubſtantialem cum corpore benè organiſato: in præſenti ſtatu perfectius eſt, ſi organa benè ſint diſpoſita; v. g. homo benè oculatus perfectior eſt cœco, benè audiens, ſurdo, & ſic de cæteris: atque nemo eſt qui non ſpectet alicujus organi læſionem ut malum, aut imperfectionem, ſeu defectum: hinc, ſi jam aliqua vitia ſint in nobis, ſi ratio ſerviat appetitui, ſi corpus ſit ſarcina, catena, pondus dulciter premens, illud non oritur præcisè ex unione quæ eſt inter corpus & animam; cùm aliter creatus fuerit Adamus: ſed oritur ex ipsâ corruptione: in ſtatu futuro gloriæ idem principium perficietur ampliùs unione per reſurrectionem futurâ cum corpore, ut eò loci dicebatur.

Quamquam homo perficiatur jam illis ſenſationibus, hoc moneo ſenſationem eſſe debere inferiorem, ipſam debere ſervire perceptioni; objectum ſenſationis nunquam ſpectari debere, ut finem in quo quieſcamus: ſed medium quo debeamus juxtà rationis præſcriptum uti, non frui: ità ut ipſo, ſi deſit, careamus libenter dicentes, *Dominus dedit, Dominus abſtulit.*

Ex his omnibus & ſuprà dictis ſequitur principium cogitans non eſſe ſubſtantiam totalem, ſed partialem; non eſſe totum, ſeu perſonam, ſed eſſe perſonæ partem nobiliorem & præſtantiorem; ità ut ex ipſo & corpore tanquam partibus ſibi unitis eo modo quo ſuprà demonſtratum eſt, reſultet natura totalis quæ dicitur natura humana.

Sequitur etiam mori Petrum, cùm in corpore Petri ceſſant motus neceſſarii ad excitandas impreſſiones, quia tollitur unio inter principium cogitans & ipſum corpus; proindeque principium quod ſupereſt, manet incompletum, & ordinem dicit ad idem corpus quod quidem, cùm eſſet priùs mortale, reſurget immortale, & unione perfectiſſimâ ſociabitur principio cogitanti, ut Petrus totus vel pœnis æternis crucietur in omnibus ſuis functionibus, vel perpetuâ gaudeat beatitudine.

An ſint Ideæ innatæ.

Ex dictis hactenùs conſtat ſenſationes & motus utriuſque appetitûs, quæ quidem ſunt paſſiones principii cogitantis, ut omnes confitentur, eſſe in nobis cogitantibus occaſione motuum qui ſunt in partibus organicis noſtri corporis; proindeque, datâ partium humani corporis anatome, explicabimus aliquando vias mechanicas quibus generatim impreſſio-

nes, tum in particulari vias ſpeciales quibus excitentur ſingulæ, putà tum impreſſiones appetitûs naturalis, tum impreſſiones appetitûs ſentientis, tum ſenſationes; imò dicetur quantùm in me erit, quænam in corpore ſubſequantur eas impreſſiones; ſunt enim quædam quæ antecedunt, & alia quæ conſequuntur.

Ex eo quòd motus utriuſque appetitûs & ſenſationes excitentur in nobis occaſione illorum motuum, ex eo, inquam, haſce impreſſiones dixerunt ideas adventitias, licèt vel à primo unionis animæ cum corpore momento fuerint excitatæ: ſed aliæ poſt alias ſucceſſivè, relationes verò ſeu teſtimonia dixerunt ipſi Carteſiani ideas factitias, cùm anima judicat ex illis teſtimoniis eſſe in objectis illis ſenſilibus, quid ſimile ſenſationibus, & ineſſe impreſſiones ipſas organis corporeis, putà calorem manui, dolorem digito, viſionem oculo, amorem cordi, famem ventriculo, &c.

Difficultas ergo eſt de impreſſionibus illis quas diximus repræſentationes. 1°. Quæritur an ipſæ ſint actiones an paſſiones ipſius animæ, an anima ipſa cudat eas, an verò ab extrinſeco excitentur: certè, ſi anima ſuas ideas cudat, jam innatæ non ſunt, ut fatentur ipſi Carteſiani: at, ſi excitentur ab extrinſeco, quodnam eſt illud extrinſecum? excitanturne occaſione objectorum, D eo

ſimpliciter ſic inſtituente, ut apud eoſdem Carteſianos excitantur motus utriuſque appetitûs & ſenſationes? jam iterùm non ſunt innatæ: excitenturne, Deo immediatè agente? ſi excitentur ab ipſo, Deusne à primo creationis inſtanti ſic egit in animas noſtras, ut omnes ſimul ideas excitaverit; ità ut poſuerit in ipſis theſaurum idearum? ſi res ità ſe habet, innatæ ſunt; quod quidem & nos confitemur: an verò excitentur, Deo agente tantùm ſucceſſivè ſecundùm conditionem objectorum quæ fiunt præſentia organis noſtris? tunc etiam innatæ non ſunt: an denique eſſentia divina, veritates & generales & incommutabiles entis generatim, proprietatum, axiomatum in ipſo Deo cognoſcantur ſine ideâ in nobis; corpora verò in extenſione intelligibili quæ eſt immenſitas ipſius Dei tanquam in ideâ archetipâ, ut contendit Malbranchius Auctor celeberrimus operis de Inquiſitione Veritatis.

En variæ quæ poſſunt afferri ſententiæ de modo quo objecta cognoſcuntur à nobis: quæ ſit mens noſtra patebit ex ſequentibus.

Prima Propositio.

Contradictio eſt entia concipi à nobis, quin ſint in mente noſtrâ repræſentationes eorum entium quæ concipiuntur.

Probatur : quid enim eſt concipi ? nonne repræſentari objecta in mente, vitaliter illa exprimi, ideas objectis aſſimilari ? hinc eò tendunt omnes ſtudentium conatus, ut naſcantur in mente hujuſmodi repræſentationes vitales expreſſiones; ergo conceptus, aut nihil eſt, aut eſt objecti repræſentatio in mente, vitalis expreſſio, aſſimilatio.

Objectionum Solutio.

Objicies. Inutiles ſunt hujuſmodi repræſentationes, modò eſſentia divina lumen ſit quo illuminamur : atqui tale lumen eſt; ergo, &c.

Nego majorem : nam eſſentia divina eatenùs lumen eſt quo illuminamur, quatenùs ſuî repræſentationem excitat, & veritatum incommutabilium : ſcilicet niſi priùs excitaret eas repræſentationes, quomodò determinaremur ad illas veritates potiùs cognoſcendas quàm iſtas; quippe eaſdem non norunt omnes, ſed alii alias, ſed non eſt lumen mentium eo ſenſu quòd videamus omnia in Deo ſine ideâ in nobis.

Inſtabis: anima rationalis non modò unita eſt corpori ſuo, ſed ipſi Deo eſſentialiter: porrò hæc unio animæ rationalis cum Deo ſufficit, ut ſine repræſentatione in mente noſtrâ, eſſentia Dei cognoſcatur, quatenùs ipſe menti noſtræ præſens eam illuminabit ;

ergo ſine alio lumine, ſine repræſentatione aliâ, poterit eſſentia divina cognoſci.

Ità certè anima rationalis unita eſt Creatori ſuo, *cùm intelligit aliquid quod ſemper eodem modo ſe ſe habet, ipſum* (Deum) *ſine dubio intelligit : hæc autem eſt ipſa veritas cui, quia intelligendo jungitur, & hoc bonum eſt animæ, rectè accipitur id eſſe, quod dictum eſt : mihi autem adhærere Deo bonum eſt*, ut habet Auguſtinus.*

Sint hæc omnia, ſed quid inde? an ideò hæc unio ſufficiet ut ſine repræſentione in mente noſtrâ Dei eſſentia cognoſcatur? nullatenùs, ſicut unio cum corpore non ſufficit ut cognoſcatur corpus & requiruntur variæ impreſſiones, quas conſequuntur variæ relationes quibus impreſſiones ipſæ tribuuntur variis hujuſce corporis partibus tanquam organis, an præſentia Dei illuminantis ſufficiet? nullatenùs, nimirùm primò, præſentia corporis noſtri ſufficit. 2°. Nec in ipsâ patriâ ubi Deus immediatè præſens erit, & planè perfectèque nos illuminabit, ſufficiet eadem præſentia, quia eatenùs illuminabit, quatenùs ſuî præſentiam excitabit.

Urgebis : impoſſibilis idea, ſpecies quæ ſit repræſentatio Dei à Deo diſtincta.

Sic Thomiſtæ, cùm agitur de viſione intuitivâ Dei, favent Auctori clariſſimo : at

* Liv. 8. 3. q. 54.

ſunt alii plures Theologi, qui Thomiſtis adverſantur : quidni poſſit dari ſaltem in præſenti ſtatu idea quæ ſit repræſentatio Dei? non poteſt quidem dari in nobis quæ perfecta ſit; quæ ſit adæquata, ſeu comprehenſiva : at quidni inadæquata dari poſſit? non cudetur quidem hæc idea à nobis; quapropter non dicetur ſpecies expreſſa; ſed erit paſſio, impreſſio excitata, ſic ordinante Deo & illuminante.

Premes : hæc repræſentatio foret ejuſdem naturæ cum ipſo Deo : abſurdum conſequens; ergo & antecedens.

Diſtinguo majorem : in eſſe entitativo, nego : in eſſe repræſentativo, ſubdiſtinguo: inadæquatè, concedo : adæquatè, nego: itaque hæc repræſentatio nuſquam eſſe poteſt quid idem cum Deo in eſſe entitativo; nec enim repræſentationes in nobis poſſunt eſſe ejuſdem naturæ cum objectis repræſentatis; & quidem eò certiùs apud nos quòd à nobis non cudantur; ſunt ergo tantùm, quid idem in eſſe repræſentativo, id eſt, ſunt tantùm repræſentationes & quidem inadæquatæ.

SECUNDA PROPOSITIO.

Anima non cudit ideas.

Probatur : nec enim intelligi poteſt quomodò ex objectis, qualiacumque ſint, fluant

ſpecies intelligibiles, quæ ſpecies afficiant intellectum patientem, ità ut intellectus agens converſus versùs illas affectiones verbum eliciat, formam quæ ſit verbum mentis, ſpecies expreſſa objecti. 1°. Species illæ impreſſæ, ſeu intelligibiles nihil explicant, & in Phyſicis demonſtrabitur nullas eſſe. 2°. Non faciunt ut objectum poſſit meliùs intelligi. 3°. Quid eſt illud verbum mentis, illa ſpecies expreſſa objectorum? hoc à nemine intelligitur.

TERTIA PROPOSITIO.

Deus à primo creationis inſtanti non excitavit in nobis repræſentationes entium, atque ideò non ſunt ideæ innatæ.

Probatur: nam 1°. Forent in nobis impreſſiones omnium entium, ſaltem metaphyſicorum, quod abſurdum eſt; aut, ſi non eſſent omnium, cur horum potiùs quàm aliorum 2°. Deum excitaſſe in nobis ideam ſuî, ideam entis *ut ſic*, attributorum entis generalium, veritatum incommutabilium, extenſionis infinitæ, infinitæ durationis, ideam, inquam, claram & diſtinctam, vividam, ut loquuntur; quid abſurdius; cur ergo non cognoſcuntur hæc omnia, ſeu potiùs cur nulla cognoſcuntur in ætate puerili? cur vel ipſi Docti plura ex iis non ignorant modò, ſed negant? jam verò quomodò excitaret

excitaret Deus haſce omnes impreſſiones, vel à primo creationis inſtanti? hæc certè explicari nullatenùs poſſunt.

QUARTA PROPOSITIO.

Deus in hâc vitâ non excitat immediatè, etiam ſucceſſivè, repræſentationes objectorum quæ ſucceſſivè præſentia fiunt & cognoſcuntur.

Probatur: nam Deus non eſt in nobis immediatè, id eſt, intuitivè præſens; ideòque non agit in nos immediatè per ſemetipſum, ut cognoſcamus; præſens eſt tantùm abſtractivè; quapropter utitur ipſis objectis, ut excitet repræſentationes objectorum quæ cognoſcuntur.

QUINTA PROPOSITIO.

Simul cum motibus utriuſque appetitûs naturalis & ſentientis necnon ſenſationibus, ſucceſſivè excitantur & imagines & conceptus entium; excitantur, inquam, virtute legis quâ Deus corpus & animam admirabili commercio conjunxit.

Scilicet ad hanc legem recurrant neceſſe eſt adverſarii, ut explicent quomodò excitentur, & motus utriuſque appetitûs & ſenſationes: porrò non eſt major difficultas in explicandis tum imaginibus tum concepti-

bus : imò fortaſſe minor eſt; nam ad hoc ſatis eſt quòd in objectis ſint formæ repræſentatæ per imagines & conceptus, non ſint autem formæ repræſentatæ per motus utriuſque appetitûs & ſenſationes : atqui verum eſt conſequens; ergo & antecedens.

Scilicet ſunt in objectis, vel materialibus rationes entis, ſubſtantiæ, proprietatum, extenſionis, durationis, ordinis, ſapientiæ, numeri, &c. ideòque quidni poſſint, ordinante Deo, excitari entium illorum repræſentationes?

Dices ergo ſunt ideæ innatæ: nam ſunt ideæ congenitæ : atqui ideæ congenitæ ſunt innatæ ; ergo, &c.

Nego primam conſequentiam : diſtinguo majorem : ſunt ideæ congenitæ aliquorum entium, excitatæ tamen occaſione objectorum, concedo: ſunt ideæ congenitæ entium omnium, excitatæ ab ipſo Deo independentur ab ipſis objectis, nego : porrò, cùm admittunt ideas innatas, volunt ideas congenitas quæ ſint omnium inſenſilium quæ à Deo immediatè excitentur independenter ab objectis extrà nos cogitantes poſitis; enimverò, licèt motus utriuſque appetitûs, & ſenſationes ſint congenitæ nobis impreſſiones; quia quo inſtanti creatur anima, unitur corpori, & quo inſtanti unitur, ſunt inipsà impreſſiones occaſione motuum qui ſunt in organis; tamen non dicunt, &

motus utriuſque appetitûs & ſenſationes eſſe impreſſiones innatas, ſed adventitias tantùm, quia ſunt occaſione objectorum quæ ſunt extrà nos cogitantes poſita; ergo, licèt nobiſcum congenitæ ſint quædam repræſentationes inſenſilium occaſione eorumdem objectorum; tamen non debent dici innatæ, tum quia non ſunt omnium repræſentabilium, tum quia non excitantur à Deo ſolo, & independenter ab objectis.

Inſtabis: vel Deus ipſe eas excitat repræſentationes, vel objecta excitant: atqui objecta ipſas non excitant; ergo Deus.

1°. Retorqueo argumentum: vel Deus ipſe excitat motus utriuſque appetitûs & ſenſationes, vel objecta: atqui objecta eas impreſſiones non excitant; ergo Deus.

Quid reſpondent adverſarii? hoc nimirùm, objecta tanquam cauſas occaſionales excitare eas impreſſiones; Deumverò tanquam Auctorem unionis voluiſſe ut excitarenrur.

2°. Hoc idem nos reſpondemus de repræſentationibus.

Premes: non tantùm ſunt in nobis repræſentationes extenſionis finitæ, durationis finitæ, entis finiti, ſed ſunt repræſentationes extenſionis infinitæ, durationis infinitæ & entis infiniti, putà Dei: atqui objecta extrà nos cogitantes poſita non poſſunt eſſe cauſæ occaſionales & exemplares extenſionis infi-

nitæ, infinitæ durationis, Dei omnipotentiæ, ſapientiæ ſummæ, &c. quippè hæc objecta nihil ſimile hiſce attributis in ſe continent; jamverò quidquid eſt in effectu debet eſſe formaliter, vel eminenter in ſuâ causâ etiam exemplari; quo quidem axiomate feliciter utuntur Carteſiani, ergo repræſentationes eorum entium non ſunt ab objectis extrà nos cogitantes poſitis, tanquam à cauſis occaſionalibus & exemplaribus.

Diſtinguo maj. non tantùm ſunt in nobis repræſentationes extenſionis finitæ, &c. ſed ſunt repræſentationes inadæquatæ extenſionis infinitæ, &c. concedo: ſed ſunt repræſentationes adæquatæ extenſionis infinitæ, &c. nego. Porrò objecta extrà nos cogitantes poſita non poſſunt eſſe cauſæ occaſionales & exemplares extentionis infinitæ, &c. quæ cognoſcantur adæquatè, non autem inadæquatè; proindèque repræſentationes adæquatè eorum entium non ſunt ab objectis tanquam à cauſis occaſionalibus & exemplaribus; ſed inadæquatè ſunt ab iiſdem objectis.

Itaque duplici viâ poteſt infinitum concipi, vel adæquatè, vel inadæquatè: tunc adæquatè concipitur infinitum, quando omnes & ſingulæ ipſius partes & formalitates attinguntur: ſic, v. g. ſpatium infinitum concipietur, ſi adſint ſingularum partium & formalitatum omnes ſimul repræ-

ſentationes; ſed ille cognoſcendi modus ad Deum ſolum pertinet; ſic ſolus ſeipſum cognoſcit; ſic eo ſenſu pater ſoli filio cognitus eſt.

Tunc infinitum concipitur inadæquatè, quando partes aliquæ ità concipiuntur, ut concipiatur repugnare dari terminum in illis partibus & formalitatibus ultrà quem non ſint aliæ partes, qui quidem concipiendi modus proprius eſt ſpiritibus contingentibus; ſic ſpatium à nobis concipitur infinitum, quia aliquæ ſpatii partes concipiuntur, quia quæcumque concipiantur, repugnat, ſi terminos poſueris, non eſſe ultrà; ſic concipitur duratio infinita; ſic omnipotentia, ſic ſapientia, ſic divinitas.

Equidem ſunt in nobis repræſentationes inadæquatæ extenſionis infinitæ, &c. ſed non ſunt adæquatæ : repræſentationes quidem adæquatæ extenſionis infinitæ non ſunt ab objectis extrà nos cogitantes poſitis tanquam à cauſis occaſionalibus & exemplaribus : ſed repræſentationes inadæquatæ extenſionis infinitæ, durationis infinitæ, infiniti numeri, divinitatis, omnipotentiæ, ſapientiæ ſupremæ, ſunt ab objectis extrà nos cogitantes poſitis tanquam à cauſis occaſionalibus; imò exemplaribus: ſcilicet hæc objecta excitant ideam extenſionis finitæ, durationis finitæ, finiti numeri, excitant ideam ſe eſſe facta, contingentia diſpoſita: porrò cùm nihil finitum concipi poſſit,

quin ultrà concipiatur, cùm nihil poſſit concipi factum, diſpoſitum, contingens, quin concipiatur cauſa faciens, diſponens, quæ poſſit alia facere, diſponere ità ut repugnet dari terminum in illis faciendis & diſponendis, ultrà quem non ſint alia facienda & diſponenda; ideò dantur repræſentationes inadæquatæ extenſionis infinitæ, &c. quæ ſint ab objectis, tanquam à cauſis occaſionalibus & exemplaribus; quibus explicari videntur, Apoſtoli verba, *inviſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, in-intellecta conſpiciuntur, &c.*

Ad id quod dicunt cauſas occaſionales debere continere in ſe formaliter vel eminenter quod eſt in effectu.

1°. Quomodò objecta continent in ſe formaliter vel eminenter motus utriuſque appetitûs & ſenſationes quarum impreſſionum ſunt, fatentibus adverſariis, occaſiones.

2°. Hoc quidem, ſtrictè loquendo, verum eſt, ſi repræſentationes ſint adæquatæ, ſed attendant adverſarii noſtras eſſe inadæquatas.

Deinde aliquo ſenſu objecta extrà nos poſita continent in ſe aliquid ſimile iis quæ repræſentantur per illas ideas; enimverò hoc habent in ſe, ut concipi non poſſint, quin concipiatur ultrà, ut concipiatur repugnare non eſſe ultrà : porrò hoc unum dicunt illæ repræſentationes noſtræ.

SEXTA PROPOSITIO.

Illæ imagines & conceptus primùm excitata ſunt paſſiones.

Probatur : ſunt enim impreſſiones in nobis cogitantibus; nec enim concipi poteſt quomodò repræſentationes illas cudat anima; ut anteà vidimus.

Dices : ſi excitarentur occaſione objectorum imagines & conceptus à primo creationis inſtanti cognoſcerentur objecta : ſed hoc abſurdum eſt; ergo, &c.

Nego majorem : nam duo habent illæ impreſſiones, primum eſt quòd ſint intimi ſenſus, quales ſunt omnes cogitationes, alterum quòd ſint imagines & conceptus: primum iſtud omnes afficit, etiam ruſticos & infantes, alterum verò non conſtat niſi ex attentione & reflexione.

SEPTIMA PROPOSITIO.

Ex attentione & reflexione animæ in omnes ſuas functiones naſcitur perceptio quâ diſtinguit inter functiones, quâ eas intuetur, quâ proinde ex imaginibus & conceptibus intelligit quænam ſint objecta repræſentata; tuncque ipſæ repræſentationes quæ ſunt paſſiones, fiunt primariò objecta repræſentata animæ, quibus mediantibus, anima intelligit cætera.

COROLLARIA.

Hinc 1°. Intellectus eſt merè patiens ratione imaginum & conceptuum quos directos appellavi.

Hinc 2°. Non eſt merè patiens ratione perceptionis.

Hinc 3°. anima priùs novit ſuas functiones quàm cætera, cùm cætera non cognoſcat niſi mediantibus ſuis functionibus.

Hinc malè clariſſimus Regis in Metaphyſicâ † docuit ideas quibus Deus cognoſcitur, nec non alii ſpiritus eſſe ipſam animæ ſubſtantiam; quippe eatenùs ipſa animæ ſubſtantia cognoſcitur, quatenùs cognoſcuntur ejus functiones.

5°. Idem Auctor ibidem, cùm docet ideas quibus corpora cognoſcuntur, non eſſe niſi modificationes animæ, hoc peſſimè probat: *je dis que les idées dont l'ame ſe ſert pour appercevoir les corps, ne ſont que de ſimples modifications de l'eſprit pour marquer que les corps n'étant pas intelligibles par eux mêmes, il eſt néceſſaire qu'ils ſoient rendus tels par des choſes qui ſoient intelligibles d'elles mêmes.* Nimirùm quod non eſt intelligibile de ſe, non poteſt fieri intelligibile; reverà quod non eſt intellectum poteſt fieri intellectum: ſed intelligibile minimè.

† L. 2. p. 1. c. 16. & c. 17.

His poſitis de ideis noſtris, poſſemus agere de facultatibus aliis, voluntate & libertate: ſed in Moralibus illud argumentum tractatur: denique poſſemus explicare mechanicam corporis ex quâ pendent omnes illæ functiones: at tutiùs fiet iſtud & utiliùs, datâ priùs partium noſtri corporis anatome.

Hoc igitur unum dicam, ut abſolvam, attributa, ſeu gradus metaphyſicos in nobis alia eſſe corpori propria, alia animæ propria quæ conveniunt utrique ſubſtantiæ antecedenter ad unionem, ſeu independenter ab ipsâ unione; alia autem eſſe quæ ex unione reſultant; unde, eâ poſitâ unione, ponuntur, &, ſublatâ, tolluntur; priora verò ſunt ſeparabilia à ſe invicem, quia, cùm ſint alia inſeparabilia ab animâ, alia inſeparabilia à corpore, certè, dum ſeparantur corpus & anima, ità ſeparantur inter ſe.

Facultates omnes cogitandi ab animâ puto inſeparabiles, eaſque igitur manere in animâ ſuperſtites exiſtimo contrà doctiſſimum Regis, cujus hæc ſunt verba, * *elle eſt privée de l'uſage de l'entendement, c'eſt à dire, des facultés de ſentir, d'imaginer, de concevoir, de ſe reſſouvenir, d'avoir des paſſions.*

1°. Confundit actus cum facultatibus, mirorque ipſum explicare uſum facultatis per ipſam facultatem.

* L. 3. c. 2.

2°. Fatetur ipſe dominus Regis animam poſſe adhuc cognoſcere & ſemetipſam & Deum; ergo poteſt concipere.

3°. Facultates ſunt eſſentiales, neque unquam amitti poſſunt.

4°. Nec anima facultates ſolas, ſed etiam habet actus & uſus plurium ex illis facultatibus; enimverò ſunt illarum facultatum actus qui non dependent abſolutè ab organis corporeis: ut ſuprà vidimus: porrò habebit omnes illos actus qui ab illis organis non dependent.

Quotuplex ſit Anima rationalis.

Animæ rationales non ſunt diverſæ ſpecie, nam ea ſpecie non differunt quæ non habent gradus differentiales per quos differant: atqui animæ rationales non habent gradus differentiales per quos differant; habent quippe ſimiles facultates; nec enim eſt in unâ facultas aliqua cogitandi, quæ non ſit in alterâ: quapropter diverſitas eſt tantùm ratione attributorum contingentium: v. g. ratione actuum; ſic in animâ ſurdi eſt ipſa facultas audiendi, in animâ cœci facultas videndi; ſed non ſunt viſio & auditus, quia organa ſunt labefactata: ſic eædem ſunt in animâ infantis facultates quæ ſunt in animâ viri; in animâ ruſtici, quæ ſunt in animâ docti; amentis eædem quæ ſunt

ſapientis; mulieris, eædem quæ ſunt viri; & eſt diverſitas tantùm ratione actuum propter diverſitatem organorum, propter diverſitatem objectorum quæ proponuntur, &c.


Ergo animæ ſunt tantùm numero diſtinctæ; jam verò quot ſunt, fuerunt, & extituræ ſunt, ſolus Creator novit: hoc certum, tot ſunt quot creavit.

Finis Metaphyſicæ.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

A 13 37

Digitized by Google





COROLLARIA.

Hinc 1°. Intellectus eſt merè patiens ratione imaginum & conceptuum quos directos appellavi.

Hinc 2°. Non eſt merè patiens ratione perceptionis.

Hinc 3°. anima priùs novit ſuas functiones quàm cætera, cùm cætera non cognoſcat niſi mediantibus ſuis functionibus.

Hinc malè clariſſimus Regis in Metaphyſicâ † docuit ideas quibus Deus cognoſcitur, nec non alii ſpiritus eſſe ipſam animæ ſubſtantiam; quippe eatenùs ipſa animæ ſubſtantia cognoſcitur, quatenùs cognoſcuntur ejus functiones.

5°. Idem Auctor ibidem, cùm docet ideas quibus corpora cognoſcuntur, non eſſe niſi modificationes animæ, hoc peſſimè probat: *je dis que les idées dont l'ame ſe ſert pour appercevoir les corps, ne ſont que de ſimples modifications de l'eſprit pour marquer que les corps n'étant pas intelligibles par eux mêmes, il eſt néceſſaire qu'ils ſoient rendus tels par des choſes qui ſoient intelligibles d'elles mêmes.* Nimirùm quod non eſt intelligibile de ſe, non poteſt fieri intelligibile; reverà quod non eſt intellectum poteſt fieri intellectum: ſed intelligibile minimè.

† L. 2. p. 1. c. 16. & c. 17.

His poſitis de ideis noſtris, poſſemus agere de facultatibus aliis, voluntate & libertate: ſed in Moralibus illud argumentum tractatur: denique poſſemus explicare mechanicam corporis ex quâ pendent omnes illæ functiones: at tutiùs fiet iſtud & utiliùs, datâ priùs partium noſtri corporis anatome.

Hoc igitur unum dicam, ut abſolvam, attributa, ſeu gradus metaphyſicos in nobis alia eſſe corpori propria, alia animæ propria quæ conveniunt utrique ſubſtantiæ antecedenter ad unionem, ſeu independenter ab ipsâ unione; alia autem eſſe quæ ex unione reſultant; unde, eâ poſitâ unione, ponuntur, &, ſublatâ, tolluntur; priora verò ſunt ſeparabilia à ſe invicem, quia, cùm ſint alia inſeparabilia ab animâ, alia inſeparabilia à corpore, certè, dum ſeparantur corpus & anima, itâ ſeparantur inter ſe.

Facultates omnes cogitandi ab animâ puto inſeparabiles, eaſque igitur manere in animâ ſuperſtites exiſtimo contrà doctiſſimum Regis, cujus hæc ſuntverba, * *elle eſt privée de l'uſage de l'entendement, c'eſt à dire, des facultés de ſentir, d'imaginer, de concevoir, de ſe reſſouvenir, d'avoir des paſſions.*

1°. Confundit actus cum facultatibus, mirorque ipſum explicare uſum facultatis per ipſam facultatem.

* L. 3. c. 2.

2°. Fatetur ipſe dominus Regis animam poſſe adhuc cognoſcere & ſemetipſam & Deum; ergo poteſt concipere.

3°. Facultates ſunt eſſentiales, neque unquam amitti poſſunt.

4°. Nec anima facultates ſolas, ſed etiam habet actus & uſus plurium ex illis facultatibus; enimverò ſunt illarum facultatum actus qui non dependent abſolutè ab organis corporeis: ut ſuprà vidimus: porrò habebit omnes illos actus qui ab illis organis non dependent.

Quotuplex ſit Anima rationalis.

Animæ rationales non ſunt diverſæ ſpecie, nam ea ſpecie non differunt quæ non habent gradus differentiales per quos differant: atqui animæ rationales non habent gradus differentiales per quos differant; habent quippe ſimiles facultates; nec enim eſt in unâ facultas aliqua cogitandi, quæ non ſit in alterâ: quapropter diverſitas eſt tantùm ratione attributorum contingentium: v. g. ratione actuum; ſic in animâ ſurdi eſt ipſa facultas audiendi, in animâ cœci facultas videndi; ſed non ſunt viſio & auditus, quia organa ſunt labefactata: ſic eædem ſunt in animâ infantis facultates quæ ſunt in animâ viri; in animâ ruſtici, quæ ſunt in animâ docti; amentis eædem quæ ſunt

ſapientis; mulieris, eædem quæ ſunt viri; & eſt diverſitas tantùm ratione actuum propter diverſitatem organorum, propter diverſitatem objectorum quæ proponuntur, &c.

Ergo animæ ſunt tantùm numero diſtinctæ; jam verò quot ſunt, fuerunt, & extituræ ſunt, ſolus Creator novit: hoc certum, tot ſunt quot creavit.

Finis Metaphyſicæ,

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

Aaa 3771

Digitized by Google